This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Über dieses Buch

Dies ist ein digitales Exemplar eines Buches, das seit Generationen in den Regalen der Bibliotheken aufbewahrt wurde, bevor es von Google im Rahmen eines Projekts, mit dem die Bücher dieser Welt online verfügbar gemacht werden sollen, sorgfältig gescannt wurde.

Das Buch hat das Urheberrecht überdauert und kann nun öffentlich zugänglich gemacht werden. Ein öffentlich zugängliches Buch ist ein Buch, das niemals Urheberrechten unterlag oder bei dem die Schutzfrist des Urheberrechts abgelaufen ist. Ob ein Buch öffentlich zugänglich ist, kann von Land zu Land unterschiedlich sein. Öffentlich zugängliche Bücher sind unser Tor zur Vergangenheit und stellen ein geschichtliches, kulturelles und wissenschaftliches Vermögen dar, das häufig nur schwierig zu entdecken ist.

Gebrauchsspuren, Anmerkungen und andere Randbemerkungen, die im Originalband enthalten sind, finden sich auch in dieser Datei – eine Erinnerung an die lange Reise, die das Buch vom Verleger zu einer Bibliothek und weiter zu Ihnen hinter sich gebracht hat.

Nutzungsrichtlinien

Google ist stolz, mit Bibliotheken in partnerschaftlicher Zusammenarbeit öffentlich zugängliches Material zu digitalisieren und einer breiten Masse zugänglich zu machen. Öffentlich zugängliche Bücher gehören der Öffentlichkeit, und wir sind nur ihre Hüter. Nichtsdestotrotz ist diese Arbeit kostspielig. Um diese Ressource weiterhin zur Verfügung stellen zu können, haben wir Schritte unternommen, um den Missbrauch durch kommerzielle Parteien zu verhindern. Dazu gehören technische Einschränkungen für automatisierte Abfragen.

Wir bitten Sie um Einhaltung folgender Richtlinien:

+ *Nutzung der Dateien zu nichtkommerziellen Zwecken* Wir haben Google Buchsuche für Endanwender konzipiert und möchten, dass Sie diese Dateien nur für persönliche, nichtkommerzielle Zwecke verwenden.

+ *Keine automatisierten Abfragen* Senden Sie keine automatisierten Abfragen irgendwelcher Art an das Google-System. Wenn Sie Recherchen über maschinelle Übersetzung, optische Zeichenerkennung oder andere Bereiche durchführen, in denen der Zugang zu Text in großen Mengen nützlich ist, wenden Sie sich bitte an uns. Wir fördern die Nutzung des öffentlich zugänglichen Materials für diese Zwecke und können Ihnen unter Umständen helfen.

+ *Beibehaltung von Google-Markenelementen* Das "Wasserzeichen" von Google, das Sie in jeder Datei finden, ist wichtig zur Information über dieses Projekt und hilft den Anwendern weiteres Material über Google Buchsuche zu finden. Bitte entfernen Sie das Wasserzeichen nicht.

+ *Bewegen Sie sich innerhalb der Legalität* Unabhängig von Ihrem Verwendungszweck müssen Sie sich Ihrer Verantwortung bewusst sein, sicherzustellen, dass Ihre Nutzung legal ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass ein Buch, das nach unserem Dafürhalten für Nutzer in den USA öffentlich zugänglich ist, auch für Nutzer in anderen Ländern öffentlich zugänglich ist. Ob ein Buch noch dem Urheberrecht unterliegt, ist von Land zu Land verschieden. Wir können keine Beratung leisten, ob eine bestimmte Nutzung eines bestimmten Buches gesetzlich zulässig ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass das Erscheinen eines Buchs in Google Buchsuche bedeutet, dass es in jeder Form und überall auf der Welt verwendet werden kann. Eine Urheberrechtsverletzung kann schwerwiegende Folgen haben.

Über Google Buchsuche

Das Ziel von Google besteht darin, die weltweiten Informationen zu organisieren und allgemein nutzbar und zugänglich zu machen. Google Buchsuche hilft Lesern dabei, die Bücher dieser Welt zu entdecken, und unterstützt Autoren und Verleger dabei, neue Zielgruppen zu erreichen. Den gesamten Buchtext können Sie im Internet unter `http://books.google.com` durchsuchen.



STANFORD UNIVERSITY LIBRARIES







CODEX

DIPLOMATICUS ET EPISTOLARIS

MORAVIAE.

STUDIO ET OPERA

ANTONII BOCZEK,

SOCIETATIS SCIENTIARUM BOEMICAE ET ALIARUM MEMBRI,

PROFESSORIS PUBLICI NEC NON HISTORIOGRAPHI STATUUM MARCHIONATUS MORAVIAE.

TOMUS SECUNDUS

AB ANNIS 1200—1240.

OLOMUCII, 1839.

EX TYPOGRAPHIA ALOYSII SKARNITZL.

Lobkovická knihovna

EXCELLENTISSIMI AC ILLUSTRISSIMI

DOMINI, DOMINI

ANTONII FRIDERICI

E COMITIBUS

MITTROWSKY

DE MITTROWIC ET NEMYŠL,

DOMINI IN WIESENBERG IN MORAVIA; SUAE SACRAE CAESAREAE REGIAEQUE MAJESTATIS CONSILIARII INTIMI ATQUE CAMERARII ACTUALIS; EQUITIS AUREI VELLERIS; SIMULQUE ORDINIS CAESAREI AUSTRIACI LEOPOLDINI, CUJUS ET CANCELLARIATU FUNGITUR, NEC NON ORDINIS S. JOANNIS HIEROSOLYMITANI MAGNA CRUCE DECORATI; SUPREMI REGNI CANCELLARII; PRAESIDIS CAES. REG. AULICAE IN STUDIIS COMMISSIONIS; PLURIMARUM SOCIETATUM A SCIENTIIS MEMBRI MERITISSIMI ETC. ETC. ETC.

SUB AUSPICIIS NEC NON IMPENSIS.

I.

Bavarus, episcopus Olomucensis, ecclesiae in Eiwanowice, fratrum hospitalis s. Joannis, capellam in Hoštice cum dote a Petro comite de Rusinow collatam confirmat. Dt. in Eiwanowice XIII. Kal. Novemb. 1200.

B.(auarus) dei gracia Olomucensis episcopus vniuersis Christi fidelibus presens scriptum inspecturis salutem in Domino. Noueritis omnes. quod nobilis vir Petrus comes de Rusinoue ecclesie fratrum hospitalis s. Johannis in *Ivvanouici* pia ductus deuotione capellam in *Gosszice* in perpetuum hereditarie possidendam contulit et accedens ad nos nobis deuote et humiliter supplicauit. quatinus pietatis sue donum auctoritate nostra ordinaria confirmaremus. quod nos intuitu hospitalitatis et deuotionis fratrum prefatorum de domo s. Johannis libenter fecimus. confirmantes nichilominus eciam dotem eiusdem capelle cum decimis plenariis ville prefate. sicut in priuilegio beate memorie venerabilis episcopi *Peregrini* predecessoris nostri latius expressum reperitur. quod priuilegium una cum nostra pagina prefatis fratribus tradebatur. Si quis autem hanc nostram confirmationem seu ipsam capellam aut eius dotem uel ministros ausu temerario inuaserit. excommunicamus et dampnamus ipsum tradentes Sathane et abyron. nisi redierit ad penitentiam et debitam satisfactionem. Datum in Ivvanouici XIII. Kalendas Nouembris. Pontificatus nostri anno primo.

E fasciculo copiatorum diplomatum in archivo Melitensium Pragae.

II.

***Přemisl, rex Boemorum, confert in remedium principum Moraviensium Wladimjri et Břetislai animarum villam Štěpanowice monasterio Gradicensi, nec non exemtionem ceterarum villarum concedit.* 1201.**

Anno dominice incarnationis M. CC. I. epacta XIIII. concurrente VII. indictione IIII. Ego *Premizl*, dei gracia III. Boemorum rex, considerans, quanta rerum instabilitate presentis uite prosperitas euoluitur, quantis quibusque pressuris et angustiis rerum prouectus agitentur, precipue tamen claustralium beneficiorum ac monasteriorum ceterorum persecutiones in futurum precauens inopie fratrum ecclesie, que est secus urbem Olomuch in nomine sancte et indiuidue trinitatis edificata, et in honore sancti prothomartyris Stephani dedicata, aliquatenus succurrere dignum duxi. Ante omnia tamen pie conuersationis eorum studium, iusticie formam et uirtutis constantiam in mandatis diuine legis et sanctorum patrum statutis preuidens, vt essem plantatus in domo domini, et memoriale meum in atriis domus eius, vt cedrus libani perpetuo sic efflоreret, tantorum dei adhletarum orationum cupiens particeps fieri, desiderio animi in deum feruentis accensus, tandem me ipsorum precibus commendaui, et deuote munus communionis suscepi. Dilectissimos siquidem fratres meos in Christo, ne gratuito mihi concessa fraternitate aliquatenus deserere uidear, pro mea regnique mei incolumitate ac stabilitate, iusticie debito ac misericordie precibus informatus, unaque pro germani fratris mei *Wladizlay*, marchionis Morauiensis sospitate, necnon et vxoris mee, filie regis Vngarorum, et regine Boemorum *Constancie*, et filii mei *Wratizlay* meorumque remissione peccatorum, et ceterorum fratrum meorum, *Wladimiri* videlicet ac *Brecyzlay*, principum Moraviensium, qui iam vinculis carnis absoluti debitum nature persoluerunt, consensu omnium nobiliorum Boemorum ac Morauorum, villam nomine *Scepanouiche*, insuper et per omnes uillas omnem censum annualem, qui collecta nuncupatur, eidem monasterio predicto beati prothomartyris Stephani in vsum fratrum perpetuo possidenda concessi. Preterea ab omni seruitutis iugo ita liberas reddidi, vt nec uillici principum, vel militum serui castrorum, vel dominorum liberi, eas ullo ausu in omni casu bono

uel malo ingredi presumant, donec domino abbati vel ceteris fratribus uel curiali eorum casu manifestato accusatus uel accusandus, iudicandus uel dampnandus, fur uel homicida omni iudicio uel satisfactioni per eos representatus asistat, et in eo omni, quo judicatus subcubuerit, nulli preter abbatem et fratres respondeat. Sed ne processu temporis, quod geritur in tempore, labatur cum tempore, hoc euidens priuilegium presentis scripture memoria cum sigilli nostri impressione et harum personarum testimonio roboraui. Bawarus, Olomucensis XIIII. episcopus. Daniel Pragensis XVI. episcopus. Albertus abbas de monte Syon. Mislen abbas de Lutomischel. Georgius abbas de Luca. Tyburcius abbas de Trebech. Florianus prepositus Pragensis. Christianus prepositus Wissegradensis. Andreas prepositus Bolezlauensis. Baldwinus decanus Olomucensis. Vitalis canonicus Pragensis. Slauco camerarius Boemie. Boguzlaus camerarius Morauiensis. Cyrnin cum fratre suo Brecyzlao. Jarozlaus. Boguta. Budiuoy. Jacobus. Semizlaus. Blud. Medl. Predbor. Sobogird. Sdizlaus. Sub eiusdem uero sigilli munimine, interuentu predicti abbatis Hermanni et fratrum eorundem et testimonium supradictorum has uillas confirmaui Tridmirici, Budkouene, Weletin, Syracouici, Opatouici, Zirouici, qvinque tabernas, I. in Olomuch, II. Techelschyh, III. Nakel, IV. Bvnovich, qvinta in Oppaua. Igitur ego Bawarus Olomucensis ecclesie XIIII. episcopus, et Daniel sancte Pragensis ecclesie episcopus, huic tali decreto bannum apponimus, vt, si quis temerator huius rei aut contemptor exstiterit, perpetuis subiaceat cruciatibus innodatus, et sanctorum dei, quorum ibi reliquie continentur, meritis et intercessionibus sine intermissione cum Juda traditore saluatoris suppliciis maneat deputatus inferni. Amantibus et laudantibus hec pro posse quoque augentibus sit salus et protectio, pax et exultatio nunc et in evvm amen.

Ex originali in c. r. archivo aulico Vindobonae — cum sigillo appenso oblongo laeso et attrito. — Apographum in codice Gradicensi et annalibus ejusdem monasterii. —

III.

Přemysl, rex Boemorum, monasterio Litomyšlensi concedit decimas vomerales in circuitu Grulow (Chrudjm), et facultatem vendendi capellam s. Joannis in Moravia. Mense Junio, 1201.

In nomine domini. amen. Quoniam facta hominum tempore labente obliuionis nube teguntur, nisi litterarum lucidis monimentis perhennentur, sapientia prouidorum uirorum salubriter prouisum est, ut memoriam rerum gestarum posteris scripto transmittamus. Hinc est, quod ego *Premisl* miseratione diuina Bohemorum rex tertius, fragilitati conditionis uite mee consulens, pro remedio peccatorum meorum contuli Mizleno abbati de Lutomizle et conuentui eius denariorum uomeralium decimas in circuitu, qui nominatur Grutou, undique per omnes uillas militum meorum, qui astantes huic traditioni acclamabant, ipsos meam ordinationem laudare. Item in remedium anime pie memorie *Brecizlai ducis Morauiensis de prouincia Breczlaue* confirmo auctoritate regia capellam sancti *Johannis* in Morauia cum suis pertinentiis eisdem fratribus in Lutomizle, licet per prefatum ducem sine iuris modo et priuilegii formata ipsis collata esse dinoscitur, concedens ipsis ad petitionem fratris nostri dilecti *Wladizlai* nomine, marchionis Morauie, facultatem prefatam capellam cum suis pertinentiis propter ujarum distamen inanibus prefato fratri nostro vendendi. Ne autem super huiusmodi mea ordinatione procedente tempore aliqua negligentie uel contrarietatis oriatur occasio peruersa, hanc paginam posteris transmittere duxi dignum, atque sigilli mei appensione roboraui. Testes, quorum nomina huic pagine inserere precepi, sunt hec: Daniel Pragensis episcopus. Albertus abbas de monte Syon. Florianus prepositus Pragensis. Christianus prepositus Wissegradensis. Andreas prepositus Bolezlauensis. Slauco camerarius Boemie. Leo de Brunna. Cyrnin cum fratre suo Brecizlao. Jerozlaus. Boguta. Budiuoy. Blud. Medl. Sdizlaus. Welis. Jutron, Lutobor. Jacobus. Anno dominice incarnationis M. CC. I. Indictione IV. Epacta XIIII. concurrente VII. mense Junio. Si quis tenorem priuilegii mei immutare temptauerit anathematis uinculo remaneat innodatus. Amen.

Ex originali in archivo ejusdem monasterii in registratura c. r. Gubernii Moravici. Sigillum avulsum.

IV.

Přemysl, rex Boemorum et dux Olomucensium, Roberto, episcopo Olomucensi decimas in provincia Holasicensi dari constituit, villamque Drysice hereditarie confert. Mense Julio, **1201.**

In nomine sancte et indiuidue trinitatis patris et filii et spiritus sancti. Notum sit uniuersis sancte religionis christiane professoribus et in caritatis unione fideliter perseuerantibus. tam presentibus quam posteris. quod ego *Premisl.* miseratione diuina opitulante. rex Boemorum tertius et *dux Olomucensium* reminiscens condicionis humane. atque fragilitati mee consulens. pro remedio peccatorum meorum. cupiens particeps fieri eterne retribucionis ab omnium bonorum retributore. cum coniuge mea regina *Constancia.* et filio meo *Wratizlao.* acclamantibus et laudantibus omnibus meis primatibus. tam boemis quam morauis. constitui decimam episcopo dari in prouincia Golasizch undique per omnes uillas meas et militum meorum. uidelicet. VI. denarios de aratro. . . . . secundum ius ecclesiastice institucionis et antiquorum tradicionem patrum. Veruntamen quia facta mortalium tempore labente iacturam obliuionis plerumque senciunt. nisi monimentis litterarum alligentur. et eorum amminiculo ab obliuionis interitu defendantur. sapientum uirorum prouidencia salubriter prouisum est. ut memoriam rerum gestarum posteris scripto transmittamus. Ne igitur super hac constitucione mea quam etiam diuine leges approbant. aliqua suboriatur negligencia. uel controuersie admittatur occasio fraudulenta. summam rei geste posterorum memorie scripto transmittere dignum duxi. atque sigilli mei inpressione confirmaui. Nomina eciam testium qui eidem actioni affuerunt. tam spiritualium quam secularium. presenti pagine inserere precepi quatinus testimonio multorum ueritas innixa calumpniatorum compescat fallaciam. Si quis autem irretitus uicio superbie hoc immutare attemptauerit. tamquam sacrilegus perpetuo anathemate damnatus perpetuis cruciatibus inferni deputetur. Isti sunt qui affuerunt. Bawarus episcopus. Jursik. Cirnin. Wlastibor. Boguzlau camerarius. Baluinus decanus. Zbineus archidiaconus. Boscho archidiaconus. Walterus archidiaconus. Stephanus. Jacobus magister. Jacobus comes de Wiscou. Sdizlaus subcamerarius. Petr. Po-

mnenus. Medl. Suirch. Semizlaus. Insuper eciam contulimus ecclesie beati Wencezlai martyris uillam *Drissich* hereditario iure possidendam in finem seculi. sub testimonio prescriptorum testium. quod siquis immutare laborauerit perpetuo anathemate remaneat condempnatus. Amen. Anno dominice incarnationis M. CC. I. Indictione V. Epacta XIIII. Concurrente VII. Mense Julio.

Ex orig. in archivo capit. Olom. Sigillum attritum. Item apographum in cod. Olomucensi I. membr. f. 6. et Cremsiriensi D. VIII.

V.

Innocentius papa III. „Duci Boemiae" scribit, ut Ottoni, Romanorum regi, adhaereat. Circa 1. Martium, 1201.

Baluze — Regesta Innocentii III. De negot. imperii epist. 44.

VI.

Principes imperii (inter quos etiam rex Boemiae atque marchio Moraviae) Innocentio papae III. scribunt in favorem Philippi regis contra episcopum Praenestinum, apostolicae sedis legatum, cc. 8. Septemb. 1201.

Sanctissimo patri, et domino Innocentio sacrosanctae Romanae sedis summo Pontifici vniuersali Dei gratia Magdeburgensis, Bremensis archiepiscopi, Vvormatiensis, Patauiensis, Ratisponensis, Constantiensis, Augustensis, Ekstadensis, Hauelbergensis, Brandeburgensis, Misnensis, Nuembergensis episcopi, Bambergensis electus, Fuldensis, Herseueldensis, Campidonensis abbates; *rex Bohemiae,* dux Zaringiae, et rector Burgundiae, dux Saxoniae, dux Austriae ac Stiriae, dux Aleraniae, Turingiae lantgrauius, *marchio Morauiae,* orientalis, Alesensis, Brandeburgensis, marchionis, de Orlamunda, de Sumsenberch, de Brenen, de Vvitin comites, salutem et debitam in Christo reuerentiam. Extimare non valet ratio, nec rudis

simplicitas hoc potest credere, vt inde iuris cuiusque surgat turbatio, vbi iuris soliditas permansit hactenus inconuulsa, quis tam duri etiam, tamque peruersi sensus extimet, vt inde emanet superstitio, vbi quiescere debet sanctitas, diuina etiam ordinatione, non humano iudicio pie et salubriter est prouisum, vt in vrbe Romana, vbi olim erat caput superstitionis, illic quiesceret caput sanctitatis, et suppliciter est omnibus orandum, vt ad extremitatem non attrahatur principium, ne Omega dicatur reuolasse ad Alpha. Non ergo sacrosanctae Romanae sedis sanctitas, et cuncta pie fouens paternitas hoc sentire vllo modo vos permittit, ea, quae iuri dissona, et honestati contraria a domino Praenestino vestrae sanctitatis, vt ipse asserit, legato, in Romanorum regis electione sunt indecenter nimium perpetrata, vt de vestrae mirae prudentiae prodierint conscientia, nec sanctissimam sancti coetus cardinalium credimus huc conniuentiam accessisse. Quis enim huic similem audiuit audaciam? quis verus accedere potest testis, fore hactenus sic praesumptum, cum nec hoc testetur fabula, nec affirmet res gesta, nec cuiusque hoc codicis asseueret series? Vbinam legistis, o summi Pontifices, vbi audistis sancti patres totius ecclesiae cardinales antecessores vestros, vel eorum missos Romanorum regum se electionibus immiscuisse, sic vt vel electorum personam gererent, vel cognitores electionis vires trutinarent respondendi instantiam vos credimus non habere. In Romanorum enim electione Pontificum hoc erat imperiali diademati reseruatum, vt eam Romanorum imperatoris auctoritate non accommodata vllatenus fieri non liceret. Imperialis vero magnificentia, quae cultum Dei semper ampliare studuit, et eius ecclesiam priuilegiorum specialitate decorare curauit, hunc honoris titulum Dei ecclesiae reuerenter remisit quod constitutio primi Henrici euidenter explanat, cuius series haec est, vt nullus missorum nostrorum cuiuscunque impeditionis argumentum in electione Romani Pontificis componere audeat, omnino prohibemus. Si laicalis simplicitas bonum, quod de iure habuit, reuerenter contempsit, sanctitas pontificalis ad bonum, quod nunquam habuit, quomodo manum ponit? sed cum vestrae sanctae curiae tanquam piae matris nos tangat opprobrium, cum ad Romani imperij simus astricti titulum, eius iniuriam cogimur non tacere. Vobis ergo suprascriptorum principum cum dolore aperit vniuersitas, quod Praenestinus episcopus, in Romani regis electione contra omnem iuris ordinem se ingessit, nec

videre possumus, cuius personam inculpabiliter gerat: gerit enim vel personam electoris, vel personam cognitoris. Si electoris, quomodo quaesiuit opportunitatem, qualiter arbitris absentibus mendacio veritatem, et crimine virtutem mutaret? quomodo enim ea pars principum, quam numerus ampliat, quam dignitas effert, iniuste nimium est contempta? Et si cognitoris; hanc gestare non potuit: Romanorum enim regis electio si in se scissa fuerit, non est superior iudex, cuius ipsa sententia integranda, sed eligentium voluntate spontanea contuenda; mediator enim Dei, et hominum homo Christus Iesus actibus proprijs, et dignitatibus distinctis officia potestatis vtriusque discreuit, vt et Deo militans minime se negotijs implicaret secularibus ac vicissim non ille rebus diuinis praesidere videretur, qui esset negotijs secularibus implicatus. Sed si vos iudicem confiteamini, factum hoc excusationem habere non potest: vestrum enim in vos possumus exercere gladium, quia absente alia parte, sententia a iudice dicta nullam habeat firmitatem. Quid ergo praedicti Praenestini sententiam in Othonem firmare potuit, cum nihil ante in eo factum sit? nam quid erit, aut quas vires habere poterit, quod ab ijs sit, quos tenuior compescit numerus, quos minor comitatur auctoritas, quod partis alterius reddit absentia vitiosum? Contra eum ergo, qui talia operatus est minus decentia, vester se rigor exerceat, sit in eum tantum pie saeviens disciplina. Vobis enim pater sanctissime insinuare decreuimus, quia electionis nostrae vota in serenissimum dominum nostrum Philippum Romanorum regem, et semper Augustum vna voce, vno consensu contulimus: hoc spondentes, hoc firmiter promittentes, quod a vestra, et Romanae sedis obedientia non recedet, et eum Deo, et vobis sua deuotio reddet acceptum, et filialis eum timor imbuet, et defensoris eum strenuitas commendabit. Vnde petimus, vt veniente tempore, et loco, sicut nostri oficij est, vnctionis ipsi beneficium non negetis.

Raynald. Annal. Ecclesiast. T. XIII p. 70.

VII.

Philippi, Romanorum regis, diploma — sub testimonio Heinrici, marchionis Moraviae. Apud Babenberg XVIII. Kal. Octobris, 1201.

Philippus rex . . . . Euirhardo Salzpurgensi archiepiscopo eiusque ecclesiae abbatias regales Kiemisse et Sewe cum earum pertinentiis donat.. *Apud Babinberc* XVIII. Kalendas Octobris 1201 . . . Testes Hertwicus bremensis archiepiscopus. Vodiscalcus Augustensis episcopus. Diethalmus constantiensis episcopus. Conradus Ratisponensis episcopus. Wolfgerus pattauiensis episcopus. Bernhardus dux Saxoniae. Hermannus lantgrauius Thuringiae. *Heinricus marchio Morauiae.* Comes Didericus de Landisperc. Ruodolfus comes palatinus de Twingen. Godefridus marchio de Rovmisperc. Comes Volricus de Berge. Comes Lodwicus de Wirtinberc. Waltherus de Langinberc. Albertus de entsee. Hadmarus de Chunringen. Wichardus dapifer de Zebingen. Hertnidus de Orten. Covno burcgrauius de Wernin. Waltherus pincerna de schipfen. Lodwicus de Nicastel et alii . . .

Monumenta Boica T. XXIX. P. I. p. 479.

VIII.

Boleslaus, dux Slesiae, coenobio Lubensi mille mansos circa metas Moraviae inter flumina Osoblaham et Stradunam restituit. Acta III. Idus Novembris, 1201.

In nomine domini amen. Ne cum tempore transeunte. transeant a posterorum noticia que fuerint temporaliter facta et ordinata literarum debent perhennari testimonio et a stipulacione proborum hominum roborari. Idcirco ego *Bolezlaus* dei gracia dux Zlezie. filius illustris quondam et maximi ducis wladyzlai declaro presenti pagina presentibus ac futuris christi fidelibus uniuersis. quod uenerande memorie dominus Zyrizlaus quondam episcopus wratizlawie pio deuocionis affectu et ad meam ac baronum meorum

peticionem. cum vnanimi et pleno consensu capituli sui cenobium Lubense quod ego fundaui dotauit omnibus noualibus decimis uillarum nouarum et agrorum in toto territorio legnicensi. que tunc fuerunt uel esse poterant in futurum. tam in montibus quam in plano. Processu uero temporis eodem pio patri uiam uniuerse carnis ingresso. filius meus Jarozlaus tunc dux de opol sibi in episcopatu succedens. sicuti contra me patrem suum non filialiter egit in multis cum aput auunculum meum heinricum quintum imperatorem cum meo exercitu in expedicione in lombardia per triennium consisterem. sic quoque contra fundationem meam lubense cenobium consurgens. donacionem prefatam decimarum noualium potencialiter irritauit. Quem cum ego ad propria reuersus super eis commonerem. respondit se uelle satisfacere ordini sed non claustro lubensi. Vnde uocatis aliquot fratribus de porta contulit eis mille mansos magnos in districtu ducatus sui *circa metas morauie* inter duo flumina *Ozoblogam* videlicet et *stradunam* cum omni decimatione inter eadem flumina usque ad Odram fluuium quem influunt et eos ibi in loco quem appellauit Jerozlaue collocauit. Eo autem defuncto et potestate terre ad me reuersa. Portensis conuentus. illiusque abbas. contuentes cenobij mei lubensis iniuriam et preiudicium manifestum. per sanctionem quoque generalis capituli quod interpellaui. prefatam donacionem filij mei meo cenobio Lubensi de meo consensu totaliter resignarunt in refusionem. decimarum noualium predictarum. Qua propter ego eosdem mille mansos cum omnibus attinencijs suis videlicet. aquis. pratis. agris. siluis. mellificiis. decimis ut prius fuerunt. et cum omni libertate cenobio lubensi trado et confirmo in possessionem legittimam et eternam. Acta sunt autem hec. anno domini millesimo ducentesimo primo. tercio Idus Nouembris. Indictione quarta. atestantibus probis et fide dignis viris. Videlicet domino Cypriano episcopo Wratizlauiense et canonicis eius. Benico decano. Egydio archydiacono. Johanne cantore. Magistro odone. Martino cancellario. Felice. Mathya. Fryderico. Laurencio et lamberto. Item Andrea castellano glogouiense. Nenkero castellano de Bolezlauez. Stephano castellano de Legniz. Ingrammo castellano de wratizlaue. Voizlao iudice curie. Schanztoborio castellano de Zandowel. et aliis quam pluribus uiris nobilibus et honestis. Amen.

Ex originali in regio provinc. archivo Wratislaviae accepi a Prof. Stenzel.

IX.

Innocentius papa III. marchionem Moraviae hortatur, ut a Philippo recedat, Ottonisque regis gratiam invenire studeat. Datum Anagniae Idibus Decembris, 1201.

Innocentius seruus seruorum Dei. Nobili uiro . . marchioni Morauie salutem et apostolicam benedictionem. Cum finem rerum prouidentia metiatur, et extendat sapiens sue considerationis aciem ad futura, miramur non modicum et mouemur, quod cum te uirum esse nouerimus exercitatum in temporalibus et in aliis circumspectum, in facto imperii caligare uideris et finem eius improuidus expectare. Sane cum sue uie dux Philippus propter impedimenta, que in litteris generalibus uniuersis principibus destinatis nos meminimus expressisse nec possit, nec debeat ad imperii monarchiam peruenire, iugiterque deficiat in se ipso, et pars eius de die in diem amplius infirmetur, carissimus autem in Christo filius noster illustris rex Otto in Romanorum imperatorem electus uir sit industrius et idoneus ad imperium obtinendum, fiatque iugiter in se ipso robustior et roboretur quotidie regnum eius, non debueras tamdiu incumbere baculo arundineo, qui manum perforat initentis, sed illi potius adherere columne, que in petre soliditate formata nec pluuiarum imbres, nec impetus fluminum, aut uentorum formidabit impulsus. Cum enim Dominus quod de ipsius regis promotione disposuerat, ab eterno iam inceperit temporaliter explicare, ac beneplacitum suum certis ex quadam parte indiciis reuelarit, cuiusdam fatuitatis est species diuine uelle dispositioni resistere ac eius omnipotentie obuiare. Ecquid igitur expectas adhuc et non preuenis in benedictione dulcedinis regem ipsum, ut cum coronam acceperit de lapide pretioso, circa te regie beneuolentie dona diffundat, et magnificet et inter se honorantis honoret? Sane prudentiam tuam non credimus ignorare, quod si ultimus ad fidelitatem eius uenire uolueris et post ceteros eius gratiam obtinere, aut nullum aut difficilem inuenies apud ipsum accessum, nec uolet forsitan te rogatus recipere, quem tu non recipis cum rogaris. Audisse namque te credimus ex euangelica lectione quod uirgines que tunc tandem oleum emere uoluerunt, cum sponso fuerat occurrendum, quia cum aliis intrantibus ad nuptias non intrauerunt,

Nescio uos audire meruerint nouissime uenientes, et clausa ianua omnis eis fuerit preclusus ingressus. Ne igitur nobilitati tue simile sic contingat, monemus et exhortamur attentius, consulimus et per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus omni mora et difficultate cessante ad eiusdem regis fidelitatem accedas, et sic eius obsequiis te addicas, ut dilationem temporis fideli auxilio redimas, et deuotionis constantia more dispendia recompenses; sciturus quod si nunc saltem audias et exaudias uocem nostram et consiliis acquiescas, apud regem ipsum interponemus efficaciter partes nostras, ut te in gratiam regalem admittat, et inter eos qui ei a principio astiterunt honoret. Datum Anagnie Idibus Decembris. *(In eundem modum duci Saxoniae, Bertoldo duci Zaringiae, duci Meraniae, comiti Barensi, duci Austriae, duci Bauariae, marchioni orientali).*

Baluze. — E regestis Innocentii III. de negot. imperii. Epist. 98.

X.

Přemysl, qui et Otakarus, rex Boemorum, confirmat fundationem coenobii Welehradensis, ordinis Cisterciensis, a fratre suo Wladislao, marchione Morauiae, factam. 1202.

In nomine sancte trinitatis et indiuidue vnitatis. Ego *Premyzl, qui et Otakarus,* tercius rex Boemorum monasterio *Welegradensi,* Cisterciensis ordinis et ministris dei ibi degentibus imperpetuum. Cum prudens et veneranda seniorum precedencium antiquitas, in qua imperatoria et regia dignitas summam habuit auctoritatem, decreuerit succedentibus temporibus suis inquietantium iniurias ab omnibus quietis et iustis remouere, placuit eius saniori prouidencie acta temporum suorum in scriptis redigere, vt illa, que iustum et debitum habuerunt processum, etiam haberent robur et firmitatem. Nouerint itaque tam presentes, quam futuri, quod inclite memorie frater noster *Wadislaus* marchio Morauie claustrum Cisterciensis ordinis Welegrade nomine fundauit et possessionibus amplis et ceteris necessariis dotauit, et hoc totum actum est auctoritate nostra, quia principes Morauie nichil possunt conferre perpetualiter alicui monasterio uel militi uel alii, nisi interueniat eius consensus et confirmationis auctoritas, qui

summus est in regno Boemie et illius terre tenet principatum. Possessiones nero quasdam, que subnotate sunt, emit inclitus frater noster a quibusdam militibus et aliis, quas contulit claustro predicto perpetuo possidendas. Emit quidem ab abbate et fratribus de Lutomusle quoddam predium adiacens claustro, in quo erat sita *ecclesia sancti Johannis,* sed tunc temporis vacua et deserta, uix CC iugerum pro decem marcis argenti, quod et claustro contulit. Licet enim illud predium non poterat conferri a duce *Brechizlao* Lutomislensi ecclesie tamen nos ob reuerenciam beate Marie illam donationem dissimulauimus et concessimus fratri nostro emere et claustro Welegradensi conferre. Insuper frater noster eodem tempore emit uillam *Borsciz* nomine cum circuitu suo a Pribizlao milite pro quinquaginta marcis argenti et aliam villam *Zlehowe* nomine emit a Dobene milite pro XXX marcis argenti cum omnibus appendiciis suis. Similiter uillam *Vscenowe* nomine emit a Smilone milite pro XXVIII marcis argenti cum omnibus attinenciis suis, que villa fuit possessio cuiusdam Radoslay militis, qui eam dederat filie sue; sed cum puella esset sub tutela Smilonis, tradidit eam marito Heinrico, quondam iudici de Znoym cum eadem pecunia. Insuper uir nobilis Theodericus, nomine Grutouice, quandam uillullam *Costeleche* nomine, quam deseruierat apud fratrem nostrum Wadislaum, marchionem Morauie, cum nostro assensu et ipsius contulit ecclesie Welegradensi, quod nos ratum habuimus et firmum; cuius termini sunt usque ad *uallum antique ciuitatis.* Huius rei testes sunt, qui tunc presentes erant, Rupertus episcopus Olomucensis. Walterus decanus. Stepanus prepositus. Bosko archidiaconus. Andreas canonicus; hii sunt canonici Olomucenses. Abbas Ticelinus. Walkuonus, Eberhardus, Gerungus monachi Welegradenses; Hartmodus, Bertoldus conuersi eiusdem loci. Pludo. Doben. Theodericus filius Ghrut. Petrus filius Bohvt. Smilo de Buglowicz. Primizlaus de Borscwicz. Stranata. Peley. Pranzut, hii sunt nobiles Morauie. Wrzman. Altman. Stymir. Milota. Bohomil. Hon. Milosc. Martin. Bratron, hii sunt *ciues Welegradenses.* Acta sunt hec anno incarnacionis dominice millesimo ducentesimo secundo. Ticelino primo abbate regente ecclesiam Wellegradensem.

Ex originali in c. r. archivo Vindobonae. Sigilla duo appensa illaesa. Apogr. in cod. Welehr. f. 15. Tenor literarum et datum recte ad annum 1202. spectat; literae ipsae vero anno 1228. conscriptae sunt.

XI.

Heinricus, qui et Wladislaus, marchio Moraviae, monasterio Gradicensi silvam spatiosam Strelna inter fluvios Odram et Moravam interjacentem confert exstirpandam, eamque limitat. VIII. Kalendas Martii, 1203.

In nomine patris et filii et spiritus sancti amen. *Heinricus, qui et Wladizlaus,* dei gratia marchio Morauie, ecclesie *Gradicensi* Premonstratensis ordinis, Olomucensis diocesis, et fratribus ibi nunc et in futurum regularem uitam professis in perpetuum. Quoniam obliuionis exitus plerumque excedit scientiam futurorum, ideo acta presentium eterna scripturarum memoria et ceteris certis indiciis debent sollicite obseruari: noscat igitur tam presens hominum etas, quam posteritas in domino successura, quod nos fratrum ecclesie Gradicensis religiositatis feruorem, quem deuote famulando gerunt gubernatori omnium, intuentes, ipsorumque orationibus participes fieri cupientes, ex solita nostre benignitatis munificentia siluam quamdam satis latam et spatiosam, ad nostri principatus dignitatem pertinentem, denominatam *Strelna,* inter Odram et Morauam iacentem, cum omnibus prouentibus et utilitatibus nunc et imposterum exinde percipiendis de consensu fratris nostri Otakari, inclyti regis Boemie, dicte ecclesie et fratribus ibi degentibus contulimus iure hereditario perpetuo et pacifice possidendam; dantes eis plenam libertatem exstirpandi eam, et uillas, fora, ciuitates locandi in ea, uel alia quecumque ex ea, uel in ea, prout ipsi duxerint, ordinandi. Volumus etiam, ut eadem libertas et iura ibi habeantur, que in omnibus aliis hereditatibus ecclesie Gradicensis habentur. Ad hec uero totius ignorantie scrupulum reprimere cupientes, ad considerandam et circuiendam eandem siluam, et metas ibi ponendas, misimus e latere nostro dominum Bauarum camerarium, et Zawissam castellanum, Veliz iudicem, Slauatam magistrum uenatorum, Onsonem et fratrem ipsius Bludonem, summum uenatorem, cum filio suo Spitata, et dominum Johannem canonicum et scholasticum Pragensem; item uenatores istos: Gogol de Bukowan, Crisan, Lelek, Waclaw, Jan, de Lazan omnes, Otrok cum fratre suo Wratik de Wiklak, Qveton, Mislik de Medow, Bohudar cum fratre suo de Duban, Janek, Striemena de Chudobin, uillicus Slauate, magistri

uenatorum, et alios quam plures, qui de nostre magnitudinis mandato intrantes dictam siluam posuerunt ibi primam metam supra fluuium Bunow, qui fluit in Strelnam ibidem, de qua aqua tota illa silua Strelna nuncupatur. Deinde uero fluuius Strelna ad duos tractus sagitte fluit in Odram; de Odra incipiendo uersus orientem inferius influentibus aliis aquis ex utraque parte in Odram usque ad fluuium, qui Cirmena nuncupatur; deinde per metarum signa declinando contra aqvilonem usque in locum, qui dicitur Tyzowahora, situm supra Morauam; et abinde retrogrado passu versus occidentem, influentibus quibusdam aquis ex utraque parte in Morauicam usque ad locum, qui dicitur Bohumilplawie; deinde per semitam in Towiren redeundo uersus meridiem usque ad aquam Lopenica cum uertice, unde originem ducit, et transita eadem aqua per semitam dictam usque ad aquam Budessowa, cuius origo est inter metas dictas; inde procedendo per semitam nominatam usque ad aquam Luboska cum vertice et pratis omnibus, que ibi habentur. Deinde per semitam eandem, donec ventum fuerit super aquam Smilow, cuius origo est inter metas dictas; Smilow autem pertransito per signa metarum, donec reuertatur ad prenominatum fluuium Bunow. Et sic metis ibi positis ipsi, quos illuc miseramus, aceruos perspicuos locis in aliquibus erexerunt, imponentes eisdem aceruis signa occulta. Porro frater *Abraham,* canonicus ecclesie Gradicensis, ordinis supra dicti, eodem anno eandem ingrediens siluam, et perlustrata ea diligenterque circumspecta ipsoque inuento ibi loco habili ad cultum diuinum, de licentia sui abbatis *Hermanni,* et sub habitu et obedientia ipsius, nec non etiam nomine sue ecclesie, cum quibusdam fratribus secum assumptis cepit vitam ducere eremiticam in eadem. Tandem quia situs loci, ubi oratorium suum posuerat; nimium sibi placuit ibi ad manendum, cum ecclesia in Welegrad fundaretur, dictus frater Abraham ad nos accedens petiuit diligenter, ut in loco sui oratorii, quem struxerat ibidem in honorem sancte et indiuidue Trinitatis, specialiter uero *sub titulo beate Marie Virginis et sancti Georgii cenobium fundari* admitteremus. Sed quia dominus Hermannus dicti loci abbas, propter rerum inopiam, quam patiebatur, ad id opus cenobii de facultatibus sue ecclesie non poterat subuenire, dominus Esau, archidiaconus Prorouensis et canonicus Olomucensis, et Isaac, canonicus ibidem, et Blasius, fratres uterini dicti fratris Abrahami, permagnam

rerum copiam habentes, et famam sui nominis eterna memoria sublimare cupientes, a nobis et ab abbate Hermanno, id opus sibi committi, petierunt. Nos vero ipsorum pie operationis propositum impedire nolentes, domini Hermanni abbatis consilio prius captato, ad cuius iurisdictionem sepe dicta silua iam spectat, dicti Esau archidiaconi et ipsius fratrum petitionibus, que omni admissione digne erant, annuentes, structuram cenobii, nomine tamen ecclesie Gradicensis, in dicta silua sibi duximus committendam. Insuper ut id opus cenobii maiorem posset habere prouectum, totam siluam dictam cum omnibus prouentibus et utilitatibus exinde percipiendis usque ad finem uite sue dictis Esau et fratribus ipsius contulimus de uoluntate etiam dicti loci abbatis et conuentus, sancientes firmiter, ut post ipsorum, dicti Esau et fratrum ipsius obitum, ad ecclesiam Gradicensem redeant, cuius pretextu sibi hec erant porrecta. Ut autem hec nostre largitatis donatio ecclesie dicte facta, et gesta premissa maneant firma et in euum, presentem paginam sigilli nostri firmitate duximus roborandam. Testes, qui huic rei interfuerunt, nominetenus scripti subsequuntur: Dominus Robertus, uenerabilis episcopus ecclesie Olomucensis. Dominus Techelinus, abbas Welegradensis. Waltherus decanus, Stephanus prepositus, Theodoricus, Johannes et Gerardus, canonici Olomucenses. Johannes, canonicus et scholasticus Pragensis, et beneficiarii Olomucenses supra scripti. Affuerunt etiam: Sulislaus dapifer, et filius suus Protiuenus. Onso et fratres ipsius, Victor et Bludo, summus uenator, et Spitata, filius suus. Boriuta de Redhoscz de Bohem, et filius suus Boriuth de Letouicz. Item Wocco et Pomnen de Thowaczow, et filius suus Wocco. Semislaus et frater suus Ninec. Slauata et frater ipsius Wissieborius. Bicen et filius ipsius Budislaus, et Sdimir. Predbor et filius suus Bun. Pribislaus et frater ipsius Sdislaus. Leua, camerarius Brunensis. Cirgo et frater suus Chastola. Petrus subpincerna domini marchionis. Sweigse subdapifer. Slaua, filius Doben. Wers et frater suus Nedamir. Stephanus de Medlaw, et uenatores supra nominati, ac alii quam plures. Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. III. concurrente — Indictione VI. Octauo Kalend. Martii. Data per manus Apollinaris notarii.

Ex annalibus Gradic. monasterii Mss.

XII.

Otakarus, qui et Přemysl, rex Boemiae, confirmat monasterio Gradicensi donationem silvae Střelna a fratre suo Wladislao, marchione Moraviae, factam. Dl. XII. Kalendas Julii, 1203.

In nomine patris et filii et spiritus sancti amen. *Ottakarus, qui et Premizl,* dei gracia rex Boemie, ecclesie *Gradicensi* et fratribus ibi nunc et in futurum degentibus in perpetuum. Solet regie dignitatis clementia iustis petentium uotis assensum beneuolum commodare, et ea, que a rationis tramite non discordant, efficaci fine complere. Noscant igitur tam presentes quam futuri et posteri, quod nos totius ambiguitatis scrupulum, qui calumnia oriente sepe solet euenire, reprimere cupientes, donationem nostri fratris *Wladizlai,* Morauie marchionis, in silua, *Strelna* nuncupata, sita inter Odram ac Morawiczam, ecclesie Gradicensi factam, ratificamus, et iure perenni confirmamus, iuxta formam donationis et priuilegii, dicte ecclesie super hoc collati, de uerbo ad uerbum, de articulo in articulum, sub eisdem testibus roborantes. In cuius rei euidentiam et perpetuam firmitatem pretaxate confirmationis presens scriptum sigilli nostri charactere iussimus insigniri. Datum per manus domini Arnoldi, prepositi Wissegradensis, nostri cancellarii. Anno dominice incarnationis M. CC. III. Indictione septima. XII. Kalendas Julii.

Ex annalibus monasterii Gradic. Mss.

XIII.

Constantia, Boemorum regina, monasterio Gradicensi libertatem, quam rex Přemysl in provincia Olomucensi statuit, etiam in Břeclaviensi provincia concedit, confertque terram in villa Ostrowan. 21. Julii, 1203.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Notum sit vniuersis tam presentibus quam futuris, quod ego *Constantia,* dei nutu Boemorum regina, intendens pietatis affectum mariti mei, regis Boemie, circa cultum ecclesie Dei et sancti protomartyris Stephani, que est sita iuxta urbem Olomucensem,

simulque desiderio feruens, tantorum athletarum Dei, qui ibidem in laudibus Dei diu noctuque iugiter desudant, orationum particeps eflici, ut apud eos perpetuo haberetur memoria nostri, pro statu regni et pro incolumitate mariti mei filiique mei *Wratislai,* et marchionis Morauie *Wladislai,* nec non pro saluatione anime mee et peccatorum remissione, de consensu nobilium Boemorum ac Morauorum eandem libertatem, quam in Olomucensi prouincia per omnes uillas abbatie prefate ecclesie rex statuit, in prouincia *Brecizlauiensi,* quam iure hereditario illi a nobis acceptam possident, in omnibus suis uillis ibidem habendam concedimus perpetuo, ita ut nec uillici principum uel militum, nec camerarii castrorum eas ullo ausu in aliquo casu cuiuslibet exactionis causa ingredi presumant, donec domino abbati, vel ceteris fratribus, vel curiali eorum casu manifesto accusatus vel accusandus, iudicandus vel dampnandus, fur vel homicida, omni iudicio vel satisfactioni per eos representatus assistat, et in quo iudicatus fuerit, nulli preter abbatem et fratres respondeat. Omnem etiam censum annualem, qui collecta nuncupatur, eidem monasterio beati Stephani in usum fratrum omni tempore possidendum atque colligendum concedimus, et per omnia eandem libertatem, quam episcopatus Olomucensis habet, eidem ecclesie habendam statuimus. Ne igitur inuasoribus ecclesiarum hoc immutandi statutum libera facultas tribuatur, et ne imposterum aliqua controuersia suboriri queat processu temporis, hoc euidens priuilegium presentis scripti memoria cum sigilli nostri impressione et personarum idonearum testimonio roboramus. Sub eiusdem etiam sigilli nostri munimine, interuentu *Hermanni* abbatis et fratrum eiusdem loci, terrulam desertam in uilla *Ostrouan,* spectantem ad camerarios, ecclesie prefate perpetuo possidendam concedimus. Ad confirmationem itaque huius priuilegii nomina testium, in quorum presentia hec statuta sunt, hic sunt subscripta.

Ex annalibus Gradicen. Mss., ubi datum privilegii quidem omissum est, verum tamen e nonnullis consignationibus facile restituitur.

XIV.

Innocentius papa III. populum Lombardiae Ottonis partibus adstringere cupiens scribit, ducem Bohemiae cum fratre suo marchione Moraviae, nec non Landgravium Thuringiae eidem juramentum fidelitatis praestitisse. Datum Anagniae III. Idus Decembris, **1203.**

Innocentius seruus seruorum Dei. Archiepiscopis et episcopis, et aliis ecclesiarum prelatis, rectoribus, potestatibus, consulibus, marchionibus, comitibus, et aliis nobilibus constitutis in Lombardia salutem et apostolicam benedictionem. Monemus igitur vniuersitatem vestram, et exhortamur attentius, et per apostolica scripta mandamus, quatenus ob reuerentiam apostolice sedis, et nostram, et proprie libertatis obtentu, quod omisistis hactenus, sine dilatione qualibet suppleatis, ex iis, que iam fecimus plenius intellectis, qualiter in fauorem regis ipsius debeamus procedere, rescribentes, non solum consilium, sed auxilium vestrum nobis efficaciter tribuatis, vt quod bene incepimus, melius compleamus. Ecce etenim dominus nostrum videtur approbasse consilium, vel nobis illud misericorditer inspirasse, cum rex ipse de die in diem fiat se ipso robustior, et regnum eius iugiter roboretur, et debilitetur quotidie pars aduersa, non tam humana manu, quam deiecta diuina. Cum enim hoc anno dux Sueuie supradictus terram nobilis viri Langrauii Thuringie fuisset ingressus, et quandam ciuitatem ipsius cum suis fautoribus obsideret, rex ipse nutantibus etiam quibusdam ex suis cum duce Bohemie, et aliis, qui auxiliantur eidem in auxilium Langrauii properans obsidentes obsedit, et faciente cum eo domino signum in bonum, Ph. de Thuringia in Saxoniam ad maiorem exercitum colligendum aufugit, sed nec ibidem illum exspectare presumpsit, immo ad ciuitatem, in qua sui obsidebantur, occulte reuertens, relicto exercitu, et disperso cum paucis in Sueuiam latenter abscessit. Ceterum rex predictus non paucis castris, et terris, que duci fauerant, potenter acceptis, in locis, que ille prius habuerat, solemnes curias celebrauit tam a Langrauio, quam duce Bohemie, quem ipsi regem appellant, et fratre ipsius *marchione Morauie,* a multis quoque comitibus suppanis fidelitatis iuramenta recepit, et eos de feudis suis solemniter iuxta imperii consuetudinem inuestiuit etc. Datum Anagnie III. idus decembris.

Raynald. T. XIII. p. 103. ad annum.

XV.

Innocentius papa III. supanis Boemiae gratulatur de victoria Ottoni, Romanorum regi, contra Philippum parta. Mense Decembri, 1203.

Innocentius seruus seruorum Dei . . . . . Suppanis regni Boemie salutem et apostolicam benedictionem. Deuotionem vestram in domino commendamus, quod sicut veridica multorum relatione comperimus, venerabilem nostrum Prenestinum episcopum apostolice sedis legatum ob reuerentiam dei, et nostram humiliter recepistis, et curastis honorifice pertractari, ita quod ad commonitionem eius relictis vxoribus, et filiis vestris in forti manu, et brachio extento cum domino vestro Bohemiam exeuntes, charissimo in Christo filio nostro illustri regi Othoni in Romanorum imperatorem electo potenter et viriliter astitistis: in accessu autem vestro ei plurimum honoris accessit, cum congressum eius ipsius fugerit inimicus, nec coram vobis ausus fuerit comparere, sed disparuerit potius, et ad propria redierit relicto exercitu, et disperso. Super hoc igitur nobilitatem vestram prosequentes actionibus gratiarum monemus, et exhortamur attentius, quatenus sicut bene cepistis, eidem regi de cetero fideliter, et fortiter assistatis, et faueatis, ac promoueatis taliter partem eius, quod ipsius negotium in breui dante domino feliciter consummetur. Nos enim reputabimus nobis ipsis impensum, quicquid gratie, et honoris ei duxeritis impendendum. Datum etc. . . . . .

Raynald. T. XIII. pag. 104. — Baluze — de negot. imperii epist. 102.

XVI.

Otto, rex Romanorum, Innocentio papae III. gratias agit, quod ejus sollicitudine Boemorum rex et marchio Moraviae ad suam partem accessere. Mense Decembri, 1203.

Sanctissimo Patri ac domino Innocentio Dei gratia sacrosancte Romane ecclesie summo Pontifici Otto eadem gratia et sua Romanorum rex et semper Augustus salutem cum filiali dilectione. Cum post Deum,

Pater sancte, vos semper habeamus propitium et benignum, sicut exaltatio et sublimatio nostri honoris manifeste declarat, et honorem nobis diuinitus collatum Deo et vobis semper velimus adscribere, cum in cinerem et fauillam negotium nostrum redactum fuisset, si manus vestra vel auctoritas beati Petri in partem nostram non declinasset, hoc semper pre oculis habebimus quoad usque vixerimus. Sane innotescere vobis cupimus, quod status noster de die in diem prosperatur; et hoc non excellentie nostre, sed Deo et vobis et ecclesie Romane adscribimus. *Regem Boemie,* langrauium Thuringie, *marchionem Morauie* per potentiam non habuimus, sed per magnam vestram solicitudinem et frequentem; de quo non dubitamus, sed de die in diem super hoc magis certificamur. Curiam enim solemnem habuimus proxima quinta feria ante festum beati Martini; in qua multi principes imperii fuerunt, archiepiscopi, episcopi, duces, comites, et alii quam plurimi nobiles. In ea vero talia sunt ordinata et statuta, que scriptis committere non audemus, sed latori presentium dilecto et familiarissimo clerico nostro H. de Aquileia memoriter commendauimus, et ei firmiter sub obtentu gratie nostre iniunximus, ut vobis omnia per ordinem referat. Firmiter enim credimus quod de nobis incepistis infra paucos dies, hoc est, in purificatione beate Marie, bono fine consummabitur. Principes enim superiores, videlicet archiepiscopus Salzburgensis cum suffraganeis suis, dux Austrie cum nobilibus terre sue, et dux Bavvarie, terras eorum a nobis recipient, et fidelitatem prestabunt, ita per Dei gratiam quod discordia in gratiam conuertetur. Expedit enim vobis et nobis ut consilium vestrum et auxilium apponatis sicut videritis expedire. Rogamus igitur paternitatem vestram, ut solito more benigne legationem nostram audiatis, et consilium vestrum, quod magnum est, apponatis, et latorem presentium H. de Aquileia quam citius poteritis nobis transmittatis; quia in predicta curia consilio vestro et auxilio una cum principibus imperii uti volumus, facturi quod nobis mandaueritis. Ea que lator presentium super iis vobis dixerit, indubitanter credatis. Predicta curia erit apud Vvoldam. Dominus legatus non interfuit curie Susati, quia pro negotiis ecclesie ac nostris ad partes ierat orientales.

Baluze I. pag. 735.

XVII.

Wladislaus, marchio Moraviae, ordinis s. Joannis Hierosolymitani bona in Moravia ab omni onere et jurisdictione laicali eximit. **1204.**

In nomine sancte trinitatis et indiuidue unitatis. Ego *Watiszlaus* dei gracia marchio Morauie. Cum in presenti laus sit principum et gloria. quociens religiosorum bona libertate gaudent. et sumunt incrementa. inde tamen post huius uite cursum eorum perpetuantur tituli. et fulget memoria. eo quod pro libertate ad momentum concessa. datur libertas perpetua. et pro tantillo semine redditur fructus cum usura. Cum igitur inclite memorie pater noster illustris rex boemorum religiosas domos libenter fundauerit. et semper prouexerit. tenentur filii industrii boni patris imitari uestigia. et suis post se successoribus pietatis relinquere exempla. Nouerint itaque tam presentes quam futuri. quod ego Watiszlaus marchio Morauie *fratribus domus hospitalis sancti iohannis baptiste.* tantam in principatu nostro contulimus libertatem ut liceat eis in quascunque hereditates suas locare quos uoluerint ita ut uocati iure theutonicorum quiete et sine uexatione utantur. Exactiones in tributo terre et omnes alias ad usus nostros spectantes indulgemus. sed habeant in omnibus sicut habent theutonici securam libertatem ius stabile et firmum. secundum quod fratres cum eis ordinauerint. Vt autem istud futuris temporibus ratum et inconcussum permaneat. fecimus hanc paginam nostro sigillo insigniri. et multis testibus. quorum nomina sunt subscripta muniri. Quicunque autem in presenti uel in futuro fratres super hoc turbauerit. deum cuius sunt serui cum beato Johanne et omnibus sanctis sibi sentiat aduersum. Isti sunt testes. Rvobertus episcopus Olomucensis. Vulcech camerarius. Detrich Grutouich. frater eiusdem Sdislaus. Vers. Prebor. Onsouic. Veliz. Ratibor. Oldrich Oldrichouich. Smil Ondreiouich. Vvssata. Sdon. Jurata cum filio. Ut autem premissa rata permaneant. ego Robertus. Olomucensis episcopus ex petitione domini marchionis. auctoritate omnipotentis dei et sanctorum apostolorum Petri et Pauli et nostra quemcumque super hoc fratres hospitalis turbantem excommunicauimus ad horum testimonium presenti scripto nostrum sigillum inprimentes. et per omnia supradicta confirmantes.

Ex originali in archivo Melitensium Pragae. Inter privilegia n. XXI.

XVIII.

***Robertus, episcopus Olomucensis, testatur, Agnetem de Potworow contulisse monasterio Plasensi in die consecrationis quasdam villas.* 1204.**

Nouerint tam presentes, quam futuri, quod cum ego *Rubertus* Olomucensis episcopus consecrarem ecclesiam maiorem Placensis monasterii, domina quedam Agnes nomine nobilis cuiusdam viri Cunonis de Potvorov vidua, villas quasdam Placensi monasterio in eiusdem ecclesie consecratione contulit, quarum hec sunt nomina: Mozidlik, Hluboky, Upleuice, Udrazka, Srubni. Fuit autem eius ordinatio talis, ut de reditibus et prouentibus harum villarum conuentus Placensis haberet oleum et allecia in aduentu domini, et in quadragesima. Aliam autem villam Wladimierz nomine, quam emit, ad hoc ordinauit, ut de eius prouentu commode et sufficienter procurentur in cena domini pauperes aduenientes. Ut autem hec essent rata et inconcussa, rogauit me ista sub excommunicatione ponere. Quod et feci. Quicunque ergo ista immutauerit, cuiuscunque conditionis sit vel dignitatis, siue sit episcopus, siue rex, siue abbas, siue monachus, siue clericus, siue laicus, a Domino omnipotente sit excommunicatus. Facta sunt autem ista episcopatus domini Danielis Pragensis episcopi anno quinto, cuius permissione ac voluntate maiorem ecclesiam prefati monasterii Plasensis consecraui. Anno ab incarnatione domini M. CC. IIII.

Dobner Annales Hageciani T. VII. pag. 74. Ms.

XIX.

Innocentius papa III. regi Boemorum privilegia ab imperatoribus concessa et ab Ottone nuper confirmata, auctoritate etiam apostolica confirmat. Datum Laterani XVII. Kalendas Maji, 1204.

E regesto Innocentii III. anni VII. epist. 54. — Apud Brequiny et du Theil. —

XX.

Innocentius papa III. Otakarum, regem Boemiae, jam Ottoni adhaerentem, deinceps regem agnoscere et nominare velle scribit. Datum Laterani XIII. Kalendas Maji, 1204.

Innocentius seruus seruorum Dei. Illustri . . . . regi Bohemorum salutem et apostolicam benedictionem. Licet ante tue promotionis tempora multi fuerint in Bohemia regio diademate insigniti, nunquam tamen potuerunt a predecessoribus nostris, Romanis Pontificibus obtinere, vt reges eorum in suis litteris nominarent. Nos quoque tum predecessorum nostrorum vestigiis inherentes, tum considerantes solicite, quod a nobili viro Philippo duce Sueuie te feceras coronari, qui cum coronatus legitime non fuisset, nec te, nec alium poterat legitime coronare, regem te hactenus non duximus nominandum. Verum cum ad commonitionem apostolice sedis et nostram relicto duce Sueuie ad charissimum in Christo filium nostrum illustrem regem Othonem in Romanorum imperatorem electum te conuerteris vsus consilio saniori, et ipse habet te pro rege, tam intuitu precum eius, quam tue deuotionis obtentu, regem te de cetero reputare volumus et vocare. Tu igitur taliter gratiam tibi factam agnoscas et sic ingratitudinis vitium studeas euitare, ut tua deuotio mereatur, quod et gratia tibi detur ex gratia, et data gratis perpetuo conseruetur, prouisurus attentius, ut quanto citius poteris, ab eodem rege Othone te facias sollemniter coronari. Datum Laterani XIII. Kalendas Maii.

E regesto Innocentii III. anni VII. epist. 49. Excusa apud Raynaldum, Balbinum, Goldastum, Brequiny et alios.

XXI.

Innocentius papa III. archiepiscopo Moguntino notam facit Boemorum petitionem circa erigendam metropolitanam in Boemia. Datum Laterani XII. Kalendas Maji, 1204.

Innocentius seruus seruorum Dei. Venerabili fratri . . . . . Archiepiscopo Maguntinensi salutem et apostolicam benedictionem. Usque adeo

se nobis in facto tuo hactenus pro maiori parte opposuit ecclesia Maguntinensis et sic contumaciter in sua obstinatione permansit, nec adhuc etiam adicit ut resurgat, ut si ei vellemus pro meritis respondere, non solum quia te caput suum admittere despicit, membris possemus eam penitus mutilare, sed quia non intelligit quante dignitatis priuilegium et honoris augmentum per sedem sit apostolicam consecuta, deberemus reducere caput ad caudam et primam nouissimam facere ac nouissimam prime preferre in perpetuam memoriam rebellionis ipsius et eius opprobrium sempiternum, ut ex pena ipsius alii discerent, quod non est tutum contra torrentem brachia dirigere et contra stimulum calcitrare. Verum quia personam tuam sincera diligimus in Domino caritate, pro te adhuc eidem ecclesie duximus deferendum, licet quanto magis differimus penam eius, tanto simus etiam grauius punituri, nisi quantocitius expiauerint culpam suam et genimina viperarum, que in ea latebras suas fouent, pedibus tuis exhibuerint se calcanda et apud te cum filio prodigo proclamarint: Pater iam non sumus digni vocari filii tui, fac nos sicut aliquos ex mercenariis tuis et inter ipsos admitte, qui te pastorem nostrum et animarum nostrarum episcopum non admisimus hactenus, nec fuimus venerati. Sane supplicarunt nobis carissimus in Christo filius noster illustris rex et populus Boemorum, ut cum tu propter locorum distantiam et diuersitatem linguarum minus sufficias circa eos metropoliticum officium exercere, nos qui vice Christi tenemur uniuersis fidelibus prouidere sollicitudine pastorali tum propter euidentem utilitatem, tum etiam propter necessitatem urgentem in Boemia cum spaciosa et populosa sit multum, sedem metropoliticam statuere dignaremur, per quam non tam honori eorum, quam saluti utiliter consulatur. Licet autem propter contumaciam ecclesie Maguntinensis petitio hec accelerari deberet potius quam differri, ne tamen contra te aliquid agere videremur, eam non statim admittendam, sed super hiis, que circa eam inquirenda fuerunt, mandamus inquiri, ut si forsan euidens utilitas et urgens necessitas id exposcat, prouideamus ecclesie Maguntinensi, dum tamen a suo resipiscens errore ad mandatum apostolicum humiliter reuertatur, ut per hoc non tam aliquid honori eius subtractum, sed additum videatur. Hec igitur fraternitati tue duximus intimanda, ut tuam nobis significes voluntatem, sciturus, quod si super hoc duxerimus procedendum, honori tuo sufficienter dante Domino

curabimus prouidere. Datum Laterani XII. Kalendas Maii. Pontificatus nostri anno VII.

E regesto anni VII. Innocentii III. epist. 51. — Apud Baluze — De negot. imperii.

XXII.

Innocentius papa III. canonicis et ministerialibus Moguntinis petitionem Boemorum circa erigendam in Boemia metropolitanam notam facit. Datum Laterani XII. Kalendas Maji, 1204.

Innocentius seruus seruorum Dei. Canonicis et ministerialibus Moguntinis spiritum consilii sanioris. Supplicarunt nobis humiliter et deuote carissimus in Christo filius noster illustris rex et populus Boemorum, ut cum archiepiscopus uester Moguntinus propter locorum distantiam et diuersitatem linguarum minus sufficiat circa eos metropoliticum officium exercere; nos qui uice Christi tenemur uniuersis fidelibus prouidere sollicitudine pastorali, tum propter euidentem utilitatem, tum etiam propter necessitatem urgentem in Boemia, cum spaciosa et populosa sit multum, sedem metropoliticam statuere dignaremur, per quam non tam honori eorum, quam saluti utiliter consulatur, ut cum per Romanum imperium obtinere meruit regiam dignitatem, ita quoque per Romanam ecclesiam mereatur dignitatem metropoliticam obtinere. Licet autem multi de Moguntina ecclesia, si tamen dicendi sint de ecclesia, qui suis exigentibus culpis precisi sunt ab ecclesiastica unitate propter rebellionis excessum et inobedientie uitium, in quo contra maiestatem diuinam, Romanam ecclesiam et archiepiscopum suum obstinata mente perdurant, graui meruerint animaduersione puniri. Nos tamen, qui correctionem paterno desideramus affectu, memores eius, quod filia specialis et honorabile membrum existit, non statim petitionem huiusmodi duximus admittendam; sed prius inquirere disposuimus, que super hiis fuerint inquirenda, ut si forte petitionem ipsam admittendam esse nouerimus, prouideamus in ea, sicut expedire uiderimus ecclesie Moguntine, dum tamen a suo errore resipiscens se non reddat indignam, alioquin non

nobis, sed uobis merito poteritis imputare, si forte, qui caput obiicitis, membrum aliquod amittatis. Verum igitur erit taliter honori nostro deferre, ut et nos uestro debemus deferre honori, prouidentes uobis in tempore oportuno, ne forte post tempus non prouidentie, sed penitentie uobis locus merito reseruetur. Datum Laterani XII. Kalendas Maii. Pontificatus nostri anno septimo.

E regesto Innocentii III. anni VII. T. 2. epist. 53. — Apud Würdtwein in novis subsidiis diplom. T. II. p. 106.

XXIII.

Innocentius papa III. respondet regi Boemorum ad petitionem circa erigendam metropolitanam in Boemia. Datum Laterani XI. Kalendas Maji, 1204.

Innocentius seruus seruorum Dei. Carissimo in Christo filio . . regi Boemorum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Monet nos tue nobilitatis deuotio et fidei sinceritas exhortatur, ut in quibus cum Deo et honestate valemus, petitiones tuas benignius admittamus, cum enim consiliis nostris acquieueris hactenus et in posterum mandatis apostolicis te exponas, decet, ut deuotioni tue dilectio nostra respondeat et sedes apostolica te honoret, cum tu eius honorem studeas efficaciter promouere. Sane per tuos nobis nuncios supplicasti, et carissimus in Christo filius noster. . . . Hungarie rex illustris pro te apud nos suppliciter intercessit, ut in Boemia metropolim constituere dignaremur cum spaciosa et populosa sit terra et ab ecclesia Moguntinensi, cui est metropolitico iure subiecta, quam locorum distantia, quam linguarum diuersitate diuisa, ut cum per Romanum imperium obtinere meruerit regiam dignitatem, per Romanam ecclesiam mereatur dignitatem metropoliticam obtinere. Licet autem tam te, quam terram tuam uelimus, in quibus honeste possumus, honorare, quia tamen arduum est negotium, et petitio continet nouitatem, mirari te noluimus, si non protinus preces tuas duximus consumandas, cum magna deliberatione res egeat, ut quod dispositum fuerit, tanto stabilius perseueret, quanto cum maiori fuerit maturitate statutum, si quidem ostendenda nobis est prius et

urgens necessitas et utilitas euidens, que fieri non exposcat facultas et voluntas ecclesie, in qua sedes debet metropolitica stabiliri, et utrum in Boemia dioceses possint statui competenter statuende metropoli supponende. Preterea conuenienda et commonenda super hoc est ecclesia Maguntinensis, ne si aliter autem fuerit venerabilem fratrem nostrum S. Maguntinensem archiepiscopum quem ereximus, deicere videamur, si ex hoc concitauerimus plus in eum ecclesie sue odium et scandalum ciuitatis. Ut reddamur igitur de omnibus certiores, dilectum filium T. subdiaconum et capellanum nostrum virum utique literatum, prouidum et discretum nobis et fratribus nostris merito sue probitatis acceptum, in Boemiam destinamus, qui super hiis et aliis, de quibus viderit inquirendum, inquirat et plene nobis super hiis, que contingant negocium ipsum, significet veritatem. Tu quoque non tantum per litteras tuas, et populi, sed per solempnes nuncios tuos et episcopi ac ecclesie, quos talia petere deceat, peticionem tuam poteris innouare, ut super hiis melius procedere valeamus, prout viderimus expedire. Nos autem promptam gerimus voluntatem in hiis et aliis petitiones tuas, quantum cum Deo possumus exaudire. Tu ergo facias eundum subdiaconum secure ad presentiam predicti archiepiscopi Maguntinensis perduci et presentari litteras nostras capitulo Maguntinensi, ne si aliquid omissum fuerit ex hiis, que ipsi inquirenda commisimus, in negocio ipso plene procedere non possimus. Datum Laterani XI. Kal. Maii. Pontificatus nostri anno VII.

E regesto anni VII. Innocentii III. epist. 52. — Apud Baluze — De negot. imperii.

XXIV.

Innocentius papa III. Pragensi et Olomucensi episcopis et archidiacono de Bechyn mandat, ut, si quis Boemorum regi damnum aliquod inferre tentaverit, censuris ecclesiasticis compescant. Datum Laterani XI. Kal. Maji, 1204.

Innocentius seruus seruorum Dei. Venerabilibus . . . Pragensi et Olomucensi episcopis et archidiacono de Behin salutem et apostolicam benedictionem. Cum carissimus in Christo filius noster P. illustris rex

Boemie iuxta mandatum nostrum ad subsidium carissimi in Christo filii nostri illustris regis Ottonis in Romanorum imperatorem electi sit expositus et paratus, pati nolumus nec debemus, ut ab aliquibus pregrauetur, maxime dum in eius fuerit obsequio constitutus. Ut autem indemnitati ipsius auctoritate apostolica consulatur, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus atque precipimus, quatenus si qui forsan in preiudicium eius aliquid presumserint machinari, unusquisque vestrum parochianos suos laicos per censuram ecclesiasticam, clericos vero per subtractionem beneficiorum, sublato appellationis obstaculo, ab huiusmodi presumtione auctoritate nostra compescatis. Datum Laterani XI. Kalendas Maii.

E regesto Innocentii papae III. lib. VII. epist. 55. apud Brequiny et du Theil II. 489.

XXV.

Premysl, rex Boemorum, confirmat et enumerat latissime omnes pias praedecessorum suorum donationes monasterio s. Joannis in Ostrow, ordinis s. Benedicti, factas sub testimonio Wladislai, marchionis Moraviae, et Roberti, Olomucensis episcopi. Dt. Pragae XVI. Kal. Febr. 1205.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Amen. Gratia salus et pax sit in manus *Premislonis* illustris regis Bohemorum. Notum sit vniuersis Christi fidelibus presentibus et futuris. nos consilio pie caritatis inductos. et presertim intuitu salutis nostre presentis et venture libertati ecclesie *Ostrowiensis* propter aduersitates quibus frequentissime concutitur misericorditer prouidisse et eam ab omni exactione vel solucione. que de iudiciis curie nostre. penes instituta nostrorum antecessorum procedunt. totaliter exemisse. Ne igitur sequaces vel posteros nostros modulus huius libertatis latere possit. graciam et misericordiam quam prefate ecclesie liberaliter concessimus in scripto presenti declarare statuimus. Si quis de hominibus eiusdem ecclesie in furto vel homicidio vel narok vel swod. vel quocunque alio crimine deprehensus fuerit. ita quod causam suam excusare non voluerit. per iudices condempnatus. quod meruit paciatur. de rebus tamen ipsius que ad usum nostrum. et eorum quos eiusdem iudicii aliqua porcio contingit.

supra scripta ecclesia ad sue vtilitatis commodum prout sibi visum fuerit dispensabit. Item si umquam homines prefati monasterii. per quoscunque citari contigerit. pro quacumque causa. non alias sed tantummodo in iudicio Pragensi respondebunt. Insuper etiam capellam sancti Jacobi apostoli in domaslich que quondam a iurisdictione prenominate ecclesie per violenciam fuerat ablata cum suis appendiciis perpetuo possidendam restauramus. Ceturum duos heredes nostros cum circuitu silue que bonis ecclesie memorate adiacebat in villa Trebenycich eidem ecclesie addidimus. Custodes attamen in villa Otrocynyeves. quos quondam eadem ecclesia per uiolenciam occupatos amiserat. ecclesie sancti Joannis baptiste in Ueliz suffraganee sue. ad quam sicut pro certo comperimus. pertinere noscuntur ascribentes in perpetuum reddidimus possidendos. Omnes eciam actus bonorum principum. quantum circa monasterium Ostrouiensis abbacie studiose egerint. et egregia fundacione. donacione sev confirmacione priuilegiorum suorum memoriam sui fecerunt. in vnum collecta. incipientes a primordio fundacionis eiusdem monasterii omnes possessiones sev dotes. vel cetera Deo collota (collata) vt in conspectu presencium. et futurorum robur obtineant ueritatis et in eternum stabili confirmacione inviolata permaneant in vnum colligi et conscribi iussimus hunc in modum. Anno dominice incarnacionis millesimo gratia Dei dux *Boleslaus filius seui Boleslai* per omnia vere katholicus, amore fidei inflamatus. postquam multa ecclesiis Dei vtilia ordinauit. seque viam vniuerse carnis ingressurum persensit. feruens in spiritu caritatis. locum quendam seruis Dei per quosdam nobiles inuenit. et eum in honore sancti Johannis baptiste et aliorum sanctorum confirmari precepit. preficiens ei quendam bone vite virum nomine Lantbertum ordinis sancti Benedicti monachum ab Altaensi monasterio euocatum vere israelitam in quo dolus non erat. quem filio suo tertio Boleslao satis industri viro licet inualitudine corporis attactus sollicite coram primatibus suis commendauit. et eum abbatem vocari et esse precepit. Igitur glorioso duce Boleslao ex hac luce subtracto. filius eius *tertius Boleslaus* paterni precepti non immemor. predictum abbatem piis moribus ornatum tunc temporis episcopo Theadago commendauit. et in sui presencia prout pater postulauerat eum ordinari precepit. atque loci ipsius situm et amplitudinem in sui curam suscepit. et ut post patuit. omnium bonorum inceptor. et stabilitor per semitam iustitie

ardenter cucurrit et ne quis tam boni propositi a diabolo deceptus destructor in futurum existeret. Pragensis ecclesie presulem adiit hoc ipsum perpetuo anathemate cum iuda traditore et eius sequacibus innodandum esse peciit. cvnctis tum presentibus ac clamantibus Amen. Hec sunt ville et alia bona que contulit bone memorie Boleslaus dux. Wodochotij. Zaiecye. Blasin. cum circuitu silue. De familia autem has villas. Sazawa. Sedlce. Myechinicy. piscatores autem Drazowichich. Trebani. Lahowicyh. *Odalricus* pie memorie dux oracionis causa ab (ad) Ostrowiense cenobium hec donaria tradidit verbis interpositis. ut si unquam quis hominum ab hoc monasterio hec auferre moliretur. eterno vinculo cum iuda auaro et impio anatematis plecteretur. Swoysicyh. Nahorubyech. Poryesichyh. *Brecyslaus* bone indolis tyro postquam sedem paterni ducatus obtinuit. hec dona Deo. et sancto Johanni baptiste. Ostrow. pro remedio anime sue suorumque parentum tradidit. Cvsowicyh. debitores mellis. Capellam quoque in spelunca sancti Johannis baptiste huic loco addidit. Insuper et custodes ipsius ecclesie Chrustimichih et Nuncycyh villam cum hospitibus Sedlce. Item aliam capellam in Veliz cum omnibus apendiciis suis dedit. Piscatores Drazowycyh. custodes eiusdem ecclesie Otrocynyewsy. Cyrninye terram ad quatuor aratra. Circuitum quoque silue quod dicitur Zaton. et capellam beati Johannis baptiste. cum omnibus ad eam pertinentibus. Domaslicyh ciuitate eciam ebdomadam decimam theloney contulit cum capella beati Jacobi apostoli cum omnibus apendiciis suis. Inter hec *Spitigneus* dux Bohemorum villam Trebenicyh pro remedio anime sue suorumque addidit. Hercaz eciam quosdam homines qui ter in anno scutellas et cetera vtensilia soluant. *Wratislaus* dux Bohemorum succedens in paternum solium non mediocriter cepit insudare qualiter locum beati Johannis baptiste quod est Ostrow dilataret et ob memoriam sui antecessorumque suorum multa vtilia in diuersis locis contulit. Id est villam Chrynany. aliam quoque villam Wsetycyh. villam quoque. que dicitur Noue sedlo. Hic Wratislaus postposito nomine ducis rex apellatus multa ecclesie prefate donaria dedit casulas et pallia. et alium ornatum in diuersos vsus. villam eciam Stasowye dedit. Insuper et Zymas terram plus quam ad decem aratra cum silua. Qui rex ut prudens homo precauens in futurum ne quis emulus prosperitate habita hec peruerteret. Jaromiro suo fratri tunc temporis Pragensi

episcopo id iniunxit. ut astantibus primatibus Bohemorum nec non et omni plebe eternali vinculo omnes maliuolos nec non et destructores ecclesiastice vtilitatis innecteret. et cum iuda traditore eterno igne puniendos diabolo committeret. Post decessum uero Wratislai bone memorie Bohemorum regis. *Conradus* principatum fraternum obtinuit. qui Deo et sancto Johanni baptiste in Ostrow pro adipiscenda eterna requie hec beneficia addidit. *Krawsco in prouincia Znoymensi* vbi habetur de terra plus quam ad quadraginta aratra. Insuper et siluam addidit. in Bohemia predium Zahoregewicy et villam Chrabercyh. Hoc eciam pie memorie viro de hac vita subtracto. *Brecislaus iunior* id est filius regis Wratislai in ducatum succedit qui eciam monasterio Ostrowiensi pro anima sua suorumque omnium dedit capellam sancti Petri apostolorum principis cum terra ad quatuor aratra et partem fluminis de Blanyeye. *Swathopluch* Dei gracia Bohemorum ducatum cum obtinuisset pro absolucione suorum peccaminum Boyanowicyh villam contulit Deo et beato Johanni baptiste. Ostrowiensi. perpetualiter possidendam. Hec sunt beneficia primatum Mladota quorum egregius primas Colowrathib. terram dedit ad quatuor aratra cum pomerio. et aliam terram que dicitur villa. Wrysowicyh ad duo aratra. Nozislaw egregius miles dedit terram ad quatuor aratra in villa que dicitur Dobric cum pomerio et silua. Swoysye eciam famosus comes dedit terram ad tria aratra. et hoc in villa Crynucy. Naturscye et aliam terram ad tuo aratra in villa que dicitur Chomutowycyh. Zbraslaw. quoque magne memorie vir beato Johanni baptiste in Ostrow beneficium tale contulit. videlicet capellam sancti Adalberti cum terra ad quinque aratra. in villa Thuclecyeh. que eciam dicitur Hawranj. Chotymyr bone indolis vir filius Hilconis dedit terram ad aratrum. in villa que dicitur Bratryenow. Insuper et Criss cum fratre Priestano de stirpe predicti Chotyemjri terram ad tria aratra in villa que dicitur Sedlec dedit. Paulus eciam magni nominis homo attaws Climate de Wsenor. terram ad vnum aratrum in villa Borenowicyh cum silua dedit. Dluhomilus filius Crissye magne nobilitatis vir. Mezun totam villam dedit cum tribus siluis. Ibidem eciam Detricus de genere Wrsowic terram ad vnum aratrum contulit. Notum sit omnibus vere fidei cultoribus quod ego Prawota Deo et sancto Johanni baptiste dono obtuli quod a ducibus pro seruicio merui scilicet super flumen quod dicitur Sazawa naulum cum

mensuris annone que michi et filiis meis prius soluebatur. Insuper et villam que dicitur Horuticyh dedi pro anima mea sancto Johanni baptiste. Bohacyegye quedam matrona nobilis Stephani vxor et mater Bohunye Mascowicych emit de terra ad tria aratra quam deo et sancto Johanni baptiste obtulit. Notum sit omnibus Christi fidelibus quod quidam miles nobilis nomine Wchyna predium quod est in prouincia Churym cui nomen Postupicych deo et sancto Johanni baptiste Ostrow inuiolabiliter contulit cum silua. insuper et terram ad aratrum cum curia et hoc in confinio pragensis suburbii. et locum insule cum humulo quod est in medio fluminis Wlitavve. Cas eciam miles Networycych pro eterna requie ad duo aratra de terra contulit. Bolecey quoque miles capellam beati Adalberty quod est Hrusicych cum terra ad tria aratra. et siluam. aliamque terram ad duo aratra. Vscicych deo et sancto Johanni baptiste obtulit. Gracia dei dux *Wladislaus iunior* nepos Wratislai a Christo succensus cupiens particeps eflici consorcio iustorum quod iuste sibi optandum est. et nostris oracionibus impetrandum. dedit siluam adiacentem prope predio sancti Joannis baptiste quod vocatur Putim. vbi est ecclesia constructa in honore beati Petri principis apostolorum. Notum sit omnibus vere fidei cultoribus tam presentibus. quam posteris eorum. quod quidam miles nomine Asinus filius hozee. dedit quandam ecclesiam pro remedio anime sue. suorumque parentum in loco. qui Crusina nuncupatur. et hoc ad monasterium sancti Johannis baptiste Ostrow. Predium quoque quod est Pristupymy ad idem monasterium obtulit. et terram Pocatycych ad aratrum suficiens. et circa prefatam ecclesiam terram dedit ad aratrum. Hoc quoque tam boni propositi beneficium. dominus Otto duodecimus sancte Pragensis ecclesie episcopus cum ceteris fratribus tanbanno (sic) quam presenti scripto sanctiuit. quod quicunque huius bone voluntatis propositum euertere voluerit. in extrema tremendi examinacione iudicii. non solum cum iuda proditore domini nostri ihesu christi. sed eciam cum omnibus destructoribus ecclesiastice vtilitatis racionem redditurus sit. Dobrowyest eciam nobilis matrona terram Lubochowicych ad tria aratra apposuit. Vt autem presentis nostre donacionis libertas robur firmitatis obtineat. in eternum. ad maiorem ydoneitatem et fidem habendam. tam nostri quam et sanctissimi patroni nostri Wencellay sigilli munimine specialiter presens scriptum cum supradictis donacionibus

confirmamus. que nomina testium qui huic donacioni nostre presentes affuerunt. et nostro facto consenserunt subnotauimus. Sunt autem hec. Daniel episcopus Pragensis. *Rupertus episcopus Morauiensis. Wladislaus frater noster marchio Morauie. Theobaldus dux.* Crynynus camerarius. Budiuoy iudex. Benedictus notarius. Zlawko. Jaroslaus. Smilo. Arnust. Wilkelmus. Nostup. Diuys. Budislaus. Benes. Bohuslaus subcamerarius. Acta sunt autem hec anno incarnacionis Domini millesimo. ducentesimo. V. Datum per manus Rapotonis regalis aule cancellarii. sexto decimo Kalendas februarii. serenissimo Bohemorum rege *Premislone curiam in octauis epiphanye Prage cum vniuersis Bohemis celebrante.* Si quis autem posterorum odio uel invidia ductus ea que sepe dicte ecclesie concessimus. aliqua temeritate vel pretextu superstitiose occasionis irritare forte voluerit. eterni iudicis iram. et tormentum inextinquibilis ignis cum iuda. et pilato se nouerit incursurum.

Ex originali in archivo Trebonensi in analectis F. Palacky. Sigillum olim appensum adfuisse memoriae scriptae testantur. Excusum incorrectius apud Piter in Thesauro abscondito p. 151.

XXVI.

Innocentius papa III. Olomucensi episcopo scribit in favorem P., qui ad sacerdotii ordinem diaconatus gradu praetermisso promotus fuerat. Datum Romae XII. Kalendas Februarii, 1205.

Innocentius seruus seruorum Dei. Venerabili fratri . . Olomucensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem. Tue nobis presentate litere continebant, quod sicut ex relatione quorundam bonorum virorum acceperas, P. presbyter, lator presentium, diaconatus ordine pretermisso, se fecit ad gradum sacerdotii promoueri. Cumque super hoc ab ipso quesiisses diligentius veritatem, ipse tibi secreto est humiliter confessus, se pro certo nescire, si res taliter se haberet. Sed ex quo boni viri hoc asserebant, inter quos fuerat conuersatus, credebat assertioni eorum, eo quod ipse tempore, quo ordines inferiores suscepit, infra annos discretionis fuerat constitutus. Tu igitur ipsum ad apost. Sedem transmittens nobis humiliter

supplicasti, ut cum eo misericorditer agere dignaremur. Nos igitur eius miserie condolentes, Fraternitati tue per apost. scripta mandamus, quatenus condignam penitentiam pro huiusmodi negligentia iniungas eidem, et ea peracta, quia non intelligitur iteratum quod factum esse nescitur, ipsum in diaconum ordinare procures. et sic de misericordia eumdem ministrare permittas in ordine sacerdotis. Datum Rome apud s. Petrum XII. Kalendas Februarii.

Ex Innocentii III. regesto lib. VII. epist. 192. apud Brequiny et du Theil II. p. 613.

XXVII.

Innocentius papa III. fratribus hospitalis s. Joannis possessiones in Boemia et Moravia confirmat. Dt. Romae Nonis Novembris, 1205.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis . . priori. et fratribus hospitalis Ierusalem in Boemia constitutis. salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod iustum est et honestum tam uigor equitatis quam ordo exigit racionis. ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti in domino filii uestris iustis precibus inclinati. personas uestras et possessiones que in Boemia et *Morauia* uobis pia sunt liberalitate collate uel quas in posterum deo propitiante iustis modis poteritis adipisci. sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre protectionis infringere uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Rome apud sanctum Petrum Nonis Nouembris. Pontificatus nostri anno octauo.

Ex originali in archivo Melitensium Pragae. Inter papalia n. XXVI.

XXVIII.

Innocentius papa III. immunitates fratribus s. Joannis in Moravia a Wladislao marchione concessas una cum possessionibus in Kaunice et capella in Hrušowan confirmat. Datum Romae VIII. Kalendas Maji, 1206.

Innocentius seruus seruorum Dei. Dilectis filiis . . . fratribus hospitalis s. Johannis ierosolimitani. salutem et apostolicam benedictionem. Justis petentium desideriis dignum est nos facilem prebere consensum. et uota que a rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Ea propter dilecti in Domino filii uestris iustis et deuotis postulationibus gratum impertientes assensum. libertates et immunitates hospitali uestro et hominibus eiusdem a karissimo in Christo filio *W(ladislao)* illustri marchione Morauie in terra ipsius concessas. sicut in eiusdem marchionis priuilegio plenius continetur. nec non nouas uestras possessiones. uobis a comite Adalberto in *Cunici* collatas. una cum capella in *Grussouane*. hospitali uestro auctoritate apostolica confirmamus. et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere. vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit. indignationem Dei et beatorum Petri et Pauli. apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Rome apud s. Petrum VIII. Kalendas Maii. Pontificatus nostri. anno nono.

E fasciculo copiatorum diplomatum in archivo Melitensium Pragae.

XXIX.

Robertus, episcopus Olomucensis, vendit Lupo militi villam Sobĕbřich. cc. 1206.

Notum sit tam presentibus quam futuris, quod ego *Robertus* dei gratia *olomucensis* ecclesie episcopus uillam que dicitur *Sobebruh*. pro nouem *marcis Lupo* uendidi hereditario iure possidendam. Sed quia gestis hominum *nouercari solet* processus temporum. nisi testium auctoritate et sigilli munimine roborentur. ideo dignum duximus presentem paginam et testium

ate ac sigilli nostre ecclesie roborare. Testes autem sunt isti. rus decanus et Znohemensis archidiaconus. Stephannus prepositus. rerouiensis archidiaconus. Radoslaus Olomucensis. Moyses Brachi- is. Vthessen. Wrathco. ysaac. Andreas. Petrus. Theodricus. us. Cuzcraj. Jacobus magister. Siphridus. Johannes. Sdeborius. uueligradensis Theclinus. Smil. Andreas. Godata. Sebrith. Jan. l. Bratron. Zuest. Crasota. Ninca. Sobich. Bathik. Jurik. Jacub. Crisan. Wojslau. Sdich. Caston. Pribin. Miloslau. Bogun. Bogusa. . Milgost. Wojtha. Blasej. Piuona. Ranach. Hual. Sdislau. Gilia. Othaslav. Radoslaus qui scripsit.

Ex originali in archivo capituli Olomucensis.

XXX.

comes denuo fundans monasterium Osecense in Boemia pro bonis sdam ab episcopo Olomucensi impetitis alia confert. cc. 1206.

go Joannes comes fundans cenobium ad honorem sancte Marie ek fratres assumens et illi domui mancipans, hec ad ipsam funda- offero. Mascowe villam forensem et circa ipsam uillam de bonis ntum confero, quod annuatim soluet uiginti marcas, et propter quam- arcarum sedecim strichones annone, octo siliginis et octo auene. eterea cum edificare de lapidibus ceperint, offeram tanta bona, que n soluant triginta marcas ad edificacionem, ad claustrum perpetue da. Item ad claustrum exstruendum dabo tres carpentarios appre- t alios tres beneficiatos; preterea rusticos ad eorum in edificando um, quotquot fuerint necessarii, carpentariis alimoniam prebiturus. na omnia, que ad ipsam contuleram fundacionem, que ab *episcopo ensi* dicuntur esse impetitoria, recipio, et totidem de patrimonio meo rio ipsi fundacioni in presenciarum restituo prioribus utiliora. Item laustrali mansioni in ipsis bonis habilissimum atque conuenientissimum, m fluuium nobilibus piscibus piscosum, molendinum in claustro qua- tarum de subtus uertibilium, lapides cementum prope locum, ligna

super locum et circa locum ad edificia construenda sufficiencia, hortum circa locum, duos fontes ductiue super locum nobiles. Item bona marcarum uiginti, duodecim araturas fertilis terre de pecunia mea instituam. Insuper villam fratris mei Pribislai, nomine Sarbedunam, claustro conferam, ubi sunt prata nobilis feni infinita, piscaciones bone, nemora bona. Ego preterea siluam ad faciendas uillas satis fundi copiosam inducam. Insuper quoad uixero, a dando non cessabo. Item quatuor molendina marcam annuatim soluencia ad luminaria ecclesie perpetuo conferro. Item edificiorum succisa ligna super locum prescindere faciam.

Ex analectis Mss. J. E. Horky.

XXXI.

Přemysl, rex Boemorum, renovat et auget ecclesiae Olomucensis libertates, et proventus praepositurae de novo creatae assignat. Actum Olomucii, 1207.

C†. In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Ego *Premyssl* dei gracia rex Boemorum tercius. Venerabili *episcopo Olomucensi Ruberto* suisque successoribus et Olomucensi ecclesie in perpetuum. Cum regie dignitati cedat ad gloriam quociens sanctam veneratur et sublimat ecclesiam. nostre placuit serenitati eius preuidere necessitati ita ut nostre benignitatis experiatur beneficia et nobis inde proueniant diuini muneris emolumenta. Nouerit itaque tam presens etas quam futura posteritas, quod antiqua Olomucensis ecclesie renouantes priuilegia omnes possessiones eius habitas vel habendas siue sint in Boemia siue in Morauia ab omni genere tributorum vectigalium collectarum aliarumque omnium exaccionum esse absolutas decreuimus. adicientes ut nullus pro castrorum edificacione vel reedificacione siue pro aliqua ingruenti expedicione secundum quod in antiquis continetur priuilegiis. homines episcopatus et ecclesie audeat inquietare. Jus quod datur pro capite siue pro fure vel pro swod principi vel eius inbeneficiatis. venerabili patri nostro Ruberto episcopo et eius successoribus et ecclesie concessimus perpetuo obtinendum. Hoc statuentes de fure si in maleficio

fuerit deprehensus manens in prediis ecclesie siue capiatur et coram iudicio conuincatur eius bona furis remaneant. ipse vero secundum quod placuerit principi puniatur. Si vero homines episcopatus et ecclesie in aliquo coram iudicio culpabiles inueniuntur. nec nobis nec iudicibus nostris curialibusque vel inbeneficiatis aliquid inde proueniat vtilitatis. sed apud episcopum et eius successores culpe perseueret satisfaccio, nisi in quo tenetur satisfacere aduersario. Cetera vt omnia breuiter comprehendamus. omne ius quod spectat ad usus principum eis remittimus ut plena et perfecta gaudean libertate. nec ullus eis nouas condiciones audeat inponere uel eorum iura mutare. Villam *Cromezir* cum foro et omni iure suo quam quasi episcopo Olomucensi obligatam precedencium principum fatebatur inuidia cum felicis memorie Johannes episcopus a reuerendo patre nostro Ruberto, qui inpresenciarum est decimus a principe Morauie Ottone nigro pro CCC marcis emerit ab omni inpeticione nostra et successorum nostrorum absoluimus. sanctientes quod episcopus Olomucensis et eius successores plenam in ea habeant omni inpedimento remoto pro uelle suo disponendi facultatem. Cum autem omni iuri diuino contraria inoleuerat consuetudo quod decedente episcopo bona illius in usus principum vendicabantur uisum fuit nostre pietati istam abolere abusionem hoc decernendo. quod ultima fata decedentis episcopi ecclesie non cedant ad detrimentum. cum eius patroni beatus Petrus apostolus et Paulus et felix martyr Wencezlaus aput deum uiuant in eternum. Decedente ergo episcopo omnia episcopatus et ecclesie bona sub manu decani et prepositi ecclesie illius integra eius successori reseruentur. nec aliquis ea audeat occupare et minuere uel in usus principum vendicare. Contigit etiam quod ab antiquis temporibus ecclesia illa prepposito carebat. unde uisum fuit patri nostro Ruberto in ea prepositum ordinare qui fratribus illius ecclesie debito modo prouideret et eorum necessitati responderet. Sed cum deceat regiam manum ubique pluere beneficia. prepositure illi *cancellariam* nostram cum uilla que uocatur *Vherchi* ad quam decimus denarius cum decima aratrorum nostrorum spectat et omnium rerum ad vtilitatem nostram pertinencium contulimus interdicentes ut nullus hec audeat inmutare. Libertatem etiam in episcoporum electione quam quidem principes inpedire solebant, canonicis ipsius ecclesie secundum iura canonum libere et absolute concedimus et ne inposterum irritetur

prohibemus. Vt autem hec omnia rata et inconcussa permaneant hanc nostre serenitatis paginam nostro sigillo fecimus roborari et a venerabili patre nostro Ruberto in die Pasche publice excommunicari. Si quis autem contra hanc nostram venerit constitutionem rerum suarum graui multetur dispendio et deum cum sanctis suis sibi aduersum in extremo senciat iudicio. Huius rei sunt testes: Walterus decanus Olomucensis et archidiaconus znoemensis. Radosslaus archidiaconus Olomucensis. Bozko archidiaconus prerowensis. Esau archidiaconus brecizlauensis. Hermannus abbas Gradiscensis. Arnust camerarius. Willalmus vsszich. Zlauko. Bogusslaus Odoleni. Boguta et Heinricus frater eius iudex Olomucensis. Medlo castellanus Olomucensis. Sudomirus. Petrus ross. Predbor hebky. Sdisslaus Grutowich. Sudiwoy. Donatus. Sulizlaus cum filio Slawata. Johannes cum fratre Hren. Odolen. Rohhche. Radosslaus. Pribizlaw swarouich cum fratre Sdizlao. Semizlaus cum filiis. Kohhanus. Budisslaus. Pomnen iarognewich. Bludo. Doben cum fratre Nedamiro. Jacobus. Lutek. Zbrazlaw. Weliz. Velen. Buz. Bicen. Rathmir. Predbor cenakovvich. Voysslaw. Sezema. Luder. Neplah. Skyrben. Sudek. Sobehyrd de Clobuch. Voyteh cum fratre Domamiro. Smil. cum fratre Andrea. Gron. Ondreiek. Boruth filius Wok. Prebor filius Bun. Stanimir filius Wlassin. Canonici Olomucenses: Wratek. Vtessen. Zbignew. Andreas. Chuzcray. Bogusslaus. Petrus. Jacobus. Ziffridus. Stephanus. Acta sunt hec in Olomuc. Anno ab incarnatione domini Millesimo CC. VII. Datum per manus Rappotonis notarii.

Ex originali duplici, quorum primum in archivo archiepiscopali Cremsirii, alterum in archivo capituli Olomucensis asservatur. — Item apographum in cod. membr. Olomucensis capituli I. f. 2. — Item ibidem fol. 19. —

XXXII.

Innocentius papa III. Wladislaum, Polonie ducem, de obstinatione sua in perpetratis contra libertatem ecclesiasticam graviter redarguens, mandat se Pragensi, *Olomucensi*, Misnensi et universis Poloniensibus episcopis praecepisse, ut archiepiscopo Gnesnensi contra eum, nisi resipuerit, auxilio adessent. Datum Romae II. Nonas Januarii.

E regesto Innocentii III. anni IX. epist. 217. apud Brequiny et du Theil.

XXXIII.

Innocentius papa III. confirmat literas, quibus Přemysl, rex Boemorum, ecclesiae Olomucensis libertates et immunitates adauxit, redditusque praepositurae assignavit. Datum Romae VI. Idus Januarii, 1207.

Innocentius episcopus seruus seruorum Dei. Venerabili fratri . . . episcopo et dilectis filiis capitulo *Olomucensi.* salutem et apostolicam benedictionem. Justis petentium desideriis dignum est nos facilem prebere consensum. et uota que a rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Ea propter venerabilis in Christo pater. et dilecti in domino filii. uestris iustis postulationibus gratum impertientes assensum. libertates et immunitates ecclesie uestre et eiusdem hominibus a karissimo in Christo filio P. Boemorum rege illustri concessas. cancellariam quoque regiam et alios redditus prepositure Olomoncensis ecclesie assignatos ab ipso. sicut iuste et pacifice possidetis et in eiusdem regis priuilegio plenius continetur. uobis et per uos ecclesie uestre auctoritate apostolica confirmamus. et presentis scripti patrocinio communimus. Ad maiorem autem euidentiam priuilegium ipsum de uerbo ad uerbum huic nostre pagine duximus inserendum. *C. In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Ego Premisl etc.* (Vide n. XXXI.) Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere. uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit. indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius. se nouerit incursurum. Datum Rome apud sanctum Petrum VI. Idus Januarii Pontificatus nostri anno nono.

Ex originali mutilo in archivo capituli Olomucensis. Apographum in codice chart. I. f. 154.

XXXIV.

Innocentius papa III. inter alios Olomucensem episcopum designat arbitrum in lite inter monasterium de Osek et nobilem Mjlhost diffinienda. Datum Viterbii V. Idus Junii, 1207.

Innocentius episcopus seruus seruorum Dei. Venerabilibus fratribus .. Pragensi et .. *Olomucensi* episcopis, et dilecto filio preposito de Luthmeriz

Pragensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Suam ad nos dilecti filii . . . . abbas et conuentus de Ozzech, Cisterciensis ordinis, querimoniam destinarunt, quod cum nobilis vir M. Pragensis diocesis, quasdam possessiones eis liberaliter duxerit concedendas, in quibus idem abbas et monachi monasterium postmodum construxerunt, quia propter latronum instantiam et incommoditates alias compulsi sunt ad locum alium se tranferre, eos idem miles bonis omnibus, que ipsis contulerat, spoliauit, fratres suos exinde violenter expellens. Propter quod bone memorie, . . ipsius monasterii abbas timore perterritus sine sui capituli conniuentia, super bonis ipsis cum milite composuit memorato in eiusdem monasterii preiudicium et grauamen. Quia vero nobis non constitit de premissis, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus partibus conuocatis et auditis, hinc inde propositis, quod iustum fuerit, appellatione postposita, decernatis, facientes quod decreueritis, per censuram ecclesiasticam obseruari. Nullis literis veritati et iustitie preiudicantibus a sede apostolica impetratis. Quodsi non omnes hiis exequendis poteritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur. Datum Viterbii V. Idus Junii. Pontificatus nostri anno decimo.

Dobner. Annal. VI. 614. — Schöttgen diplomat. II. 59.

XXXV.

Otakarus, rex Boemorum, fundationem monasterii in Osek confirmat, ad quam etiam villa Telč in Moravia spectabat. **1207.**

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Ego Otokarus dei gracia Bohemorum rex tercius omnibus presentem paginam inspecturis. Magna est super nos diuine miseracionis dispensacio, que sic nostre saluacioni prouidere dignata est, ut quos sciret eum sequi non posse omnia relinquendo, ipsis beatificari graciam donaret, de sua substancia pauperibus largiendo. Huius autem spei gracia a principibus terre construuntur ecclesie, fundantur cenobia, et ab aliis ditantur fundata. Ex eorum itaque numero, qui terrenis celestia mercari decreuerunt, fuit in diebus nostris vir strenuus et illustris, domino, patrieque semper fidelis Zlawco nomine

comes Belinensis, in qua prouincia habens predium Ozzech dictum, obtulit illud, aliaque presenti pagina comprehensa domino et sancte Marie, usibus eorum, qui Christo illic militaturi sunt, perpetuo famulatura. Habuit quoque germanum Grabissa dictum, virum in diebus suis potentissimum, summumque camerarium, qui postquam viam uniuerse carnis ingressus est, eum supra dictus Zlawco in loco memorato cum patribus suis sepeliuit, statimque de claustro ibi fundando tractare cepit, fundatumque de suis, et fratris defuncti prediis decenter dotauit. Erant autem prius sanctificata hec in dotem antique ecclesie: scilicet decimatio vini et frumenti in Swinshik, et una septimana in Grabissin, que duo Borso germanus predictorum virorum obtulit, et filius eius Zlawco decimas suas in Odilitz superaddens patris oblationem adauxit. Aliam eciam septimanam in Grabissin habet ipsa ecclesia, quam obtulit Jaroslaus de Zabrussan et pater eius, et cum consensu filiorum illius Domino et sancte Marie dedit Biedne et Hirnczer cum terminis suis, et partem *ville Telci, quam a Bohuta commutauerat in Morauia,* hisque addidit decimam septimanam fori in Mochta, et partem ville Bognich. Choiata autem filius Grabisse, ostendens fauorem suum super oblationibus patris, obtulit prediis Ozzech cum terminis suis, dimidiam villam Hain, Hirdloch, Sconuelt, Domoslawick, Duban cum terminis suis. Decimas quoque suas obtulit istas, scilicet decimam septimanam in Zawidow, decimas frumenti in Briechin, vini et frumenti in Betschow, et preterea terciam partem vini ibidem dedit ad opus lapidum; his addidit araturam unam Odoliz, et mansos duos in Fridbach. Denique Boguslaus Zlawkonis filius, patris iuuando propositum per manum regis dedit ecclesie sue molendinum iuxta Hostemich, et decimam frumenti in Sirnchow. Item per manum regis et permissione domini Danielis Pragensis episcopi, memoratus Boguslaus dedit ius patronatus in Zlawcowerde, ita statuens iam dictus episcopus, ut non mercenarium, sed legitimum locando vicarium ecclesie sue commodis illa non destituta debet per abbatem prouideri. Similiter eciam ne iura vel utilitates diocesani vel archidiaconi ibi aliquam paciantur iacturam, ipse abbas cum fratrum suorum concilio debet omnimodis sollicitus esse. Item Boguslaus per manum domini regis ibidem dedit villam nomine Pasengrune. Hec igitur bona, has possessiones, quas in presenciarum memorata ecclesia Ozzech, nostra videlicet largicione, aliorum-

que fidelium possidet, vel in futurum possidere debet: [Ego Otocarus Dei gracia rex Bohemorum tercius in proteccionem regie potestatis nostre, et in successorum nostrorum suscipimus, districte mandantes, ne quis iudex provinciarum, vel alius aliquis in his vel in aliis bonis suis fratres de Ozzech lesere presumat, et si leserit, Dominum Deique Genitricem B. Mariam iudices sustinebit. Huius rei testes sunt: Ego Otokarus rex. Zlawco fundator, et filius suus Boguslaus. Vnesch. Heidricus de Wira. Johannes de Luna. Pil de Bogzlawiz, et alii quam plures. Date per manum Benedicti cancellarii anno Domini M. CC. VII.

Dobner Annal. VI. 629. — Sommersberg Scriptores rerum Silesiacarum I. 918.

XXXVI.

. . Ego Primiszle dei gratia rex Boemorum . . contuli ecclesie beate Marie in Plaz terram ad aratrum in uilla Ninoniz cum monte adiacente qui dicitur Widovle . . . Hec sunt nomina testium. Daniel Pragensis episcopus. *Robertus Olomucensis episcopus.* Andreas prepositus Pragensis. etc. . . . Acta sunt anno dominice incarnationis M. CC. VII. Data Prage per manum D. Rabodonis cancellarii.

Ex originali in archivo c. r. aulico Vindobonae.

XXXVII.

. . Ego Gerlacus abbas de Myleuzk et ego Zlauko comes . . commutationem quarumdam uillarum uoluntarie celebrauimus coram rege Premizlone . . . Actum anno dominice incarnationis M. CC. VII. indictione X. . . Testes . . D. Daniel episcopus Pragensis. *D. Rupertus Olomucensis.* D. Andreas prepositus Pragensis et omnes fere canonici Pragenses.

Ex originali in archivo Trebonensi in analectis Francisci Palacky.

Philippus, Romanorum rex, confirmat monasterio de Tennenbach possessionem curiae in Vorstetten sub testimonio *Otocheri, regis Bohemiae. Datum apud Augustam* VIII. Idus Decembris, M. CC. VII.

Marian. Oesterreich. Klerisei. II. 296.

XXXIX.

Innocentius papa III. confirmat fundationem monasterii Welehradensis, juraque et regulas fratrum ejusdem stabilit. Datum Laterani II. Kalendas Maji, 1208.

Innocencius episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis . . abbati *Welegradensi* eiusque fratribus, tam presentibus, quam futuris regularem vitam professis imperpetuum. Religiosam vitam eligentibus apostolicum conuenit adesse presidium ne forte cuiuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito reuocet, aut robur, quod absit, sacre religionis infringat. Eapropter dilecti in domino filii uestris iustis postulacionibus clementer annuimus et monasterium Velicardi, in quo diuino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra proteccione suscipimus et presentis scripti priuilegio communimus. Inprimis siquidem statuendo, ut ordo monasticus, qui secundum deum et beati Benedicti regulam atque institucionem Cisterciensium fratrum in eodem loco institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur. Preterea, quascunque possessiones, quecunque bona idem monasterium inpresenciarum iuste ac canonice possidet aut in futurum concessione pontificum, largicione regum vel principum, oblacione fidelium seu aliis iustis modis prestante domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus vocabulis exprimenda, locum ipsum, in quo prefatum monasterium situm est cum omnibus pertinenciis suis, grangias cum pertinenciis, cum pratis, vineis, terris, nemoribus, usuagiis et pascuis in bosco et plano, in aquis et molendinis, in viis et semitis et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis; sane laborum vestrorum, quos propriis manibus

aut sumptibus colitis tam de terris cultis, quam incultis, siue de ortis et virgultis et piscacionibus uestris vel de nutrimentis animalium vestrorum nullus a vobis decimas exigere vel extorquere presumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos liberos et absolutos e seculo fugientes ad conuersionem recipere et eos absque contradiccione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in monasterio nostro professionem fas sit sine abbatis sui licencia de eodem loco discedere; discedentem vero absque communium litterarum vestrarum caucione nullus audeat retinere; quod si quis retinere presumpserit, licitum vobis sit in ipsos monachos vel conuersos regulares sentenciam promulgare. Illud districcius inhibentes, ne terras seu quodlibet beneficium ecclesie vestre collatum liceat alicui personaliter dare seu alio modo alienare absque consensu tocius capituli vel maioris aut sanioris partis ipsius. Si que vero donaciones vel alienaciones aliter, quam dictum est, facte fuerint, eas irritas esse censemus. Ad hec eciam prohibemus ne aliquis monachus siue conuersus sub professione vestre domus astrictus sine consensu et licencia abbatis et maioris partis vestri capituli pro aliquo fideinbeat, vel ab aliquo pecuniam mutuo accipiat ultra precium capituli vestri prouidencia constitutum, nisi propter manifestam domus vestre vtilitatem; quod si facere presumpserit, non teneatur conuentus pro hiis aliquatenus respondere. Licitum preterea sit vobis in causis propriis, siue ciuilem siue criminalem contineant questionem fratrum vestrorum testimoniis vti, ne pro defectu testium lis vestrum in aliquo valeat deperire. Insuper auctoritate apostolica inhibemus, ne ullus episcopus vel alia quelibet persona ad sinodos vel conuentus forenses vos ire, vel iudicio seculari de propria substancia vel possessionibus vestris subiacere compellat, ne ad domos vestras causa ordines celebrandi, causas tractandi, vel conuentus aliquos publicos conuocandi venire presumat, nec regularem abbatis vestri electionem impediat, aut de instituendo vel remouendo eo, qui pro tempore fuerit, contra statuta Cisterciensis ordinis se aliquatenus intromittat. Si vero episcopus, in cuius parrochia domus vestra fundata est, cum humilitate ac deuocione, qua conuenit, requisitus substitutum abbatem benedicere et alia, que ad officium episcopale pertinent, vobis conferre renuerit, licitum sit eidem abbati, si tamen sacerdos fuerit, proprios nouicios benedicere et alia, que ad officium

suum pertinent, exercere, et vobis omnia ab alio episcopo percipere, que a vestro fuerint indebite denegata. Illud adicientes, vt in recipiendis professionibus, que a benedictis vel a benedicendis abbatibus exhibentur, ea sint episcopi forma et expressione contenti, que ab origine ordinis noscitur instituta, vt scilicet abbates ipsi episcopo saluo ordine suo profiteri debeant et contra statuta ordinis sui nullam professionem facere compellantur. Pro consecracione vero altarium vel ecclesiarum, siue pro oleo sancto, vel quolibet alio ecclesiastico sacramento nullus a vobis sub obtentu consuetudinis vel alio modo quidquam audeat extorquere, sed hec omnia gratis vobis episcopus diocesanus impendat, alioquin liceat vobis, quecunque malueritis, catholicum adire antistitem graciam et communionem apostolice sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate, vobis quod postulatis impendat. Quod si sedes diocesani episcopi forte vacauerit, interim omnia ecclesiastica sacramenta a vicinis episcopis accipere libere et absque contradiccione possitis, sic tamen, ut ex hoc in posterum propriis episcopis nullum preiudicium generetur. Quia vero interdum propriorum episcoporum copiam non habetis, si quem episcopum Romane sedis, vt diximus communionem habentem et de quo plenam noticiam habeatis, per uos transire contigerit, ab eo benedicciones vasorum et vestium, consecraciones altarium, ordinaciones monachorum auctoritate apostolice sedis recipere valeatis. Porro si episcopi vel alii ecclesiarum rectores in monasterium vestrum vel personas inibi constitutas suspensionis, excommunicacionis vel interdicti sentenciam promulgauerint, siue eciam in mercennarios vestros pro eo, quod decimas non soluitis, siue aliqua eorum, que ab apostolica benignitate vobis indulta sunt, seu benefactores vestros pro eo, quod aliqua vobis beneficia vel obsequia ex caritate prestiterint, vel ad laborandum aduenerint in illis diebus in quibus vos laboratis et alii feriantur, eandem sentenciam protulerint, ipsam tamquam contra sedis apostolice indulta prolatam duximus irritandam. Nec littere ulle firmitatem habeant, quas tacito nomine Cisterciensis ordinis et contra tenorem apostolicorum priuilegiorum constiterit impetrari. Preterea cum commune interdictum terre fuerit, liceat vobis nichilominus in vestro monasterio exclusis excommunicatis et interdictis diuina officia celebrare. Paci quoque ac tranquillitati vestre paterna in posterum sollicitudine prouidere uolentes auctoritate apostolica prohibemus,

ut infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere vel interficere, seu violenciam audeat exercere. Preterea omnes libertates et immunitates a predecessoribus nostris Romanis pontificibus ordini vestro concessas nec non et exempciones secularium exaccionum a regibus et principibus vel aliis fidelibus racionabiliter vobis indultas auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti priuilegio communimus. Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum liceat prefatum monasterium temere perturbare aut eius possessiones aufferre, vel ablatas retinere, seu quibuslibet vexacionibus fatigare: sed omnia integra conseruentur eorum, pro quorum gubernacione ac sustentacione concessa sunt. vsibus omnimodis profutura, salua sedis apostolice auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisque persona hanc nostre constitucionis paginam sciens, contra eam temere venire temptauerit, secundo tercioue commonita, nisi reatum suum congrua satisfaccione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore ac sanguine dei et domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte subiaceat vlcioni. Cunctis autem, eidem loco sua iura seruantibus, sit pax domini nostri Jesu Christi, quatinus et hic fructum bone accionis percipiant et aput districtum iudicem premia eterne pacis inueniant. Amen. Datum Laterani per manum Johannis sancte Marie in Cosmidin diaconi cardinalis, sancte Romane ecclesie cancellarii II. Kalendas Maii, indiccione XI. incarnacionis dominice anno M.CC.VIII. Pontificatus vero domini Innocentii pape tercii anno vndecimo.

E codice chart. Mss. Welehradensi sec. ineuntis XV. in folio. f. 94.

XL.

Innocentius papa III. causam quandam monasterii Medlicensis, in qua ab episcopo Olomucensi minus aequa sententia prolata esse perhibebatur, de novo inquiri mandat. Datum Viterbii XII. Kal. Septembris, 1208.

Innocentius episcopus, seruus seruorum dei dilectis filiis abbati de Gerstyn et magistro Henrico de Witin et Tutoni de Heiburch plebanis

patauiensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Accedens ad presentiam nostram dilectus filius abbas Medlicensis graui nobis conquestione monstrauit, quod venerabilis frater noster, episcopus *Olomocensis* et dilecti filii abbas de Sancta cruce, et decanus de s. Agatha, Patauiensis diocesis ipsius coniudices delegati a nobis contra eum licet aliqua causa, que ipsum tangere videretur, commissa eis, sicut dicitur, non fuisset, iniquam sententiam protulerunt, per quam monasterium ante dictum incurrisse dignoscitur non modicum detrimentum. Cum igitur nemo debeat iniuste grauari, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, quos propter hoc videritis euocandos, et inquisita super his diligentius, et cognita veritate, quod iustum fuerit, appellatione postposita statuentes faciatis, quod decreueritis per censuram ecclesiasticam firmiter obseruari. Nullis litteris veritati et iustitie preiudicantibus a sede apostolica impetratis. Quodsi non omnes his exequendis potueritis interesse, duo vestrum nihilominus exequantur. Datum Viterbii XII. Kalendas Septembris. Pontificatus nostri anno decimo.

Huber Austria ex archivis p. 12.

XLI.

Robertus, episcopus Olomucensis, concambit cum nobili Slephano de Medlow villas Daubrawnik et Dragnik pro villis Tuřan et Petrowice. Datum Olomucii VII. Kalendas Octobris, 1208.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. R(ubertus). dei gracia sancte Olomucensis ecclesie episcopus omnibus qui sunt et erunt inperpetuum. Vniuersitatis negocia litteris mandata. ex earum memoria trahunt firmitatem. Innotescat igitur presentibus ac futuris quod ego. **RUBERTUS** episcopus olomucensis cum assensu regis bohemorum. **OTTOCARI.** et fratris eius marchionis morauorum **WLADISLAI.** in presencia quam plurium nobilium utriusque terre. aprobante domino decano W(althero). et uniuerso conuentu eiusdem ecclesie cambiui. **STEPHANO** viro nobili filio. Gothardi duas uillas episcopatus nostri *dubraunic* scilicet. et *Dragnik* et terram unius aratri in *Dreuniche.* pro duabus uillis ipsius. *Turane* uidelicet et *Petrouich*

que episcopatui meo proximiores erant. Verum ne super hac re successoribus nostris. uel quibuslibet aliis litis relinquatur occasio. presentem paginam nominibus testium qui huic commutationi interfuerunt et sigillorum caractere nostri uidelicet et ecclesie perpetualiter confirmamus relinquentes in mandatis quodsi quis hoc factum infregerit. anathema sit. Testium autem nomina sunt hec. Waltherus Olomucensis ecclesie decanus. Stephanus Olomucensis prepositus. Wtesen canonicus. Wratko canonicus. Esau canonicus. et archipresbyter prerouiensis prouincie. Ysaac canonicus. Cusdrah canonicus. Andreas canonicus. Petrus canonicus. Radozlaus canonicus et archidiaconus prouincie olomucensis. Iacobus canonicus. et magister Siffridus canonicus. Boguzlaus canonicus. Theodericus canonicus. Moyses canonicus et archipresbyter Brachizlauensis prouincie. Sidebor canonicus. Abbas gradicensis. Abbas uelgradensis. Sudco prepositus. Johannes. Sidon. Frido. capellani nostri. Godeg. Rodoslaus. Johannes. Blasius. Dobrouest. Dedus. Drugos et Adrastus. presbyteri et uicarii olomucensis ecclesie. Bauarus camerarius olomucensis. Zauisse castellanus. Doben iudex. Bludo. Iacobus. Kohanus. Buz. Dubache. Zlauata. Paulus. beneficiarii olomucensis castri. Radozlau uillicus noster. Ob memoriam huius facti statuimus. vt quicumque ad ecclesiam de Dubraunik in festiuitate sancte crucis aduenerit. quam diu ipsa steterit. septem dierum iniuncte pene remissione donetur. Hec autem acta sunt publice in capitulo Olomucensi. his et aliis testibus presentibus. Verbi incarnati. Anno M. CC. VIII. Indictione. XI. Epacta I. concurrente II. dominicali littera E. Pontificatus nostri anno. VII. Data per manus canonici nostri Ysaac VII. Kalendas Octobris.

Ex originali in curia Brunensi Lad. I. n. 1.

XLII.

Innocentius papa III. *regem Boemiae* hortatur, ut regi Ottoni adhaereat. (Mense Julio exeunte), 1208.

Baluze — De negot. imperii e regesto Innocentii III. lib. XII. epist. 156.

XLIII.

Innocentius papa III. Ottoni regi nuntiat, quae pro ejus negotiis apud principes imperii (inter quos etiam *rex Boemiae)* promovendis nuperrime egerit. 4. Decembris, 1208.

Ibidem epistola 168.

XLIV.

Innocentius papa III. *regi Boemiae* respondens suadet, ne differat adhaesionem regi Ottoni debitam et promissam. 12. Decembris, 1208.

Ibidem epistola 176.

XLV.

Premysl, rex Boemorum, confert canonicis ecclesiae Olomucensis in remedium animae filii sui Wratislai villam Nedachlebice. Datum in Cremsir, 1209.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis amen. Notum sit omnibus tam presentibus quam futuris quod ego *Primuzil* dei gracia rex Boemorum. una cum coniuge mea *constancia* regina Boemie. assensu baronum nostrorum uillam que *Nedaclebiz* nuncupatur. pro remedio anime. filii nostri *Wratizlai.* omniumque predecessorum nostrorum. canonicis olomucensis ecclesie sub iure episcopatus contulimus possidendam. Quoniam autem recte locantur beneficia. ubi crescunt vite merita. ibi decenter impertitur gracia. ubi cum premiis cumulatur gloria: Ob hoc eandem uillam ab omni honere tributorum. vectigalium collectarum seu denariorum qui quatuordecim uocantur uel aliarum exactionum uolumus perpetuo esse absolutam. Adicientes ut nullus pro castrorum edificacione uel reedificacione. nullus pro aliqua ingruenti expedicione homines predicte uille audeat inquietare. Ius eciam quod datur pro capite. eis concessimus. Hoc de fure statuentes. ut si in eadem uilla capiatur. et coram iudicio conuincatur. canonicis bona furis remaneant.

ipse uero curie tradatur puniendus. Si autem homines eiusdem uille coram iudicio culpabiles inueniuntur nec nobis nec iudicibus nostris curialibus quoque uel inbeneficiatis aliquid inde utilitatis proueniat. sed apud canonicos culpe perseueret satisfactio. nisi in quo tenetur satisfacere aduersario. Preter hec utilitati olomucensis ecclesie prouidentes in eadem uilla ad preces venerabilis patris nostri Ruperti tabernam liberali mvnificentia concessimus. Vt autem hec nostra donatio robur firmitatis obtineat. et ne factum nostrum obliuionis desidia sepeliatur. sigilli nostri munimine roboramus. et testium approbacione confirmamus. Testes autem sunt isti. Rupertus episcopus. Andreas pragensis prepositus. Benedictus prothonotarius. Arnoldus decanus. Hinsaltus. Zlauco. Bouzlaus filius eius. Heinricus filius Witechonis. Bludo et Onso filius eius. Luderius. Neplach. Andreas. Petrus filius medlonis. Pardus. Twirsa. Stanimirus. Doben. cum tribus filiis. Nedamirus frater Doben. Gron. Zevvize. Bavvarus. Stibor. Zemizlaus. Wurso. Nedamirus. frater eius. Svlizlaus. Stizlaus. Woino. Beneda. Chochan. Hermannus abbas de grediz. Thizelinus abbas de Welgrad. Hec autem acta sunt anno millesimo ducentesimo Nono. Indictione duodecima. Epacta duodecima. Concurrente tercio. In loco olomucensis episcopi qui uocatur Cremesir.

Ex originali in archivo capituli Olomucensis. — Apographum in codice Cremsir. VII. Item in cod. membr. Olomucensi. I. fol. 31.

XLVI.

Innocentius papa III. suscipit monasterium Zabrdowicense, ordinis Praemonstratensis cum possessionibus suis in protectionem sedis apostolicae. Datum Laterani III. Nonas Aprilis, 1209.

Innocentius episcopus, seruus seruorum dei. Dilectis filiis Arnuldo priori et fratribus de *Zaberduwiz* Premonstratensis ordinis, salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod iustum est et honestum, tam vigor equitatis quam ordo exigit rationis, vt id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter, dilecti in domino filii, vestris iustis postulationibus inclinati, ecclesiam vestram,

in qua diuino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, que in presentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum iustis modis, dante domino poteritis adipisci, sub b. Petri et nostra protectione suscipimus, specialiter autem *Zyretitz, Zancowiz, Otradiz et Borkowaz* villas, et alia, que iuste ac pacifice possidetis, auctoritate vobis apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostre confirmationis et protectionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei, et beatorum Petri et Pauli, apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Laterani III. Nonas Aprilis. Pontificatus nostri anno duodecimo.

Ex originali ejusdem monasterii in registr. c. r. Gubernii.

XLVII.

Innocentius papa III. concedit episcopo Olomucensi facultatem, cruce signatos a poenis canonicis absolvendi. Datum Laterani V. Idus Aprilis, 1210.

Innocentius episcopus seruus seruorum dei. Venerabili fratri . . . *Olomucensi* episcopo. salutem et apostolicam benedictionem. Cum pro tui Redemptoris amore signum crucis assumpseris. et proficisci disponas in subsidium terre sancte. presentium tibi auctoritate concedimus. quatinus siquos forsan de comitatu tuo dum in sancta peregrinatione permanseris. ex iniectione manuum in clericos uiolenta in canonem acciderit incidere sententie promulgate. liceat tibi eos secundum ecclesie formam absoluere iniungendo ipsis quod talibus consueuit iniungi. nisi quod absit tam grauis et enormis fuerit subsecutus excessus. quod merito propter hoc ad sedem debeant apostolicam laborare. Datum Laterani V. Idus Aprilis. Pontificatus nostri anno tertiodecimo.

Ex originali in archivo capituli Olomucensis.

XLVIII.

Otakarus, rex Boemorum, fundationem monasterii Zabrdowicensis, donationesque a fundatore Leone de Klobuk et aliis factas confirmat.
In Brunna, 1210.

In nomine sancte trinitatis et indiuidue unitatis. Ego *Odoacer,* rex Boemorum tercius. Claustro *Zaberdowiz* et omnibus ibi deo seruientibus in perpetuum. Cum regie conueniat dignitati, et consonet clementie sue celsitudinis et munificentie, longe lateque ampliare gloriam; tamen, ut firmiter opinamur, in nullo celebrior regalis magnificentie et amplitudinis effulget gloria, quam si sacrosancte ecclesie et religiose uiuentium comodis prouideat, iura confirmet, et eorum consulet indempnitati. Nouerit itaque tam presens etas quam futura posteritas, quod uir nobilis baro noster *Leo de Clobuk,* camerarius Brunnensis prouincie, quoddam claustrum Zaberdowiz nomine cum consensu uenerabilis patris nostri Roberti, Olomucensis episcopi, et accedente assensu magnifici uiri, fratris nostri *Ladizlai,* marchionis Morauie, in comitatu Brunensi fundauit, in possessione scilicet propria, cui claustro frater noster prenominatus, curam gerens sanctissime religionis in terra sua propagande, quasdam largitus est ei possessiones et libertates exceptis illis possessionibus, quas predictus baro noster contulit prefato monasterio. Possessiones, quas frater noster spectabilis marchio Morauie contulit ecclesie Zaberdowicensi, hee sunt: Curia in Cwitawa cum araturis duabus et earum appendiciis, cum bubus et necessariis ad illam terram colendam, cum flumine Cwitawa, sicut agri adiacent ecclesie illi collati, ita, ut nemo absolute aliquid iuris sibi uendicet in illa aqua, secundum quod presenti scripto est determinatum. Silua Scalitc et alia silua Sizza, et silua que vocatur Obetcna Ochozv, secundum quod mete sunt signate, que vocantur ghraniz, quoad usum et ius communis consuetudinis terre, cum omnibus appendiciis, agris, pratis, pascuis, aquis et omnibus, que infra siluam illam continentur, omni querela exclusa. Insuper uilla, que uocatur Malomieritz, et omnibus eius appendiciis et adiectis, eo modo, quo mete sunt per uenatores assignate, uicinis non contradicentibus, cuius quieta possessione gaudet ecclesia Zaberdowicensis. Ea vero, que contulit Leo uir nobilis ecclesie illi, etiam in presenti pagina fecimus annotari. Predium

scilicet Zaberdowiz, in quo monasterium situm est, cum suis appendiciis, in burgo Brunensi ecclesia sancte Marie et omnibus adiacentiis ad eam pertinentibus; villa Swinositce, Pribezlawice, Kochutowiz, Scankowiz, Borkowan cum omnibus appendiciis, agris, siluis, pratis, aquis, pascuis, omni violenta impeticione exclusa. Insuper pie memorie nobilis matrona quondam uxor eius, Rihtca, que feliciter cessit in fata, dedit illi ecclesie partem uille Syretitz, que postea tota concambio mediante cum omnibus suis appendiciis claustro accessit, secundum quod subsequenter exponetur. Quedam ingenua femina Margareta nomine, que fuit uxor Peregrini, recipiens habitum, dedit quandam uillam claustro, que uocatur Heraltitz; et Zazzin miles dedit cum filia sua Pribichiest terram ad tria aratra in loco, qui vocotur Cladisse. Sed quia quidam miles, nomine Borek, habuit quandam partem uille in Syretitz, data est ei in commutationem pro parte sua Heraltitz, et alii militi, qui vocatur Dobriemil, pro parte sua loco concambii data est terra ad tria aratra in loco, qui vocatur Cladisse. Libertates autem, quas insignis frater noster contulit ecclesie, hee sunt: Absoluit enim possessiones predicti cenobii ab omni utilitate, ad eius usus et successorum suorum et beneficiariorum pertinente, excepto iure illo, quod in Znoymensi prouincia datur pro capite et pro fure; ita ut omnis vtilitas remaneat claustro, que ad principem et beneficiarios spectabat, licet causa tractetur coram ipso principe uel iudicibus eius vel beneficiariis, excepto hoc solo, quod, qui iniuriatus est, aliquibus satisfaciat aduersariis suis. Nullus homines cenobii inquietet pro castrorum edificatione, nec pro collectis infestet, nec quatuordecim nummos ab hominibus ad cenobium spectantibus exigat; sed secundum quod inclitus frater noster instituit, ita sit ratum. Adiciendum autem est, quod uir preclarus, baro noster Leo, fundator prefati monasterii, quasdam possessiones ad usus suos retinuit, de quibus suum propositum in hunc modum nostre magnificentie intimauit. Videbatur ei conueniens, sicut et est, quod si filium legitimum haberet heredem, quod ille ei succederet in uillis et possessionibus subiungendis; si autem sine herede discederet, clarissima matrona Soffia, uxor eius, eisdem possessionibus usque ad obitum suum uteretur et pacifice gauderet, et postea possessiones ad claustrum prenominatum omni contradictione semota redirent. Si uero illa uirum duceret, nichil in eis iuris haberet

uel utilitatis, sed totum deo et beate Marie statim accederet. Nomina autem uillarum uel possessionum hec sunt: Clobuc. Diwaci. Prestawlici. Vcamenne. VGezera. Cowalowici. Drahonewici. Castcowici. Hosteradici. Bohumilici. Mezilezzitci. Vtisenitci. Malomeritci, cum curia, que est in Zaberdowici. Hec omnia cum omnibus appendiciis secundum formam, que prescripta est, debent prefato cenobio succedere. Cum autem regie clemencie cedat ad gloriam, quicquid sancte ecclesie cedit ad honorificentiam, et sacrosancte ecclesie successus eius sit proficuus profectus, uolentes ea habere robur et firmitatem, que in hoc autentico nostro continentur, hanc paginam autentici nostri nostre sublimitatis sigillo fecimus insigniri. Si quis autem, quod absit, contra hanc nostre constitutionis auctoritatem uenerit celebriorum, pena decem marcarum auri statuimus eum multari in nostram cameram soluendarum. Sed etiam, ut ista maiorem haberent stabilitatem, rogauimus uenerabilem patrem nostrum Robertum, Olomucensem episcopum, cum assensu fratris nostri, ut secundum quod eum decet ecclesias diuinas tueri et protegere, quatinus nostre sanctionis clementiorem affectum sua solidet auctoritate, et transgressores perpetuo feriat anatemate; quod et ipse fecit. Ad huius rei confirmationem tam inclitus frater noster quam reuerentissimus Robertus, episcopus Olomucensis, ex petitione nostra sigillum apposuit. Huius rei testes sunt: Sobezlaus. Teobaldus. Bolezlaus. Hermannus, abbas de Gradisc. Tiecelinus, primus abbas de Welegrad. Gerhardus de Luca. Martinus de Trebec. Marsilius de Selowa. Gerlac de Milegou. Pomegnien de Towachou. Budiwog. Sebastienic, frater eius. Ben. Vneka, filius Wliceh. Boruth, filius Bolezlay. Vit. Olbram Welenowiz. Leo. Spitieh. Theodoricus. Mutina. Sdizlaus. Grutouizi. Werso. Mrachot. Nezamisl de Uranowa. Perterus de Uranoua. Henricus. Troianus. Mangolt. Wernart. Olbram. Vxor Hartlebi. Hymmeram. Henricus Iudex. Stephanus dapifer. Bolich. Hwale. Benata. Sasin. Peleg. Woyzlau. Riwin. Gerart. Bznata. Vneka dimitrouic. Liholut. Groznata. Wilem. Vldric. Swatozlou. Sdizlau recmanidci. Stibor. Rac. Jan. Radozlau. Prestan. Bvden. Wichart. Martin. Scribimir. Bedrih. Ratibor. Veliz. Welen. Vecemil. Diva. Predbor. Lewa. Pastucha. Herman. Walter. Liztimer. Dobes. Samich. Detho. Ian. Bosic. Nasen. Bludo. Ones. Prebor. Ratmir. Prebor. Bogdalus de Raghrad. Hauel, prepositus de Luh. Christoforus prepositus. Sudeko prepositus. Venus prepositus. Cancellarius

Johannes. Walterus decanus. Radezlaus, filius Scehonis. Hii sunt, qui circuierunt metas: Bosco. Zdizlaus. Marcwardus. Vniech. Zdizlaus. Scribimir. Bvdek. Yan. Mistislauiz. Yan. Andreiouic. Welen. Viecemil. Hereman. Priedbor. Lampert Rapotitz. Zdizlaw Mukarouitz. Bares, fratres eius. Velis Supkouic. Bosteh. Mileg uenator, Hoten uillicus. Dobros. Rosneth de Sidinic. Ius vero patronatus in ecclesia illa, quod dominus Leo contulit episcopo Olomucensi et eius successoribus, eidem confirmamus. Acta sunt hec anno incarnationis dominice M. CC. X. Data autem in Brunna per manus Petri notarii.

Ex originali in archivo c. r. aulico Vindobonae. — Excus. incorrectius in Annalibus Praemonstr. II. DCCXXXI.

XLIX.

Přemysl, Boemorum rex, monasterium Zabrdowicense in die consecrationis in suam protectionem suscipit, ejusque libertates, nec non veteres et novas possessiones confirmat. Zabrdowiz, 1211.

In nomine sancte trinitatis et indiuidue vnitatis. Ego *Premisl,* tertius rex Boemorum, diuina opitulante gracia tam presentium, quam futurorum trado cognitioni, quod in honore b. M(arie) matris domini cenobium quidam uir nobilis *Leo de Clobuk* in regno nostro et in principatu fratris nostri *Wladizlay, principis Morauie,* cum nostro et fratris nostri consensu in comitatu Brenensi, quod *Zabridouich* uocatur, fundauit, quod pro posse et facultate sua rebus mobilibus et inmobilibus ditauit, ita tamen, quod locus ille semper sit sub tuitione nostra et fratris nostri et successorum nostrorum, et quod gladius noster adiungatur gladio spirituali in illius loci deffensione, ut pariter suppleant, quod in uno minus inuenitur. Huic itaque cenobio s. M. v. ego Wladizlaus, dux Morauie diuina protectus gracia, tam presentibus quam futuris do scire, quod ad refocillationem ibi degencium tres agros contuli ei adiacentes, et siluam totalem, que Scalice dicitur, et fluminis meatum a molendino cuiusdam, qui Daren nuncupabatur, ad expiationem omnium animarum, ut a sathane nexibus liberate, in qua sanctorum gaudent anime, eterna perfruantur ubertate. Omnes uero possessiones

predicti cenobii a qualibetcunque exactionum emersione et collectarum infestatione et iniqua uillicorum inuasione fore decreui liberas. Debent enim regum et principum esse firmissima beneficia, nec eis diminuitur, quicquid dei filio, creatori omnium, et eius piissime Matri confertur. Vt autem hec omnia maneant rata et inconcussa, hanc nostre confirmationis paginam sigillo regie potestatis fecimus muniri, decem marcarum auri ei penam inponentes, quicunque cum effectu ista temptauerit irritare. Huius rei testes sunt: Dominus Heinricus, archiepiscopus Gnesdensis, qui prefatam ecclesiam consecrauit. Dominus Danihel Pragensis episcopus, qui ibidem duo altaria consecrauit. Dominus Robertus Olomucensis episcopus, in cuius diocesi sita est ecclesia. Hii tres episcopi nouem cereis ardentibus sententia sanctorum apostolorum Petri et Pauli auctoritate apostolici et dignitate, quam habent, quicunque presencium uel futurorum hec statuta uiolauerint, excommunicauerunt, et perpetualiter gehenne deputauerunt. Hee autem sunt possessiones, quas comes Leo Clobucensis, fundator sancti cenobii Zabridowicensis, uotum deo creatori uouens ardenti desiderio conferre non hesitauit. Parrochiam sancte Marie cum omnibus attinenciis, uillam Svinosici, Pribislauici, Borcouani, Chancouici. Coniux uero predicti comitis has possessiones erogauit, uillam Zirethici, Bysou cum armento uiginti quinque caballarum et septem integris aratris et uaccis XXXX et ouium numero XL et ducentarum, coram his testibus: Sobezlaus. Theobaldus. Bolezlaus. Hii sunt nobiles Boemie, coram quibus hec omnia rex confirmauit: Andreas prepositus. Slauco. Budiuoy. Sobegrid. Paulicho. Bohuska. Paulech. Tunc temporis hec acta sunt, cum filia regis Ungarie in Teutoniam uiro deportabatur, tunc rex Boemie fecit prandium die sabbati in Clobuch et die dominica in Zabridouich, et hec omnia tunc firmiter determinauit. Hii sunt nobiles Morauie, coram quibus hec sunt terminata: Pomgen de Touachou. Budiuog Sebastienic frater eius. Ben. Vnka filius Wliceh. Boruth, filius Bolezlai. Vit. Olbram Velenouich. Leo. Spitieh. Detrih Mutine. Sdislau Grutouici. Veriso. Mrachotic. Nezamisl de Uranou. Perhter de Uranov. Hinricus. Troganus. Mangold. Vernart. Olbram. uxor Artlebi. Himram. Hinricus iudex. Stephanus dapipher. Bolich. Hual. Benata. Sasin. Peleg. Voyslau. Riuin. Gerart. Bsnata. Vncha. Dmitrouic. Liholut. Hrozneta. Villem. Oldrih. Svatoslau. Sdislau Recmanicsi. Cstibor. Rac. Ian. Rado-

slau. Prestan. Buden. Vichart. Martin. Scribimir. Bedrich. Ratibor. Velen. Vecemil. Diua. Predbor. Herman. Valter. Lstimir. Dobes. Samik. Detoh. Ian. Bohusic. Nasen. Bludo. Ones. Pauel. Prebor. Ratmir. Prebor. Leua. Pastuha. — Super hoc abbates. Hermannus de Gradisc. Ticeslinus primus abbas de Veligrad. Gerardus de Luca. Martinus de Trebec. Marsilius de Zelegou. Herloh de Milegau. Bogdalus prepositus de Raghrad. Gauel prepositus de Luh. Christoforus prepositus. Sudko prepositus. Venus prepositus. cancellarius Johannes. Valterus decanus. Radoslaus filius Scehonis. Esau filius decani. Symeon Rudolt. — Notum sit omnibus, quod dux Vladizlaus expeditione rediens deo et sancte Marie et comiti Leoni per preces Bogobudi siluam que uocatur Obecski cesserit. Comendatores hii sunt: Stephanus. Sudko. Johannes. Hii sunt, qui circuierunt metas: Bosco. Sdislau. Marquart. Vneg. Sdislau. Scribimir. Budech. Ian. Mstislauic. Ian Ondregouic. Velen. Vecemil. Predbor. Lampert Rapotic. Sdislau Mucharouic. Bares frater eius. Velis supcouic. Bosteh. Shoresina. Mileg uenator. Hoten uillicus. Dobros. Rosneth de Sidenic.

Ex originali in archivo c. r. aulico Vindobonae. — Excus. incorrectius in Annalibus Praemonstr. II. DCCXXXI.

L.

Leopoldus, dux Austriae et Stiriae et dominus Carniolae, fundat una cum Gerhardo, capellano suo, plebano in Valua, domum hospitalis s. Spiritus cum capella et ecclesia s. Antonii in suburbio Wiennae circa fluvium Wiennam *(cujus filia hospitale in Moravia Litoviae exstitit).*

Hormayr's Geschichte Wiens 2. Jahrg. 4. Bd. p. 52.

LI.

Přemysl, rex Boemorum, pergens Ratisbonam in occursum Friderici, Romanorum regis, mercatores Kladrubienses a solutione vulpinarum pellium eximit. 1212.

Notum sit omnibus tam presentibus quam futuris. quod ego Premisl rex Boemorum pergens Ratisponam in occursum Friderici Romanorum regis.

de Appulia uenientis. quinquaginta marcas argenti a Cladrubensibus accepi mercatoribus. relaxans eos a solutione ciuili iuris scilicet a duplicibus uulpinis pellibus quas michi predecessoribusque meis soluebant. et conferens inperpetuum ecclesie Cladrubensi ob remedium anime mee. ac predecessorum successorumque meorum hanc libertatis utilitatem. quoniam teneor huius loci necessitatibus prouidere. ac prosperitatibus nec non utilitatibus congaudere. Huius rei testes sunt: Andreas cancellarius et prepositus Pragensis. Zlauco camerarius. Bohuzlaus filius eius. Jaros gener eius. Vbizlaus de Zulislau. Ulricus de Lutitz. Heinricus de Setscowitz. Hirdebor de Userob.

Ex originali in archivo c. r. aulico Vindobonae.

LII.

Fridericus, Romanorum imperator, inter alia jura et libertates concedit Otakaro, regi Boemorum, etiam jus investiendi episcopos suos, videlicet Pragensem et Olomucensem. Dt. Basileae VI. Kalendas Octobris, 1212.

Fridericus diuina fauente clementia Romanorum imperator. et semper augustus. rex Sicilie. ducatus Apulie. et principatus Capue. Cum decus et potestas imperii nostrum precesserit statum. ut non solum ceterorum principum dignitates. verum etiam sceptra regalia a nostra conferantur maiestate. gloriosum reputamus et magnificum. quod in tanto nostre largitatis beneficio et aliis crescit regie dignitatis augmentum. nec ob hoc eminentia nostra aliquod patitur detrimentum. Inde est quod nos attendentes preclara deuocionis obsequia que uniuersa Boemorum gens ab antiquo tempore Romano exibuit imperio tam fideliter quam deuote. et quod illustris Rex eorum Ottacharus a primo inter alios principes specialiter pre ceteris in imperatorem nos elegit. et nostre electionis perseuerantie diligenter et utiliter astiterit. sicut dilectus patruus noster pie memorie Rex Philippus omnium principum habito consilio per suum priuilegium instituit. ipsum regem constituimus confirmamus. et tam sanctam et dignam constitutionem approbamus. Regnumque Boemie liberaliter. et absque omni pecunie ex-

ione. et consueta curie nostre iusticia. sibi suisque successoribus in petuum concedimus. volentes. ut quicunque ab ipsis in Regem electus rit. ad nos. uel successores nostros accedat. regalia debito modo re- turus. Omnes etiam terminos qui predicto Regno attinere uidentur. cunque modo alienati sint. ei. et successoribus suis possidendos indul- mus. ius quoque et auctoritatem inuestiendi episcopos Regni sui inte- liter sibi et heredibus suis concedimus. ita tamen quod ipsi ea gaudeant rtate et securitate. quam a nostris predecessoribus habere consueuerunt. nostre autem liberalitatis munificentia statuimus. quod Rex predictus heredes sui ad nullam curiam nostram uenire teneantur. nisi quam aput Babenberc. uel Nurenberc celebrandam indixerimus. uel si aput rseburc curiam celebrare decreuerimus. ipsi sic uenire teneantur. dsi dux Polonie uocatus accesserit. ipsi sibi ducatum prestare debeant. ut antecessores sui quondam Boemie Reges facere consueuerunt. sic en ut spatium sex eddomadarum (sic) ueniendi ad predictas curias ante prefigatur. Saluo tamen quod si nos. uel successores nostros Rome onari contigerit. ipsius predicti Regis Ottachari uel successorum suorum nquimus arbitrio. utrum ipsi trecentos armatos nobis transmittant. uel centas marchas persoluant. Ad huius autem nostre constitutionis et firmationis nostre memoriam et robur perpetuo ualiturum presens priui- ium per manus Henrici de Parisius notarii. et fidelis nostri scribi. et la nostra aurea iussimus communiri. anno. mense. et indictione subscriptis. us rei testes sunt. isti. Archiepiscopus Barensis. episcopus Tridentinus. scopus Basiliensis. episcopus Constantiensis. episcopus Curiensis. abbas gensis. abbas sancti Galli. abbas de Wiceburc. Bertoldus de Nifphe alis curie prothonotarius. comes Vlricus de Chiburc. comes Rodulfus Habecheesburc et langrauius de Alsatia. comites Loduicus et Hermannus Froburc. comes Warnerus de Hohenburc. Arnoldus nobilis de Wart. dulfus aduocatus de Rapehteshiwilare. Rodulfus de Ramensberc. Al- tus de Thanehuse. camerarius et alii quam plures magnates et nobiles. liberi. quorum testimonio hoc priuilegium constat esse confirmatum. Acta t hec anno dominice incarnationis mill. ducentesimo. duodecimo. mense tembris. quintedecime indictionis. Regni uero domini nostri Frederici strissimi Romanorum imperatoris electi et semper augusti Regis Sicilie

quintodecimo. Datum in nobili ciuitate Basilea per manus Vlrici uice prothonotarii. sexto Kalendas Octobris. feliciter. amen.

Ex originali archivi c. r. aulici Vindobonae cum bulla aurea sicula appensa illaesa. — Excus. apud Balbinum, Goldastum, Dobnerum et alios.

LIII.

Fridericus, Romanorum imperator, concedit Heinrico, marchioni Morariae, „Mocram et Mocran" cum omnibus juribus et attinentiis in feudum. Dt. Basiliae V. Kalendas Octobris, 1212.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis amen. Fredericus diuina fauente clementia Romanorum imperator electus et semper augustus. Rex Sicilie. ducatus Apulie. et principatus Capue. Cum decor et potestas imperii nostrum precesserit statum. dignum tamen ac honestum arbitramur fore. eorum uotis uberius acclinare. quorum fidem ac deuotionem circa uniuersa negotia nostra promouenda. integram ac inconuulsam certiori experientia didicimus. Inde est quod nos aduertentes grata et preclara deuotionis obsequia que *Henricus* nobilis marchio Morauie hactenus tam fideliter quam deuote nobis exhibuit. ac etiam domino largiente in antea est exhibiturus. suis ad presens in quantum possumus respondere cupientes obsequiis. Notum facimus tam presentibus quam in euum successuris. quod nos eidem Marchioni et heredibus suis de nostre liberalitatis munificentia concedimus et confirmamus Mocran. et Mocram cum omni iure et pertinentiis suis. saluo seruitio quod inde curie nostre debetur. Ad huius autem confirmationis et concessionis nostre memoriam. et robur perpetuo valiturum. presens priuilegium per manus Henrici de Parisius notarii et fidelis nostri scribi et bulla nostra aurea iussimus communiri. anno. mense. et indictione subscriptis. Huius rei testes sunt. Archiepiscopus Barensis. episcopus Tridentinus. episcopus Basileensis. episcopus Constantiensis. episcopus Curiensis. Abbas Augensis. abbas sancti Galli. abbas de Viceburc. Bertoldus de Nisphe regalis curie prothonotarius. comes Vlricus de Chiburc. comes Rodulfus de Habechesburc et langravius de Alsatia.

comes Loduicus et Hermannus de Froburc. comes Warnerus de Hohenburc. Arnoldus nobilis de Wart. Rodulfus aduocatus de Rapehteshiwilare. et alii quam plures. Acta sunt hec anno dominice incarnationis Millesimo ducentesimo duodecimo. mense Septembris. quintedecime indictionis. Regni uero domini nostri Frederici. illustrissimi Romanorum imperatoris electi et semper augusti. regis Sicilie quintodecimo. Datum in nobili civitate Basilea per manus Vlrici uiceprothonotarii. sexto Kal. Octobr. feliciter. amen.

Ex originali in archivo c. r. aulico Vindobonae cum bulla aurea sicula appensa illaesa. — Item copia vidimata in arch. statuum marchion. Moraviae. — Excus. apud Balbinum, Goldastum, Dobnerum et alios.

LIV.

Fridericus, Romanorum rex, coenobium Berchtesgadense in protectionem suam recipit, eique omnes possessiones confirmat etc. Huius rei testes sunt: Sifridus Moguntinus archiepiscopus. Otto Frisingensis episc. Cvonradus Ratisponensis episc. Hertwicus Eisteten. ep. Mangoldus patavien. episc. Fridericus Tridentinus episc. *Odakrius rex Boemiae.* Hermannus lantigrauius Duringiae. Leodewicus dux Bawariae. Leopoldus dux Austriae et Stiriae. *Heinricus marchio Morauiae.* Comes Meinhardus de Abensperc. Comes Cuonradus de Pleien. comes Cuonradus de Mosbvrch. Comes Chalhohus de Chirchperc. Heinricus marscalcus de Callindin. Wernherus dapifer de Bolandia. Waltherus pincerna de Schippfe. Volricus camerarius de Mincenberc. Datum apud Ratisponam MCCXII. XV. Kalendas Martii.

Monumenta Boica nova XXX. I. p. 3. juxta quorum computum ad annum 1213. spectat.

LV.

Fridericus, rex Romanorum, principibus suis, Eckeberto Babenbergensi et Ottoni Herbipolensi, episcopis liberam concedit facultatem transigendi de mutuis matrimoniis inter ecclesiarum eorum familias contrahendis

et de contrahentium prolibus inter praedictas ecclesias partiendi . . . Huius rei testes sunt: Albertus Magdeburgensis archiepiscopus. Eckebertus Babenbergensis episcopus. Sifridus Augustensis episcopus. Cuono fuldensis et elwacensis abbas. Laici: *Otakarus rex Boemiae.* Ludewicus dux Bawariae. palatinus comes reni. *Henricus marchio Morauiae.* Otto dux de Meram. palatinus comes Burgundiae. Henricus comes de Ortenberch. Lvdewicus comes de Zigenhagen. Ludowicus comes de Otingen etc. . . Data apud Augustam VII. Idus Augusti. Indictione VIII.

Monumenta Boica nova XXX. I. 103.

LVI.

Robertus, episcopus Olomucensis, confert monialibus ad s. Petrum Olomucii possessiones quasdam in Bukowan et Repšjn, et confirmat decimas in Klopotowice. Actum Pragae, 1213.

C†. In nomine sancte trinitatis et indiuidue vnitatis. Ego Robertus Olomucensis episcopus. religiosis dominabus manentibus aput sanctum Petrum in perpetuum. Cum pium sit et honestum omnium paci prouidere. precipue tamen in hoc pietatis opus refulget. quociens religiosarum mulierum inuigilamus securitati que ad sui defensionem minus sunt potentes et alienis semper indigent presidiis. Nouerint igitur tam presentes quam futuri quod nos cum consensu capituli nostri religiosis dominabus que manent in ciuitate Olomucensi ad sanctum Petrum muris ipsius ecclesie proxime et contigue. contulimus terram ad duo aratra in villa que vvlgo uocatur Bvkowan. ad tercium aratrum in villa que dicitur Reppsyn. et ortum quendam situm in fine eiusdem ciuitatis cum arboretis et suis attinenciis. Insuper quandam aream adiacentem claustro in nowygradek que extenditur usque in Morawam eis addidimus simul cum molendino quod curie nostre aliquando deseruiebat. Indulsimus etiam eis decimas nostras in villa Klopothowich. quam dominus Stephanus prepositus Olomucensis emit per manum nostram eisdem dominabus pro LXX marcis. de licentia domini incliti Regis boemie Otthakari. et de consensu illustris Marchionis Morauie Wladizsslai. Per auorum etiam beneuolentie affluentis largitatem

et graciam. ipsa eadem uilla facta est libera a communi tributo terre. et ab omni uiolentia beneficorum. ab intratu camerariorum et insultu indebito eorum et grauamine illicito exigendo quorumlibet malefactorum. Certum autem et fidelem procuratorem ad peticionem ipsarum dominarum. dominum prepositum Olomucensem Stephanum. pro ipsius prudenti prouisione et diligenti illius loci subuentione eis constituimus usque in finem uite sue. Jus autem patronatus debet spectare ad episcopum Olomucensem. quia in eius fundo domus illa est constituta. Vt autem hec omnia rata maneant et inconuulsa hanc paginam nostro et capituli sigillo fecimus muniri et sub excommunicatione confirmari. Et ne liuor inposterum ista possit irritare. notum sit omnibus. quod multo plura bona conquisiuimus ecclesie Olomucensi. et ideo ista libere potuimus conferre. Huius rei testes sunt. Andreas prepositus pragensis. Johannes scolasticus pragensis. Christoforus archidiaconus pragensis. Benezss nobilis boemie. Bawarus camerarius Olomucensis. Vithko cum fratribus heinrico et iuniore Vithkone. Zauissa castellanus Olomucensis. Actum Prage anno domini Millesimo CC. XIII. Indictione II.

Ex originali in archivo capituli Olomucensis. Sigilla duo illaesa appendent.

LVII.

Rudgerus miles monasterio Lucensi decimas vinearum juxta Gnadlersdorf more teutonico tradit sub sigillo Wladislai, marchionis Moraviae.
(1202 — 1213).

In nomine. Patris. et. filii. et spiritus sancti. Amen. Quoniam rerum transitoriarum transitus est. fuit. et erit semper incertus. idcirco celebris antiquitas. prouidens de futuro. posteritati reliquit firmiter tenendum. ut quicquid circa res prefatas. ageret. hoc regalium sigillorum. impressione. et legitimorum testium inscriptione. confirmaret. Inde est. quod ego *Rudgerus* miles. dignum duxi notum facere. tam presentibus. quam futuris. christiane professionis. ueris cultoribus. me contradidisse. *more teutonico.* decimas integrales. in omnibus uineis. que site sunt in monte. qui iacet iuxta villam

Gnanlic. quod factum. gloriosus marchio morauorum. *Vadizlaus.* in consecratione lucensis ecclesie. sollempnizauit. committens pontifici Ruberto morauorum excommunicandum. quod et factum est. adibitis testibus. tam sollempni collationi. Ne ergo aliquis temerarius. tam sollempne factum inirritum presumat deducere. uenerabilis abbas. prefate ecclesie. Gerardus. adibere testes. et presenti pagine inscribere procurauit. nomina autem testium. hec sunt: Imrammus castellanus. Detricus. Vernhardus. Olverammus. Prosimirus. Henricus iudex. Sepoldus. Pomnenus. Boiek. Petrus. Velen. nomina uero clericorum. Sdizlaus parrochianus de chatow. Pertoldus de Oleczouic. Petrus. Marcus. Radzlaus. Premisl. Albertus.

Ex originali ejusdem monasterii in registr. c. r. Gubernii. — Sigillum appendet Heinrici, marchionis Moraviae, equestre, cujus est insigne leo bicaudatus.

LVIII.

Přemysl, rex Boemorum, restituit monasterio Chotěšowiensi villam „Uherci." Actum Pragae, 1213.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Ego Premizl dei gracia rex Boemorum uniuersis Christi fidelibus tam futuri quam moderni temporis. Equitatis (sic) exigit. ut nos qui deo largiente principatum inter homines adepti sumus ea que ad utilitatem seruorum eius pertinent sollicite prouideamus et ecclesias eius earumque possessiones nostra circumspectione muniamus nostre protectionis clipeo defensemus. Innotescat ergo uitam agentibus et sciant posteri. quod nos pro fideli seruitio suo nobili uiro Drizizlao uillam. que dicitur Vherci. tradidimus sibi suisque heredibus iure hereditario possidendam. Processu igitur temporis predictus Drizizlaus cum filiam suam nomine Helkam matrimonio traderet prenominatam uillam filie contradidit etiam iure hereditario possidendam. Mortuo tandem patre et etiam marito pretaxate matrone. cum nec puerorum solatio potiretur. placuit ei mundum et ea. que mundi sunt. relinquere. et ad consortium sororum. que deo in claustro quod dicitur Hotessov mancipate sunt se contulit. uillam sepius dictam coram *Roberto* episcopo Morauiensi. et nobi-

libus Boemie. uidelicet Jaros. et filiis Witconis. Witcone et Heinrico. et Hermanno. filio Jarozlai. et multis aliis *de Boemia. et Morauia euntibus Ratisponam ad colloquium.* in usus ecclesie tradidit perpetuo possidendam. Eodem autem anno. quo hec acta sunt. dominus *Theobaldus* cui tanquam fideli custodiam Pliznensis prouincie commisimus. nobilem uirum Groznatam predicte ecclesie fundatorem in eadem uilla multis grauaminibus infestauit. ignorans nos sepe dictam uillam patri prenominate matrone in possessionem hereditariam tradidisse. Accesserunt ergo ad nos predicte ecclesie fundator et defensor. Groznata. et Olricus comes. et frater eius Protiva. et totam seriem nostre donationis. et qualiter predicta matrona. se et uillam ecclesie contulerit. nobis plena fide. et sub testimonio nobilium uirorum. quorum nomina inferius subscribentur. sollempniter manifestauerunt. Nos autem prefatam donationem nostram plenarie ad memoriam reuocantes. et matrone deuotioni congaudentes. eius actionem collaudauimus. et uillam predictam ecclesie confirmauimus perpetuo possidendam. Vt autem de cetero omnis dubietas nostre donationis seu etiam confirmationis perpetuo sopiatur. presentem paginam conscribi fecimus. et sigilli nostri munimine roborari. Placuit etiam hec confirmatio nostra fratri nostro *Wadizlao.* qui presens affuit. et sigilli sui testimonio confirmauit. Apposuerunt etiam de mandato nostro sigilla sua *Theobaldus* cognatus noster. et *Zobezlaus* frater eius. Nomina autem eorum. qui huic secunde confirmationi nostre. seu etiam donationi affuerunt sunt hec Wadizlaus. Theobaldus. Zobezlaus. Daniel episcopus Pragensis. Robertus episcopus Morauiensis. Zlauco. Benes. Marquardus. Zauissa. Jaros. Witco. Heinricus. Martinus filius Csastone. Bicen. Johannes et frater eius Olricus filii Jurik. Bohuzlaus filius Dnepr. Budiuoy filius Drisicray. et alii plures. qui fuerunt in colloquio. Actum est hoc incarnationis dominice anno millesimo ducentesimo. XIII. indictione III. Concurrente III. Epacta XVIII. coram Boemis in Praga.

Ex originali in archivo c. r. aulico Vindobonae in analectis F. Palacky. — E quatuor sigillis olim appensis primum avulsum deest; secundi fragmentum adest; tertium laesum ducis Theobaldi repraesentat medium leonem et mediam aquilam invicem junctos dorso; quarti sigilli a praecedente diversi fragmentum superest.

LIX.

Heinricus, qui et Wladislaus, marchio Moraviae, Protiwae, praefecto de Unčow, inhibet, ne Theodoricum advocatum molestet. Dt. in Olomuc, **1213.**

Heinricus, qui et Wladizlaus, dei gratia marchio Morauie, dilecto nobili nostro *Protiue prefecto de Vnisoue* gratiam et omne bonum. Accedens ad nostre gratie presentiam Theodoricus aduocatus noster *de vnisove* humili uoce supplicauit, quatinus priuilegii nostri, quod a nobis habere noscitur, continentiam et articulum de silua circumiacente extirpanda, super quo ipsi a te impedimenti iniuriam inferri asserebat, lucidius et diligentius difinire dignaremur. Noueris igitur, quod iuste petitioni prefati Theoderici benigno assensu inclinati, taliter ediximus coram nobilibus nostris in Olomuc, videlicet quatinus prefatus aduocatus noster cum heredibus et successoribus suis extirpare siluam debeat incipiendo a fluuio Ozka, ubi molendinum habebit, et uersus uiam, que ducit in Vzoue procedendo usque ad montes, quantum in triginta annorum spatio eradicare potuerit. Mandamus igitur, et sub gratie nostre obtentu tibi precipimus, quatinus prefatum Theodoricum molestare uel aggrauare non presumas, sed potius eundem tueri omnimode non negligas. Datum in Olomuc anno gratie M. CC. XIII.

E copia sec. XIV. in registr. civitatis Olomuc.

LX.

Přemysl, rex Boemorum, confirmat locationem civitatis Freudenthal secundum jus Teutonicorum, a fratre suo Wladislao, marchione Moraviae, factam, et libertates ipsi ab eodem concessas. Actum apud Olomuc III. Kalendas Januarii, **1213.**

Premizl dei gratia Boemorum rex. dilectis ciuibus nostris de *Froudenthal* presentibus et futuris in perpetuum. Conueniens est regie serenitatis clementie iustis petentium uotis assensum prebere benignum, et ea, que ab equitatis tramite non discedunt, efficaci fine complere. Innotescat

igitur uobis ciues dilecti nunc et in posterum, quod nos locationem uestre ciuitatis secundum *ius teutonicorum, quod hactenus in terris Bohemie et Morauie inconsuetum et inusitatum extiterat,* sed uobis primum per karissimum fratrem nostrum illustrem marchionem Morauie, nomine *Wadizlaum*, concessum esse dinoscitur, regia auctoritate confirmamus, uolentes, ymo precipientes, quatinus hoc nouum et honestum institutum a nullo umquam beneficorum perturbetur, sed ratum maneat et inconuulsum in singulis articulis. quemadmodum in prefati fratris nostri pagina latissime expressum legitur. Item confirmamus uobis omnes alias libertates et possessiones, quas siue ex prefati marchionis concessione, siue ex antiqua fundatione iuste et rationabiliter possidere perhibetis. Item decimam telonei, et decimam metallorum in circuitu ad quatuor miliaria uobis in meliorationem prefate ciuitatis ad tempora, donec nos et prefatus frater noster uite curricula expleuerimus, concedimus percipiendam de principali nostra munificentia. Vt autem hec nostra confirmatio et gratie augmentatio rata permaneat et inconuulsa hoc priuileginm sigilli nostri Karactere iussimus roborari. Testes huius rei hiis nominibus adnotantur. *Rubertus* episcopus Olomucensis. dominus *Wladizlaus* frater noster marchio Morauie. dominus *Bolezlaus* de Opul. dominus *Bolezlaus* nepos noster. Zauisza burgrauius Olomucensis. Bludo de Preroue. Vitco castellanus de Gradech. Zulizlaus dapifer. Ditricus cum filio Grut. Leo iudex. Imramus de Znoem. Stephanus de Medelou. Olvram. Welis. Prosimir de Praulou. Pomnen. Ones. Boguzlaus. Zuda et alii quam plures. Actum apud Olomuc III. Kal. Januarii anno uerbi incarnati M. CC. XIIII. datum per manus Johannis capellani domini Marchionis.

E confirmat. Premysl march. Morav. 1233. in cod. Ms. Tisnowicensi.

LXI.

Heinricus, qui et Wladislaus, marchio Moraviae confirmat possessiones ordinis s. Joannis Hierosolymitani per Moraviam, eique libertates confert, quibus monasterium Welehradense gaudet. Datum Prostegow pridie Kalendas Januarii, 1213.

In nomine sancte trinitatis et indiuidue unitatis. Ego *Heinricvs qui et Wladizlaus* dei gracia Marchio Morauie domui hospitalis sancti Johannis

et eius fratribus inperpetuum. Sanum fore censens et condignum sanctarum ecclesiarum tranquillitati prouidere. in nullo credidi eis plus succurrere quam earum possessiones a cunctis uexationibus in quantum possum tutas reddere et eas perpetua libertate honorare. Nouerint itaque tam presentes quam futuri. quod omnes possessiones quas *domus sancti Johannis in tota Morauia* possidet uel adhuc est possessura propter largam ipsorum circa pauperes. infirmos et peregrinos pietatem. ab omni iure quod ad me vel successores meos pertinet absolvi. et ut a nullo imposterum super hoc impetantur statui. Sint ergo absoluti a iure quod vocatur Narez. Nochlegh et powoz. et ab omni iure illo pro quo dantur XIIIIcim nummi. Insuper liberos esse uolo ab illis nummis qui dantur pro capite uel pro swod et ab omni exactione que spectat ad castrorum edificationes uel poncium secundum terre illius morem. Si quis hominum illius domus pro furto accusatus in causa ceciderit. uel etiam in furti actione fuerit deprehensus. bona furis domui remaneant. et ipse cum aduersario suo satisfecerit. pro capite suo graciam meam inueniat. Nullus successor meus uel terre mee inbeneficiatus siue camerarius siue iudex siue ceteri officiales quocunque modo nominati aliquid ab hominibus domus illius exigant uel eis novas consuetudines imponant. Omne ius quod ego per fratrem meum *Premisszl* regem Boemie abbatie *Welegradensi* concessi etiam eidem domui concedo. uolens eos perpetua securitate gaudere. Ut autem hec rata omnia in futurum permaneant. hanc cartam meo sigillo feci insigniri. Dominum autem episcopum Holomucensem rogaui in cuius episcopatu possessiones ille site sunt huius mee concessionis transgressores excommunicare quod et ipse fecit. ad quem semper domus illa in suis pressuris et iniuriis habeat recursum. ut ubi posterorum meorum in suis subiectis defuerit correctio ipse spiritualis gladii ultione in malefactores animaduertat. Hec vero sunt nomina ueridicorum testium nimirum. *Rubertus* episcopus Holomucensis. Dominus *Bolezslaus* nepos meus. Hermannus abbas de Gradissch. Szifridus abbas Welegradensis. Stephanus prepositus holomucensis. Walterus decanus olomucensis. Radozsslaus archidiaconus olomucensis. Esau archipresbiter prerowensis. Moyses archidiaconus Brechizlavensis. Bauarus camerarius olomucensis. Zauissa burgrauius olomucensis. Bludo prefectus prerouensis. Zulizsslaus dapifer. Doben iudex. Blag filius Blegonis.

Scizlaus filius Zwar. Dubache. Vitko filius uitkonis. Dietricus cum filio Gruth. Leua iudex bernensis. Wernhardus de tyrna. Immerammus burgrauius de Znoem. Lutek. Olbram. Stephanus de Weweriu. Zudek Rohche. Oness filius Blud. Bogusszlaus filius petri. Vitosszlav. Capellani curie mee. Zssudek. Sdon. Johannes. Burchardus. Zuda. Acta suut hec anno M.CC.XIIII. dominice incarnationis. anno vero principatus mei XV. Data uero Prossteyow II. Kalendas ianuarii per manus apollinaris curie mee prothonotarii.

Ex originali in archivo Melitensium Pragae. — Sigillum equestre, cujus insigne leo bicaudatus.

LXII.

Přemysl, rex Boemorum, confirmat privilegium praecedens fratris sui Wladislai, marchionis Moraviae, ordini s. Joannis Hierosol. concessum. Datum Prostĕgow pridie Kalendas Januarii, 1213.

In nomine sancte trinitatis et indiuidue unitatis. Ego *Premissl* dei gracia Rex boemorum domui hospitalis sancti iohannis et eius fratribus in perpetuum. Cum nostre conueniat prouidentie. sanctarum ecclesiarum paci et quieti prouidere. in nullo credimus eis magis succurrere quam ipsarum possessiones a cunctis uexationibus in quantum possumus tutas reddere et eas perpetua libertate honorare. Nouerint itaque tam presentes quam futuri. quod omnes possessiones quas *domus sancti iohannis in tota Moravia scilicet in Olomucensi. in Znoemensi. in Brenensi. in Golessicensi. prouinciis* possidet. uel adhuc est possessura. propter superhabundantem ipsorum circa pauperes. infirmos. et peregrinos pietatem. ab omni iure quod ad nos uel successores nostros. uel ad principes terre illius uel eorum successores pertinet. absoluerimus. et ut a nemine super hoc in posterum impetantur statuimus. Sint ergo absoluti a iure quod vocatur Narez. Nochlegh. et powoz. et ab omni illo iure pro quo dantur quatuordecim nummi. Insuper liberos esse uolumus ab illis nummis qui dantur pro capite uel pro swod. et ab omni exactione que spectat ad castrorum edificationem secundum terre illius consuetudinem. Si quis hominum illius

domus pro furto accusatus in causa ceciderit. uel etiam in furti actione fuerit deprehensus. bona furis domui remaneant. et ipse cum adversario suo satisfecerit. pro capite suo gratiam principis inueniat. Nullus princeps uel terre illius inbeneficiatus. siue camerarius. siue iudex. siue ceteri officiales quocunque modo nominati aliquid ab hominibus domus illius. exigant. uel eis nouas consuetudines imponant. Omne ius quod nos cum fratre nostro *Wladisslao.* marchione morauie abbacie *Welegradensi* concessimus. etiam eidem domui concedimus. uolentes eos ad peticionem fratris nostri Wladisslai prenominati principis morauie perpetua securitate gaudere. Ut autem hec omnia rata in futurum permaneant. hanc cartam nostre serenitatis sigillo fecimus insigniri. et huius nostre constitutionis uiolatores pena grauiori uolumus mulctari. Dominum autem episcopum olomucensem rogauimus in cuius episcopatu possessiones ille site sunt. huius nostre concessionis transgressores excommunicare. quod et ipse fecit. ad quem semper domus illa in suis pressuris et iniuriis habeat recursum. ut ubi principum in suis subiectis defuerit correctio. ipse spiritalis gladii ulcione in malefactores animaduertat. Huius rei testis sum ego *Wladisslaus* frater Regis Marchio Moravie. ad cuius peticionem et uoluntatem dominus Rex prescripta confirmauit. et ideo sigillum nostrum fecimus apponi. Huius etiam rei testis sum ego *Rubertus.* olomucensis episcopus. qui ad preceptum domini Regis sigillum meum feci apponi. Sunt et huius rei testes dominus *Bolezsslaus* nepos domini Regis. Dominus abbas Hermannus de Gradisch. Dominus Sifridus. abbas Welegradensis. Dominus Walterus. decanus olomucensis. Dominus Stephanus. prepositus olomucensis. Radosslaus archidiaconus olomucensis. Esav. archidiaconus Prerouensis. Moyses. archidiaconus Brecizsslauensis. Bawarus camerarius olomucensis. Zauissa burgrauius olomucensis. Bludo burgrauius Prerowensis. Doben. iudex Olomucensis. Sulizsslaus dapifer. Dubache. Blag filius Blagonis. Scisslaw. filius Zwar. Oness. filius bludonis. Bogusslaus filius Petri. Vitko senior filius uitkonis. Detrih. filius Gruth. Gruth. filius Detrici. Leua iudex Brenensis. Wernardus. de Tyrnaw. Heinricus iudex. Olbram. Stephanus de Veueri. Emerammus. burgrauius de Znoem. Lutek. Sudek. Rohcae. Vitosslaw. Capellani domini marchionis. Sdon. Suda. Purcardus. Johannes. Sudek. Acta sunt hec anno M. CC. XIIII. dominice incarnationis. anno vero

regni nostri XV. Data vero Prosteyow pridie Kalendas Januarii. Per manus Wlrici notarii nostri.

Ex originali in archivo Melitensium Pragae.

LXIII.

Přemysl, rex Boemiae, ad intercessionem Wladislai, marchionis Moraviae, et Roberti, episcopi Olomucensis, confirmat possessiones et libertates monasteriorum Teplensis et Chotěšowiensis. Datum in Prostěgow (mense Decembri), 1213.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Ego *Premizel* dei gracia rex Bohemie, vniuersis Christi fidelibus tam futuri quam moderni temporis. Cum principalis sit prouidentie, suorum temporum actiones ad suorum successorum deferre memoriam, et precipue ea, que libertati prospiciunt ecclesiastice: nouerint tam presentes quam futuri, quod nos ad petitionem dilecti nostri G. fundatoris *Teplensis* ecclesie, libertates et indulgentias et donationes, quas eidem ecclesie et etiam *Holesouicensi* diuersis temporibus pro nostro et successorum nostrorum remedio contulimus, in hac nostre confirmationis et concessionis pagina breuiter recapitulando curauimus annotari, que in iam collatis priuilegiis ex scriptorum negligentia fuerunt intermissa, supplere et confirmare cupientes. Primum quidem annuente et petente fratre nostro *Wladizlao,* fauentibus filiis, acclamantibus et laudantibus primatibus tam Bohemis quam Morauis, predictis ecclesiis in bonis, que nunc possident, et in posterum poterunt adipisci, de causis, culpis et satisfactionibus, omnem nobis attinentem contulimus utilitatem. Insuper auctoritate statuimus principali, ut predictarum ecclesiarum homines, in quacunque parte terre commorantes, a nostra et nostrorum potestate successorum et dominio sequestrati ac penitus absoluti nullis uniuersalibus collectis, que per Bohemiam fieri solent, uel huius modi exactionibus grauari debeant, sed ab omni infestatione et vexatione potentum liberi permaneant. Nullus eos pro castrorum, que in terra sua sunt, reedificatione commoneat. Nullus eos pro ingruenti aliqua expeditione inquietare audeat. Nullus eos pro reparatione uiarum uel silue succisione in ambitu

terre molestare presumat, precipue homines de Tepla et in toto circuitu circa siluas commorantes, quibus portam terre, quam a suo fundatore possident, et munire et custodire sufficiat. Nullus eos seu camerarius seu uillicus siue castellanus ad iudicium compellat. Cum enim a fundatore suo, nobis et successoribus nostris aduocatia eorum commissa sit, uolumus, ut de cetero de omni accidenti in presentia nostra et successorum nostrorum iudicentur. Statutum etiam eiusdem fundatoris de militibus utriusque domus retinendis et dimittendis post mortem ipsius, sicut in eius autentico continetur, uolumus inuiolabiliter obseruari. Preterea gratiam et indulgentiam auctoritate apostolice sedis ordini eorum indultam, videlicet, ut licitum sit eis, in causis suis fratres suos idoneos ad testificandum adducere, et eorum testimonio, sicut rectum fuerit, et propulsare uiolentiam, et iustitiam vindicare, cum nos antea talem consuetudinem non habuerimus, ne huiusmodi indulgentia quasi inconsueta per ignorantiam in principatu nostro refellatur, huic pagine dignum duximus annotari, et quantum ad regiam spectat dignitatem, confirmari. Ceterum uillam, que in Zedelecensi prouincia Lustenstat dicitur, cum omni iure forensi et ciuili, et siluam attinentem, quam predicto G. fideli nostro, dum adhuc miles existeret, pro seruitio suo iure hereditario possidendam contulimus, specialiter ecclesie Teplensi et fratribus ibidem commorantibus confirmamus, reminiscentes nos prefatam uillam ad petitionem sepe dicti G., cum Romam proficisci proponeret, coram Bohemis in communi colloquio Prage, pro remissione peccatorum nostrorum predicte ecclesie in manus J. eiusdem loci abbatis iure hereditario possidendam specialiter assignasse. Villam etiam Sandowe, que infra metas Bohemie comprehenditur, et terram usque ad siluam prefato loco concedimus etiam iure hereditario possidendam. Denique huic concessioni nostre testificando inseri volumus, quod venerabilis Daniel, dei gratia Pragensis ecclesie episcopus XVII., omnem decimam, que sui iuris erat, ecclesie Teplensi contulerit, tam de his, que prefata ecclesia in presentiarum possidet, quam de his, quam imposterum iustis modis poterit adipisci, fauentibus canonicis suis et laudantibus, qui super hoc prefate ecclesie priuilegium tradiderunt, sigilli predicti episcopi et Pragensis capituli certissime roboratam. Ceterum quelibet littere seu priuilegia huic concessioni et confirmationi nostre in aliquo contraria antea uel in posterum, siue a nobis, siue a successoribus

nostris preter assensum fundatoris et abbatis de Tepla sigillis eorum et testibus premunitum, ad quorumcunque etiam suggestionem impetrata fuerint, nullam penitus obtineant firmitatem. Ne ergo prauorum hominum hanc nostre concessionis, confirmationis, testificationis paginam possit infringere peruersitas, placuit scripto commendari, et per impressionem sigilli nostri et fratris nostri *Wadizlai, marchionis Morauie,* et venerabilis R(oberti) Olomucensis episcopi, ad quorum intercessionem hec contulimus, roborari. Datum in Olomucensi prouincia in villa, que dicitur Prostegov, acclamantibus et laudantibus Bohemis et Morauis. Anno dominice incarnationis M. CC. XIII.

Ex originali monast. Teplensis in analectis F. Palacky. — Excusum in Annalibus Praemonstrat. II. DLXXIV.

LXIV.

Heinricus, qui et Wladislaus, marchio Moraviae, amplians civitatem Bsenec (Bisenz), variis libertatibus et proventibus dotat. Actum in Olomuc III. Nonas Januarii, 1214.

In nomine domini amen. Ego *Henricus qui et Wladizslaus* dei gracia marchio Morauie uniuersis Christi fidelibus tam modernis quam ipsos secuturis in perpetuum. Principalis profecto glorie excellentia clariori effulgere solet lumine. dum ciuitatum amplarum splendente numero circumdata esse cernitur. Ideo ego Wladiszlaus dei gratia marchio Morauie uolens uillam forensem nomine *Bizince* muro forti construere et ita ampliare. ut honore et prerogatiua ceterarum nostrarum ciuitatum congauderet. relaxamus et penitus remittimus ad triginta annorum spatium ipsis ciuibus de Bisince censum denariorum et mensuras annone. que serenissime domine regine Bohemorum nomine *Constantie* annis singulis persoluere debebant. Item uolumus ut ex nunc et in futurum omnes culpe in ipsa ciuitate iuxta ius quod a ciuitate *Breczislaua* acceperunt et antiquam consuetudinem iudicentur. preter graues culpas que coram nobis uel nostris iudicibus debent iudicari. Item siluam que vulgariter dicitur Dubraua. ipsis tradimus extirpandam uel in usus suos retinendam secundum quod sibi placuerit. quam

circumeundo positis aceruis qui kopci uel granicie dicuntur. limitauimus. Item concedo ipsis molendinum libertatum. item duos mansos ad usum sacerdotis. qui pro tempore fuerit. Et hec nostra ordinatio facta est de uoluntate serenissime domine regine Bohemorum. prefate videlicet domine Constantie. in presentia serenissimi domini Otakari regis Bohemorum. karissimi fratris nostri. qui sigillum suum nostro adiunxit in munimen literarum. Actum in Olomuc III. Nonas Januarii anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo decimo quarto. Testes sunt hii. *dominus Otakarus rex. Rubertus episcopus Olomucensis. dominus Boleslaus.* Hermannus abbas de Gradish. Sifridus abbas de Welegrade. Walterus decanus. Stephanus prepositus. Radozlaus archidiaconus et omnes canonici Olomucenses. Bauarus camerarius Olomucensis. Zauisa burgrauius Olomucensis. Bludo prefectus prerouiensis. Ditricus cum filio Grut. Onso filius Bludonis. Lutek. Welen. Zuda. Protiua de Vniczoue. et alii quam plurimi. Datum per manus Johannis capellani nostri.

E codice Tisnowicensi Ms. sec. XIV.

LXV.

Heinricus, qui et Wladislaus, marchio Moraviae, confirmat ordini s. Joannis possessionem villarum Tišnow et Březina. Actum in Bruna mense Januario, 1214.

C†. In nomine sancte et indiuidue trinitatis amen. Principum nobilitatem decet progenitorum suorum facta non solum inuiolabiliter conseruare. uerum etiam auctoritate sue dignitatis quam ab eisdem accepisse dinoscitur firmiter roborare. Hinc est quod ego *Heinricus. qui et Wladizlaus* dei gratia marchio Morauie uniuersis Christi fidelibus tam presentis quam eui successuri notum esse volumus. quod pie memorie pater meus a quo nomen et regnum habere videor videlicet *Wladizlaus.* rex Bohemorum fratribus hospitalis et domus *sancti Johannis Hierosolimitani* ad petitionem fratris sui *Henrici ducis Morauiensis.* uillas *Thusnou et Brezie* cum suis pertinentiis contulerat iure hereditatis Christi possidendas in perpetuum. Quam nichilominus donationem minus iuste factam nunc contradicente et iuris forma

probante nobili uiro Tazzone didici ueraciter. tamen ne factum pie memorie patris mei prefati fratribus prenominati hospitalis inaniter. Tazzoni uero prefato et suis heredibus iniuste. accidisse dicatur. dignum duxi ad petitionem Cvonradi magistri domus ibidem auctoritate nostra firmiter roborandum. accedente ad hoc consensu ipsius nobilis uiri Tazzonis. qui resartione sui dampni ipsi per me facta se contentum esse acclamauit. Quocirca ut hec eadem confirmatio in euum permaneat inconuulsa priuilegii munimine ac testium subnotatione nec non sigilli mei impressione hanc paginam decreui roborare. Testium uero nomina sunt hec: Zdezlaus prepositus sancti Petri. Bogdal prepositus de Raigrad. Lewa iudex Brunensis. Stephanus castellanus de Veueri. Emrannus burgrauius de Znoem. Budis prefectus de Igla. Tazzo frater eius. Wrs de Zadek. Voyteh de Lapide. Bzneta. Welis. Boiek. Gneua. Pribizlaus de Obrany et alii quam plures fide digni. Actum in Brunna anno incarnationis dominice millesimo CC. XIV. mense Januario. Data per manus Apollinaris curie mee protonotarii.

E codice Tisnowicensi Ms. sec. XIV.

LXVI.

. . Nos Premyzcel dei clementia rex Boemorum . . . ante annos quam plures mediantibus *Ruoberto Olomucense episcopo.* Tsyrnino camerario et fratre eius Dyrzyzlao duas uillas . . . obligauimus abbati de Myleuzko . . . Data Prage in die epiphanie . . anno dominice incarnationis M. CC. quinto decimo.

Ex originali archivi Worlicensis in analectis F. Palacky.

LXVII.

Wladislaus, marchio Moraviae, decidit litem inter monasterium Gradicense et homines de „Luczicz" ratione silvae ad Domašow. Actum et datum in colloquio Znoymae V. Idus Septembris, 1215.

In nomine domini amen. Nos *Wladislaus,* dei gracia marchio Morauie, monasterio *Gradicensi,* Premonstratensis ordinis, Olomucensis diocesis,

et fratribus tam presentibus, quam futuris professis ibi regularem uitam in perpetuum. Cum magnifica principalis excellentia debeat in suo iure quemlibet confouere, iniurias teneatur reprimere ac calumnias, malitiis hominum nullatenus indulgere: nouerint vniuersi tam presentes quam futuri, quod, cum dominus *Bonifacius,* abbas monasterii Gradicensis, Premonstratensis ordinis, ex vna, et homines uille de *Luczicz,* ad preclaram dominam coniugem nobis gratam pertinentes, ex parte altera, orta lite inter se pro quadam silua secus villas *Lasszian et Domassow*, et montibus, ubi metallum ferri foditur, et aliis montibus, in quibus molares lapides acquiruntur, et riuulis, in quibus aurum foditur, et omnibus aliis utilitatibus, curiam nostram siue colloquium nobis cum nostris baronibus in Znoim celebrantibus, partibus conuocatis in nostra presentia constitutis, petiuit abbas supradictus super bonis predictis sibi fieri iustitie complementum. Tandem motis hinc inde uerbis inter partes ac multiplicatis, iudicauit iusta sententia baronum nostrorum, dominum abbatem in sua actione debere producere testes idoneos et fide dignos. Produxit ergo hos testes dominus Bonifacius abbas coram nobis uidelicet: Bauarum camerarium, Zauissie castellanum, Veliz iudicem Olomucensem, Bludonem, castellanum Prerouensem, Bicenonem, fratrem suum, Onsonem et Victorem, fratres Bludonis, Predborium de Cetow, Protiwen de Vniczow; quorum testimonio, cum nobis et nostris baronibus id sufficienter uisum fuisset comprobatum: nos de solita nostre benignitatis clementia, quia nulli iusticiam supprimere tenebamur, sepedictum Bonifacium abbatem, cui equitatis forma partem iam fauet potiorem, eiusdem silue cum utilitatibus supradictis nomine sui monasterii pleno iure fecimus possessorem. Inclinauit igitur abbas prefatus et duos denarios, qui vulgo Prisudni dicuntur, in signum cause obtente coram nobis Veliz iudici presentauit. Ad petitionem domini abbatis supradicti misimus e latere nostro nostros beneficiarios Olomucenses, videlicet: Bauarum camerarium, Zauissie castellanum, Veliz iudicem, cum camerariis, qui vulgo Pohonci dicuntur, scilicet Mislik de Medlow, Bohudar cum fratre suo, Janek de Duban, Stremena de Chudobyn, qui predictum abbatem de bonis iam dictis auctoritate nostra nomine Gradicensis monasterii facerent possessorem, et etiam bona predicta per certas metas, que uulgo hranicie vel Kopcy siue Vrociscie dicuntur, secundum terre consuetudinem circuirent, ne predictum monasterium in

possessionibus predictis ab hominibus de Luczicz uel aliis uicinis quibuslibet possit per aliquam calumniam seu violentiam de cetero molestari. Predicti vero beneficiarii bonis supradictis metas antiquas renouantes taliter posuerunt. Prima meta circa Domassow super riuulum Olessnik est posita, que vulgo dicitur Kopec; deinde directe trans montem procedendo sunt mete, que uulgo hranicie dicuntur; usque ad fluuium Debrnik est meta, que uulgo dicitur Kopec; qui fluuius per ascensum facit metam usque ad suam originem, et ibi est posita meta, que dicitur uulgo Kopec. Deinde per directum eundo sunt signa, que uulgo hranicie dicuntur, usque ad uiam publicam, que vulgo dicitur Rudna cesta; trans viam vero predictam per directum eundo sunt mete, que vulgo hranicie dicuntur, trans fluuios Lodinnicie et Luckow, usque ad locum, qui vulgo dicitur Chlum. Post hec directe eundo sunt mete, que uulgo hranicie dicuntur, trans fluuium, qui uulgo dicitur Bystricie, usque ad originem fluuii, qui uulgo dicitur Byssowa. Ab origine Byssowa per directum est ascendendum per signa, que dicuntur hranicie, usque ad montem, qui dicitur Rosutice, et trans montem Rossutice per longum sunt hranicie usque ad fluuium Morauicie. Fluuius vero predictus per descensum facit metam, usque sub montem, qui dicitur Ruden. Et sic per directum eundo usque ad originem fluuii, qui dicitur Lopemnice; deinde directe ad originem fluuii, qui dicitur Luboska; deinde per directum ad originem fluuii Stara woda; postea per directum trans fluuios Scripowy et Bistrice usque ad locum, qui dicitur Bichotyno pole; deinde directe procedendo usque ad fluuium hraniczni. Fluuius vero predictus per descensum facit metam usque ad viam, que dicitur Gywowska cesta; via vero predicta facit metam usque ad originem fluuii, qui uulgo dicitur Strelni; fluuius uero predictus per descensum fluens facit metam, sicut fluit in fluuium Lodinicie; predictus fluuius per descensum fluens facit metam usque ad uillas Lasczian ex vna, et uillam Bilkouice ex altera parte. Quidquid igitur in predictis bonis ex utilitate auri, ferri, lapidum molinarium et omnium metallorum de cetero prouenerit infra distinctionem signorum et metarum supradictarum, ad monasterium pertinet memoratum; fluuii vero supradicti metam distinguentes sunt cum libera ripa et aqua monasterii nominati; itaque in ipsis molendina sine aliqua contradictione vicinorum potestatem habeat abbas liberam faciendi. Ut autem

gesta premissa, et causa per nos et nostros barones rationabiliter terminata robur obtineat firmitatis, presens priuilegium scribi fecimus, sigilli nostri munimine roborantes; hoc quoque decernentes, quod quicunque hoc priuilegium, per nos propter Deum dicto monasterio pie datum, et bona cum metis, que in ipsis continentur, presumpserit uiolare, causam predictam renouando, et ipsum abbatem et successores suos per actionem calumpniosam ad iudicium euocando, si non satisfecerit abbati et suis successoribus vel monasterio nominato, ipso facto coram iudicio causam suam amittat, et decem marcas auri sine relaxatione nobis soluere teneatur. Huius rei testes sunt: Bauarus camerarius, Zauissie castellanus, Veliz iudex, Olomucenses beneficiarii, et alii plures fide digni. Actum et datum in Znoim. Anno domini M. CC. XV. quinto Idus Septembris, per manus Apollinaris notarii.

Ex annalibus Gradicensis monasterii Ms. in registr. c. r. Gubernii.

LXVIII.

Wladislaus, marchio Moraviae, iterato confert monasterio Gradicensi villam forensem Knjnice cum ecclesia et villis adjacentibus, eorumque limites latissime describit. Dt. in Olomuc Kal. Septembris, (1200) *cc.* 1215.

In nomine domini amen. Nos *Wladizlaus*, dei gracia marchio Morauie, monasterio *Gradicensi*, Premonstratensis ordinis, Olomucensis dyocesis, abbati *Bonifacio* et fratribus, ibi nunc et in futurum regularem uitam professis, in perpetuum. Quoniam obliuionis exitus plurimumque excedit scientiam futurorum, ideoque acta presentium eterna scripturarum debent memoria obseruari: noscat igitur tam presens hominum etas, quam posteritas in domino successura, quod nos fratrum monasterii Gradicensis religiositatis feruorem, quem deuote famulando gerunt gubernatori omnium, intuentes, ipsorumque orationibus participes fieri cupientes, eis solita nostre benignitatis munificentia curiam et villam forensem, que *Knenicz* nominatur, cum iure patronatus ecclesie parochialis ibidem et villis adiacentibus, uidelicet *Sebetow, Cyethkowicz* et *Uherci* cum suis pertinentiis, et siluam spatiosam,

predictis bonis adiacentem, quam certo certius didicimus ex sinceritate felicis memorie domini *Ottonis* senioris, ducis Morauie, et sibi grate coniugis, domine *Eufemie,* fundatorum monasterii Gradicensis, collatam cum omnibus prouentibus et omni vtilitate metallorum, si que ibidem postmodum inuenta fuerint, nunc et in posterum ex eisdem percipiendis, de consensu fratris nostri, domini Otakari, inclyti regis Boemie tertii, dicto monasterio et fratribus ibidem degentibus contulimus iure hereditario pacifice et perpetuo possidendum; dantes eis nichilominus plenam libertatem, predictam syluam extirpandi, villas locandi in ea, uel alia, queque ex ea uel in ea ipsi pro vtilitate sua duxerint ordinandum. Damus etiam eis in prefata villa forensi Knenicz potestatem iudicandi super quoslibet fures, latrones, homicidas et alios malefactores per sententiam in capite et in rebus, qui ibidem uel infra limites predictorum bonorum fuerint deprehensi, sicut aliis in Morauia ciuitatibus nostris dedimus potestatem, ita quod ipsi vel eorum homines, in prefatis bonis residentes, ab omni iurisdictione beneficiariorum nostrorum in Olmucz et aliorum omnium in Morauia, scilicet citationibus pro qualibet causa uel culpa, denariorum solutione, in quibus nostri terrigene predictis beneficiariis sunt subiecti, per omnia sint exempti. Ad petitionem etiam abbatis supradicti misimus e latere nostro nostros fideles, scilicet Bauarum camerarium, Zauissie castellanum, Veliz iudicem, beneficiarios Olomucensis prouincie, cum Slauata, magistro uenatorum, et camerariis, qui uulgo Pohonchi dicuntur, scilicet Queton, Mislik de Medlow, Bohudar cum fratre suo, Janek de Duban, Stremena de Chudobin, qui predictorum bonorum limites antiquos siue Urocyscie renouantes ex una, et Lesan et Conicz ex altera (parte), secundum terre consuetudinem circuirent. Qui nostrum in hac parte mandatum diligentius impleuerunt, ne predictum monasterium in metis et possessionibus supradictis per cuiusquam calumpniam seu uiolentiam in aliquo de cetero aggrauaretur. Predicti uero beneficiarii in bonis sepe dictis metas antiquas renouantes, taliter posuerunt: prima meta a fluuio, qui vulgo dicitur Studena, ad locum Rachowkop; deinde per directum procedendo usque ad uiam publicam, que uia de Gewiczko dirigitur versus Konicz, et facit metam usque ad locum qui vulgo dicitur Sadek; et inde per directum procedendo usque ad locum, qui vulgo dicitur Scalka; postea per directum procedendo usque ad originem

fluuii, qui vulgo dicitur Nauirchmalinneho; deinde per directum procedendo usque ad originem fluuii, qui uulgo dicitur Nauirchdestneho; postea directe procedendo usque ad originem fluuii. qui uulgo dicitur Nauirchiawornika. Predictus uero fluuius per descensum facit metam, usque ad montem, qui uulgo dicitur Borissow; et sic trans predictum montem directe est eundum usque ad originem fluuii, qui uulgo dicitur Olesni; postea per directum est eundum usque ad locum, qui uulgo dicitur Bochency; deinde procedendo per directum usque ad locum, qui uulgo dicitur Naopatowem. Ut autem hec nostre largitatis donatio, monasterio dicto facta, et gesta premissa robur obtineant firmitatis, presens priuilegium scribi fecimus, sigilli nostri munimine roborantes, hec decernentes, quod quicunque hoc priuilegium, per nos propter deum supradicto monasterio datum pie, uel omnia, que in eo continentur, presumpserit violare, et non satisfecerit monasterio nominato, decem marcas auri pro qualibet uiolatione nobis soluere teneatur. Huius rei testes sunt: Bawarus, Zauisse, Veliz supradicti. Buz de Morauiczan. Bludo antiquus de Bludow, et plures alii digni fide. Actum et datum in Olmucz. Anno domini M. CC. Kalendas Septembris, per manus magistri Appollinaris, notarii aule nostre.

Ex transumto exeuntis sec. XIII. ejusdem monasterii in registr. c. r. Gubernii. — Hoc diploma una cum sequente fidei valde sublestae sub Budisio, Gradicensi abbate litigiosissimo, ex originalibus ipsis exampliatum esse videtur.

LXIX.

Wladislaus, marchio Moraviae, monasterio Gradicensi villas forenses Hranice, Kygow et Switawiam cum suis juribus et ecclesiis et villis adjacentibus iterato confert limitibus latissime descriptis. Datum in Olomuc Kalendis Septembris, (1201) *cc.* 1215.

In nomine domini Amen. Nos *Wadizlaus,* dei gracia marchio Morauie, ecclesie *Gradicensis,* Premonstratensis ordinis, Olomucensis diocesis, abbati *Bonifacio* et fratribus, ibi nunc et in futurum regularem uitam professis, imperpetuum graciam in omnium saluatore. Quoniam obliuionis exitus multum excedit scientiam et noticiam futurorum, ideo acta presentium

scripturarum memorie certis indiciis debent sollicite obseruari. Noscant ergo tam presentes quam futuri, ad quos litterarum peruenerit iste tenor, quod nos fratrum ecclesie Gradicensis, qui ibidem domino famulantur orationibus, participes fieri cupientes de benignitatis nostre misericordia ampliori, villam forensem, que *Hranicz* vvlgari nomine appellatur in prouincia Prerawiensi, cum iure patronatus ecclesie ibidem site, et foro feria IIII. cum sibi adiacentibus uillis, videlicet *Hermanici, Luczki, Polom, Belotyn, Nahorach, Yesennicie,* et eorum pertinenciis, et siluam spaciosam, predictis bonis adiacentem, cum omnibus prouentibus et vtilitatibus, nunc et inposterum ex eisdem percipiendis, de consensu fratris nostri karissimi, domini Premizl, regis Boemie III. Et etiam forensem villam, *Kyiow* vvlgari nomine appellatam, in Brecizlawiensi prouincia et ecclesia ibidem sita cum iure patronatus, quam veraciter didicimus ex donatione antecessoris nostri, illustris principis *Wencezlai, ducis Morauie,* pro anima patrui sui, principis *Ottonis II.* liberaliter Gradicensi ecclesie condonatam, cum foro feria III. thelonio et iuribus forensibus, sicut in Wraczow et in aliis nostris uillis forensibus plenius persoluuntur. Et *Switawiam* similiter villam forensem in wsobernensi prouincia cum iure patronatus ecclesie ibidem, quam veraciter didicimus ex donatione serenissimi Wadizlai, regis Boemie secundi, liberaliter Gradicensi ecclesie condonatam, cum villis adiacentibus, videlicet *Mychow* et *Ibonow* cum pertinenciis et foro sabbato, theloneo et iuribus forensibus sicut in predicto Wraczow et Prosteiow et in aliis nostris forensibus villis plenius persoluuntur, cum omnibus iuribus, libertatibus et iudiciis, que in nostris ciuitatibus vniuersis Morawie plenius obseruantur, contulimus perpetuo iure hereditario possidendas. Pro declaratione autem metarum ville forensis Hranicz sepius memorate ad petitionem abbatis Bonifacii supradicti misimus e latere nostro viros honorabiles nostros beneficiarios, videlicet dominum Bawarum, camerarium Olomucensem. Bludonem castellanum Prerowiensem. Veliz, iudicem Olomucensem. Item venatores, qui vvlgo lowci dicuntur, videlicet: Hohol. Crisan. Lelek. Waczlaw, et alios fide dignos, qui predicte possessionis vel silve metas de consensu nostro taliter distinxerunt: Prima meta in via publica versus Opauiam super riuulum, qui vvlgo dicitur Wrasni, et aceruus magnus, qui uulgo dicitur Copecz, trabibus circumdatus; et predictus riuulus ascendendo facit metam

usque ad montem, qui vvlgo dicitur dubowa, et trans montem predictum descendendo sunt mete, que hranicie dicuntur, usque ad riuulum, qui dicitur Bukowecz. Item trans predictum riuulum superius ascendendo sunt mete, que hranicie dicuntur, trans montem, qui dicitur Chrib, usque ad originem riuuli, qui dicitur Swinowi; predictus riuulus descendendo facit metam, usque ad riuulum Hradeszna; et predictus riuulus ascendendo facit metam usque ad arborem, que dicitur Yedl, in qua sunt mete i. e. hranicie. Deinde ascendendo trans predictum montem sunt hranicie usque ad originem riuuli, qui dicitur hraniczni, et sic predictus riuulus per descensum facit metam usque ad riuulum hluboki, et predictus riuulus per descensum facit metam usque ad montem, qui dicitur zabrieh. Et trans predictum montem sunt hranicie usque ad flumen, quod dicitur sucha; et sic secundum flumen ascendendo facit metam usque nawirch riuuli dicti rokytowecz. Et sic predictus rokytowecz descendendo facit metam usque ad rubum, qui vvlgo dicitur rokitowi Kerz. Deinde ascendendo trans locum, qui dicitur Chrib, sunt hranicie usque ad originem fluminis, quod dicitur weliczicie. Predictum uero flumen per descensum fluit in aliud flumen, quod dicitur welika, et facit metam. Et predictum welika per descensum fluit in flumen, quod dicitur beczew, et facit metam. Et flumen Beczew facit metam per ascensum usque ad locum, qui dicitur dubrawicie. Deinde trans predictum locum sunt mete uel Copci usque ad montem, qui dicitur hraniscza Hora. Deinde trans predictum montem sunt mete uel Copci ad siluam, qui dicitur Spiczki lez. Deinde iuxta predictam siluam per descensum sunt Kopci usque ad fluuium, qui dicitur Potok et geser. Deinde trans predictum fluuium sunt Kopci usque riuulum, qui dicitur spiczki potok. Predictus uero riuulus per descensum fluens metam facit usque in flumen, quod dicitur Jessennicie; et sic predictum flumen per descensum fluens metam facit usque ad riuulum, qui dicitur Zarski potok, et predictus riuulus per ascensum metam facit usque ad locum, qui dicitur Zlebina, et in predicta Zlebina est Kopecz, id est meta, et a predicto loco sunt mete, id est Kopci, usque ad uiam publicam de Hranicz uersus Gycin; et circa predictam viam ad sinistram partem est quercus, et in ipsa est meta, id est Hranicie. Deinde a predicta arbore per ascensum sunt mete i. e. Kopci, usque ad uerticem montis, qui dicitur Kobelow. Deinde a predicto

loco sunt mete i. e. Kopci usque ad originem riuuli, qui dicitur Milothiski potok; et predictus riuulus per descensum fluens facit metam usque ad viam publicam, qua itur de villa Luczka uersus villam Milothicz, et predicta via facit metam usque ad flumen Beczow; et predictum flumen ascendendo facit metam usque ad locum, qui dicitur Zawerbek; et a predicto loco sunt mete i. e. Hranicie usque ad flumen, quod dicitur Jessennicie; et trans flumen per ascensum sunt mete i. e. hranicie usque ad montem, qui dicitur Pastewne; et trans montem predictum sunt mete i. e. Hranicie usque ad originem riuuli, qui denominatur de monte predicto Pastewni; qui fluuius per descensum facit metam usque ad flumen, quod dicitur Hustopezka; et predictum flumen per ascensum facit metam usque ad fluuium, qui dicitur Zasieka; qui etiam fluuius per ascensum metam facit usque ad suam originem; et a predicta origine sunt mete i. e. Kopci usque ad originem fluuii, qui dicitur Hranicznik; et sic predictus fluuius per descensum facit metam usque ad flumen, quod dicitur Jessennicie; et trans predictum flumen sunt mete i. e. Hranicie usque ad riuulum, qui dicitur dyedow; et trans predictum riuulum sunt mete i. e. hranicie usque ad riuulum, qui dicitur Hubni; et trans riuulum predictum sunt Hranicie usque ad riuulum, qui dicitur Slupni; et trans predictum Slupnî sunt Hranicie usque ad riuulum, qui dicitur minor Bohumilecz; et trans predictum riuulum sunt Hranicie usque ad riuulum, qui dicitur maior Bohumilecz; qui riuulus per ascensum facit metam usque ad suam originem, et a predicta origine sunt hranicie usque ad riuulum, qui dicitur Pohorzki potok; et predictus riuulus per descensum fluens metam facit usque ad riuulum, qui dicitur Wrazni; et predictus riuulus per ascensum facit metam usque ad primum aceruum, qui dicitur Kopecz, trabibus circumdatus, pro meta prima in via uersus Opauiam positus, sicut superius est expressum. Predicta vero flumina, fluuii seu riuuli facientes metam cum ripa et aqua sunt ecclesie Gradicensis, ita quod homines ecclesie supradicte molendina possint absque omni contradictione quorumlibet vicinorum construere in eisdem. Vt autem hec nostra donacio, ecclesie Gradicensi facta libere propter deum, robur obtineat firmitatis, presentes fieri fecimus sigilli nostri munimine roborantes. Huius rei testes sunt: Dominus Robertus, episcopus Olomucensis. Ieorgius, abbas de Luka. Tiburcius, abbas de Trebecz. Waltherus decanus, et

Stephanus prepositus Olomucenses. Bawarus camerarius Olomucensis. Bludo, castellanus Prerowiensis. Velis, iudex Olomucensis, supradicti; et plures alii fide digni. Actum in Olomuz. Anno domini M. CC. I. Indictione IIII. Kalendis Septembris. Datum per manus Appollinaris, nostri notarii.

Ex transumto exeuntis sec. XIII. ejusdem monasterii in regist. c. r. Gubernii.

LXX.

Premysl, rex Boemorum, de consensu et sub testimonio Wladislai, marchionis Moraviae, et Roberti, episcopi Olomucensis, confirmat donationem Ulrici de Litice monasterio in Plas factam. Datum Pragae VI. Idus Junii, 1216.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Przemysl dei gracia Bohemorum rex uniuersis Christi fidelibus tam presentibus quam futuris in perpetuum. Cum omnes in Christo pie viuentes debito diuini precepti teneantur, ut pauperes eius, et maxime eos, qui spreta omni terrena ambicione ardenciori desiderio amori dei adheserunt, amplecti atque manutenere debeant; specialiter tamen conuenit nobis, qui ex dei largitate honoribus et dignitatibus pre ceteris in hoc mundo locupletati et adaucti sumus, huiusmodi viros, deuocione bone conuersacionis probatos, nostre proteccionis clypeo defensare, ac bona ipsorum, non solum que a nobis, verum eciam ab aliis collata sunt, nostre circumspeccionis vigilancia inconuulsa conseruare et custodire. Proinde notum esse volumus tam futuri quam moderni temporis vere fidei cultoribus, quod fidelis noster bone recordacionis Ulricus de Luticz, in extremo mortis articulo constitutus, pro remedio anime sue et progenitorum suorum contulit ecclesie beate virginis Marie in Plaz predium quoddam nomine Ninitz cum omnibus pertinenciis suis, cum pratis, terris, nemoribus, pascuis et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis. Quo defuncto Protiua, germanus eiusdem, consilio quorundam infidelium deceptus, salubre factum aliquamdiu impedire, atque in irritum reuocare conatus est, quod et fecit. Tandem diuino timore pariter et amore nostraque admonicione correptus, in *communi colloquio Bohemorum Prage habito* presentibus venerabilibus episcopis, domino An-

drea Pragensi, ac domino *Ruberto* Olomucensi, presente nihilominus dilecto fratre meo *Wladislao,* marchione Morauie, aliisque quam plurimis tam clericis quam laicis non contemnende authoritatis personis prefatam donacionem prenotatis ecclesie fratribus tam ipsis quam eorum successoribus in remissionem peccatorum suorum perpetuo iure possidendam contradidit. Ut igitur hec accio firma et illibata permaneat, potestatis mee et domini Pragensis episcopi Andree nec non domini Ruberti, Olomucensis antistitis, et Wladislai fratris mei, Morauiensis marchionis, authoritate cum sigillorum nostrorum impressione et presentis pagine conscripcione confirmandam statui, atque corroborandam. Quodsi qua imposterum ecclesiastica secularisue persona hanc donacionis dotem sciens instinctu diaboli violare, et aliter quasi contra eorum voluntates immutare tentauerit, secundo tercioue commonita, si non satisfaccione congrua emendauerit, ecclesiastice districcioni et eterne damnacioni se nouerit subiacere. Facta sunt autem hec anno dominice incarnacionis MCCXVI. Hi sunt testes, qui presentes fuerunt, quando dominus Albertus abbas Plazensis prememoratam villam recepit: Andreas Pragensis episcopus. Rubertus Olomucensis. Wladislaus marchio Morauiensis. Martinus canonicus Pragensis. Magister Joannes scolasticus. Slauco camerarius. Iherass. Beness. Marquardus frater eius. Budivoy filius Suest. Henricus filius Withigonis. Chotibor. Herdebor. Olen et Theislaus, filius Thymonis. Stephan de Ludowitz. Magnus filius Ottonis de Wizan. Hermannus de Ninitz. Zaawis filius Witingonis. Dalubor iudex curie. Scutz. Tilei filius Smil. Wilhelmus socer Protiue. Borutha. Stibor de Loz. Seruath. Scriptum est hoc priuilegium anno regni nostri XVIII. Pontificatus domini Andree II. Consecracionis eiusdem I. Datumque per manum domini Ebbonis Pragensis ecclesie prepositi, regalis aule cancellarii, in urbe Praga sexto Idus Iunii. Amen.

Dobner Monumenta T. IV. p. 255.

LXXI.

Fridericus, Romanorum imperator, ad instantiam Heinrici, marchionis Moraviae, et primatum tam Boemiae, quam Moraviae confirmat electionem Wenceslai, filii Přemysl Otakari, in regem Boemiae. Datum Ulmae VI. Kalendas Augusti, 1216.

Fredericus secundus diuina fauente clementia Romanorum Rex semper Augustus. et Rex Sicilie. Si specialibus et expertis fidelibus et dilectis nostram gratiam facimus specialem. non est indignum set consonat omnimodis equitati. Eapropter vniuersis Imperii fidelibus tam presentibus. quam futuris imperpetuum notum esse uolumus. quod misso ad presentiam nostram Benedicto uenerabili archidiacono Belinensi. exposuerunt celsitudini nostre dilecti fideles nostri. *Henricus marchio Morauie.* et uniuersitas magnatum et nobilium Boemie. quod comuni uoluntate et assensu dilecti nostri Odacrii. illustris regis Boemie elegerunt in regem eorum Vencezlaum. filium ipsius regis Boemie primogenitum. propter quod maiestati nostre attentius supplicarunt. ut electionem ipsius Vencezlai ratam haberemus et firmam. et eidem nostrum benignum impertimur assensum. Nos autem. quia uotiue supplicationis huius affectum ex magne fidelitatis ardore nouimus prouenire. considerantes sinceritatem fidei et pure deuotionis ipsius *Odacrii* regis Boemie. quam erga maiestatem nostram hactenus habuisse dignoscitur. attendentes etiam obsequia filii sui *Vencezlaij.* dilecti sororii nostri. que nobis et imperio fideliter poterit exhibere. de solita gratia nostra et consilio principum et magnatum imperii. qui tunc circa nos existebant. electionem prephatam ratam habemus et firmam. et concedimus eidem Vencezlao. totum regnum Bohemie. cum terminis et omni iure et honore ac rationibus eidem regno pertinentibus. sicut ipsum regnum pater suus et alii predecessores sui. tam duces quam reges. umquam melius tenuerunt et possederunt. Mandamus itaque et firmiter statuimus. ut quecunque persona ecclesiastica uel secularis hanc nostram confirmationem et concessionem infringere uel euacuare presumpserit. mille libras auri puri componat. quarum medietas curie nostre. altera uero iniuriam passis persoluatur. Vt autem hec rata et firma in perpetuum perseuerent. presens priuilegium scribi. et bulla aurea typario nostre maiestatis impresa (sic) precepimus communiri. Huius

rei testes sunt. Syffridus Augustensis episcopus. Vlricus abbas sancti Galli. Cono abbas Elwacensis. Henricus abbas Campidonensis. Radulfus palatinus comes de Twingen. Comes Hartmannus de Wirtenberc. Comes Lodowicus frater eius. Hermannus marchio de Baden. Hugo iunior palatinus comes de Twingen. Comes Lodowicus de Ottyngen. Bertoldus de Nyphen. Anselmus de Justingen marescalcus. Walterus de Syph pincerna. et alii quam plures. Ego Conradus Metensis et Spirensis episcopus. imperialis aule cancellarius vice domini Syffridi Mogunt. sedis archiepiscopi et totius Germanie archicancellarii recognoui. Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo sextodecimo. Septimo Kalendas Augusti. Indictione quarta. Regnante domino nostro Frederico secundo dei gratia Romanorum rege semper augusto et rege Sicilie. anno Romani regni ipsius quarto. et Sicilie octauodecimo. feliciter. amen. Dat. apud Vlmam per manus Bertoldi de Nyphen imperialis aule prothonotarii. anno. mense et indictione pretitulatis.

Ex originali cum bulla aurea appensa in arch. c. r. aulico Vindobonae. — Excus. dedit Balbin D. I. l. VIII. p. 8. Goldast. Dobner in Pulkawa ad annum 1226 et alii.

LXXII.

Honorius papa III. Pragensi episcopo de decimis, de secularibus canonicis minus legitime natis etc. scribit. Datum Laterani IV. Kalendas Novembris, 1216.

Palacky's Reise — p. 20. e Regesto Honorii III. tomo I. epist. 44.

LXXIII.

Honorius papa III. de restituendo quodam castro, quod Theobaldus, regis Boemiae nepos, cruce signatus proditorie occupaverat. Datum Laterani XV. Kalendas Februarii, 1217.

Honorius episcopus seruus seruorum dei. Venerabilibus . . Pragensi et . . *Olomucensi* episcopis, et dilecto filio . . preposito Ratisponensi

salutem et apostolicam benedictionem. Ad audientiam nostram carissimo in Christo filio nostro O. illustri rege Boemie significante peruenit, quod nobilis vir T. nepos suus, qui signo uiuice (sic) crucis humeris suis affixo faciem euntis in Jerusalem induerat, in Sempnar (sic) campum divertens, adiunctis quibusdam sibi iniquitatis filiis, quoddam castrum ipsius proditorie occupauit, contra iuramentum suum temere veniendo, per quod tam ipsius regis, quam ecclesiarum bona deuastare non cessat. Ideoque dilectioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus prefatum nobilem ut castrum predictum ipso (sic) regi restituat sicut debet, monitione preuia, per censuram ecclesiasticam appellatione remota cogatis. Quodsi non omnes his exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Laterani XV. Kalendas Februarii. Pontificatus nostri anno primo.

Descriptum et recognitum ex *autographo* Regesto Honorii papae III. epist. 180. anni I., quod adservatur in tabulariis Vaticanis. In quorum fidem etc. M. Marini Tabular. S. R. E. Praefectus. — Harum literarum papalium, sicut et omnium sequentium, quae immediate ex tabulariis Vaticanis depromptae esse citantur, descriptionem sub auspiciis et impensis inclitorum statuum marchionatus Moraviae anno 1837. procuravit F. Palacky.

LXXIV.

Honorius papa III. regem Boemiae hortatur, ne devotio ejus ad sanctam Romanam ecclesiam tepescat. Datum Laterani XV. Kalendas Februarii, 1217.

Palacky's Reise — p. 20. e Regesto Honorii III. lib. I. epist. 181.

LXXV.

camerario, Ber

LXXVI.

Honorius papa III. mandat archiepiscopo Moguntino, ut monasterium Welehradense adversus depraedatores tueatur. Datum Laterani XV. Kalendas Aprilis, 1217.

Honorius episcopus seruus seruorum dei. Venerabilibus fratribus Moguntino archiepiscopo et suffraganeis eius et dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis et aliis ecclesiarum prelatis per Moguntinam prouinciam constitutis salutem et apostolicam benedictionem. Non absque dolore cordis et plurima turbatione didicimus, quod ita in plerisque partibus ecclesiastica censura dissoluitur, et canonice sententie seueritas eneruatur, ut viri religiosi, et hii maxime, qui per sedis apostolice priuilegia maiori donati sunt libertate, passim a malefactoribus suis iniurias sustineant, et rapinas, dum vix inuenitur, qui congrua illis protectione subueniat, et pro fouenda pauperum innocentia, se murum defensionis opponat; specialiter autem dilecti filii abbas et fratres Welehradenses Cisterciensis ordinis Holmucensis diocesis tam de frequentibus iniuriis, quam de ipso quotidiano defectu iustitie conquerentes uniuersitatem vestram literis petierunt apostolicis excitari, ut ita videlicet eis in tribulationibus suis contra malefactores eorum prompta debeatis magnanimitate consurgere, quod ab angustiis, quas sustinent, et pressuris vestro possint presidio respirare. Ideoque uniuersitati vestre per apostolica scripta mandamus, atque precipimus, quatenus illos, qui possessiones vel res, seu domos predictorum fratrum, vel hominum suorum irreuerenter inuaserint, aut ea iniuste detinuerint, que predictis fratribus ex testamento decedentium relinquuntur, seu in ipsos fratres contra apostolice sedis indulta sententiam excommunicationis, aut interdicti presumpserint promulgare, vel decimas laborum de terris habitis ante concilium generale, seu nutrimentorum ipsorum spretis apostolice sedis priuilegiis extorquere, monitione premissa, si laici fuerint, publice candelis accensis excommunicationis sententia percellatis. Si vero clerici vel canonici regulares, seu monachi fuerint, eos appellatione remota ab officio et beneficio suspendatis; neutram relaxaturi sententiam, donec predictis fratribus plenarie satisfaciant, et tam laici quam clerici seculares, qui pro violenta manuum iniectione anathematis vinculo fuerint innodati,

cum diocesani episcopi literis ad sedem apostolicam venientes ab eodem vinculo mereantur absolui. Villas autem in quibus bona predictorum fratrum, vel hominum suorum per violentiam detenta fuerint, quam diu ibi sunt, interdicti sententie supponatis. Datum Laterani XV. Kal. Aprilis. Pontificatus nostri anno primo.

Codex Welehradensis Ms. fol. 114.

LXXVII.

Honorius papa III. abbati Welehradensi, et praeposito et decano Olomucensi causam inter abbatem Teplensem et episcopum Pragensem de decimis vertentem inquirere mandat. Dt. Romae X. Kal. Junii, 1217.

Honorius episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis . . . *abbati de Welgrad.* Cisterciensis ordinis. Olomucensis diocesis. et . . . preposito et . . . decano Olomucensi. salutem et apostolicam benedictionem. Cum olim venerabilis frater noster . . . Pragensis episcopus . . . abbatem de Tepla Premonstratensis ordinis coram venerabili fratre nostro . . . episcopo Ratisponensi et coniudicibus suis auctoritate apostolica super decimis quorumdam locorum sue diocesis conuenisset et iidem iudices in abbatem ipsum propter contumaciam excommunicationis sententiam promulgarint. dictus abbas priusquam nuntiaretur excommunicatus. interposite appellationis obiectu. ad sedem apostolicam accedere procurauit. ubi de consensu ipsius episcopi fuit nobis mandantibus absolutus. Demum predictis episcopo et abbati dilecto filio. G. subdiacono et capellano nostro a nobis auditore concesso, episcopus ipse petiit restitutionem sibi fieri decimarum quas diocesano sibi iure debitas dictus abbas a tempore promotionis ipsius in locis percepit eisdem. et ut idem abbas de cetero ab huiusmodi decimarum perceptione quiescat. Prefatus vero abbas e contra litem contestando respondit. quod bone memorie . . ipsius episcopi predecessor capituli sui accedente consensu, decimas ipsas et quidquid in eis iuris habebat. Teplensi ecclesie pia liberalitate donauit. quod tam per scriptum autenticum cuius transcriptum exhibuit quam testes idoneos saluis aliis defensionibus eius legitimis se obtulit suo loco et tempore probaturum. Cum autem super

hiis per capellanum eundem auditis non potuerit coram nobis fieri plena fides. de utriusque partis assensu. per apostolica uobis scripta mandamus. quatinus audituri que partes hinc inde duxerint proponenda. causam huiusmodi sufficienter instructam infra unius anni spatium cum eodem autentico per quod se tutum abbas ipse proponit. ad nostram presentiam transmittatis. Nos autem transcriptum illud uobis ad cautelam sub bulla nostra mittimus interclusum. Nullis litteris obstantibus si que apparuerint. preter assensum partium a sede apostolica impetrate. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse. duo uestrum ea nichilominus exequantur. Dat. Rome apud S. Petrum. X. Kal. Iunii. pontificatus nostri anno . . . .

Ex originali in archivo Teplensi in annalect. F. Palacky. — Bulla avulsa deest. Dorso vero inscriptum datum 1217. 23. Maji.

LXXVIII.

Honorius papa III. regi Boemiae scribens in negotio quaestionis inter eum et episcopum Pragensem super ecclesiastica libertate exortae, urget mitti Romam procuratores idoneos. Dt. X. Kalendas Julii, 1217.

Palacky's Reise p. 21. — e Regesto Honorii III. lib. I. epist. 514.

LXXIX.

Honorius papa III. expostulat cum Moguntino archiepiscopo, quod interdictum in Boemia relaxaverit. Dt. Ferentini XIII. Kal. Augusti, 1217.

Honorius episcopus seruus seruorum dei. Venerabili fratri archiepiscopo Moguntinensi salutem et apostolicam benedictionem. Cum ad preces venerabilis fratris nostri Pragensis episcopi confirmauerimus sententiam interdicti, quam idem episcopus in diocesin suam multis prouocatus iniuriis promulgauit, miramur, qua potestate ipsam relaxare sententiam presumpsistis, presertim eodem episcopo propter hoc apud sedem apostolicam constituto, quem etiam ad nostram presentiam accedentem nobis per literas tuas sollicite comendasti. Unde tibi sine mandato apostolico rela-

xare sententias auctoritate apostolica roboratas? quo te vertes, ut tante presumptionis audaciam pallias? in que verba poteris declinare cor tuum, ut excusationes in peccatis excuses? cum predictam relaxando sententiam nobis iniuriam feceris, et ipso episcopo ac ecclesiastice libertati graue dispendium generaueris. Profecto non tam obiurgandus esses, quam seueritate canonica puniendus. Sed nos ad presens obiurgatione contenti per apostolica scripta tibi precipiendo mandamus, quatenus infra viginti dies post susceptionem presentium excusatione et appellatione cessantibus factum in eo statu reducas, in quo erat, quando idem episcopus iter arripuit ad nostram presentiam veniendi, sciens nos dilectis filiis Eboracensi, et Halsbrunensi prioribus Herbipolensis et Heistetensis diocesis per scripta nostra mandasse, ut te in mandati nostri executione cessantem ad id per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellant. Datum Ferentini XIII. Kalendas Augusti. Pontificatus nostri anno I.

Würdtwein. — Nova subsidia diplom. III. 47.

LXXX.

Honorius papa III. constituit Olomucensem episcopum tutorem uxoris, filiorum et terrae Leopoldi, ducis Austriae, cruce signati. Datum Ferentini Kal. Septembris, 1217.

Honorius episcopus seruus seruorum dei. Venerabilibus fratribus .. patauiensi et . . . Olomucensi episcopis et dilecto filio . . . abbati sancte crucis patauiensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Cum dilectus filius nobilis vir, dux austrie . . . assumpto sancte crucis signaculo magnifice iter arripuerit ad subsidium terre sancte, nos suis iustis postulationibus inclinati personam suam cum . . . uxore, filiis, terra omnibusque bonis suis sub beati petri et nostra protectione suscepimus. Statuentes, ut ea omnia sub speciali apostolice sedis protectione ac defensione consistant, donec de reditu suo vel obitu certissime cognoscatur. Ideoque discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus uxorem, filios et terram eius non permittatis ab aliquibus molestari, molestatores indebitos, si qui fuerint, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescentes.

Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum nichilominus exequantur. Datum ferentini Kalendis Septembris. Pontificatus nostri anno secundo.

Fischer Schicksale von Kloster Neuburg II. 174.

LXXXI.

Otakarus, Boemorum rex, Honorio papae III. respondet ad proposita contra se, innocentiam suam excusando. cc. mense Septembri, 1217.

Venerabili in Christo patri domino Honorio summo pontifici, *Otlocarus.* Gratias ago paternitati vestre, quod inter ceteros principes me diligatis, et quod moneatis me, et arguatis pro salute anime mee. Verum tamen cognosco, quod multa mendacia fuerunt sanctitati vestre de me dicta. Nam nunquam manus violentas in clericos inieci, nec collectas imposui. Interdictum, licet iniuste impositum, seruaui; auxi iura ecclesiarum, paratusque semper sum id facere, et iura ecclesie semper manutenere: et sic promitto sanctitati vestre, vt latius intelligetis per nuncios meos.

Manrique Annal. Cisterc. IV. 142. — Raynald. XIII. 284. — Bzovius ad 1218. — Originale cum bulla aurea pendente a latere in tabulariis Vaticanis adservatur.

LXXXII.

Honorius papa III. Otacaro regi Boemiae scribit, se ante adventum nuntiorum suorum nihil contra Boemiam facturum esse. Dt. 2. Novembris, 1217.

Palacky's Reise — p. 21. e Regesto Honorii III. lib. II. epist. 697. — Raynald ad annum.

LXXXIII.

Andreas, Hungariae rex, Thomae comiti terram desertam Zakolcha (Skalice) in terminis Moraviae confert hereditarie possidendam. **1217.**

In nomine sancte trinitatis, et indiuidue vnitatis. Andreas, dei gratia Hungarie, Dalmatie, Croatie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerieque rex in perpetuum. Munificentie regalis immensitas licet etiam ad extraneos bone commendationis fragrantia dilatari soleat: ad illos tamen copiosius sue largitatis dona debet extendere, quorum fidelitatis constantiam experimento didicit, et diuturna morum honestate feliciter comprobauit. Nos itaque prout regie circumspectionis erudicio nos admonet, nostrorum seruitia fidelium ingratitudinis nolentes preterire silentio, propter eximia probitatum merita, quibus coram oculis nostre maiestatis Thomas comes indesinenter claruit, terram quamdam nomine Zakolcha rudem et desertam, sitam in confinio regni nostri versus Boemiam, tam ei, quam suis successoribus contulimus in perpetuum possidendam. Cuius terre mete sic incipiunt. Prima incipit a fine paludis Hoynicha, vbi cadit in fluuium Moraua, et per eandem Velika vadit vsque ad portum Tozy; hinc exiens vadit per viam *exploratorum de Boemia,* que vulgo Symarut dicitur, vsque ad caput paludis Wysich versus orientem; deinde vadit per siluam per quamdam crepidinem, vbi est pratum, inde descendit per vallem in campum, qui dicitur Hozzoumezew, hinc procedit, et cadit ad caput fontis Hoynicha; et per predictam aquam descendit vsque ad primam metam. Verum cum post mortem iam dicti fidelis nostri Thome comitis eius filii Sebus comes, et Alexander nostrorum pincernarum magistri, viri strenuitatis eximie, predicte terre solitudinem copiosa populorum multitudine cepissent resarcire; nos eandem per nostrum fidelem et dilectum Hugrinum magistrum, et postmodum aule nostre cancellarium peragrari, certisque metarum limitibus distingui, nec non in eius possessionem per eundem eos fecimus introduci. Ceterum cum omnia sint hominum tenui pendentia filo, et subito casu, que valuere, ruunt; quia facta per nos huius possessionis donatio tempore supra dicti comitis nullo suffulta fuerat authoritatis nostre testimonio, ad honestam suorum filiorum, nostrorum fidelium, Sebus comitis et magistri Alexandri petitionis instantiam, presentem concessimus paginam sigilli nostri munimine

in perpetuum roboratam. Datum per manus Hugrini, aule nostre regie cancellarii, anno dominice incarnationis millesimo, ducentesimo, decimo septimo. Venerabili Joanne Strigoniensi, reuerendo Bertholdo Colocensi, archiepiscopis existentibus; Calano Quinqueecclesiensi, Willermo Transyluano, Roberto Wesprimiensi, Simone Varadiensi, Petro Geuriensi, Desiderio Chanadiensi, Jacobo Vaciensi, Stephano Zagrabiensi, Thoma Agriensi electo, episcopis, ecclesias feliciter gubernantibus. Juda palatino comite, Dionysio magistro thauernicorum, et comite noui Castri, Bankone Bano, Raphayn Wajuoda, Ochuz curiali comite regine ceterisque comitibus comitatus tenentibus. Regni nostri anno decimo tertio.

Fejér Codex diplom. Hungariae. P. III. Vol. I. p. 199.

LXXXIV.

Premyzel dei clementia rex Boemorum . . . uillam quandam Boienicz dictam . . . ecclesie Myleucensi regali et liberalitate donauimus . . . Testes etiam huius donationis statuimus dilectum germanum nostrum *Wadizlaum marchionem Morauie* nec non et filios nostros karissimos *Wencezlaum et Wadizlaum* etc. Facta est autem hec donatio in Knin. XVIII. Kalendas Februarii anno verbi incarnati M. CC. XVIII.

Analecta F. Palacky ex originali archivi Worlicensis.

LXXXV.

Honorius papa III. Ratisponensi episcopo, duobusque abbatibus mandat, ut interdictum in Boemia positum observari faciant. Datum Laterani XV. Kalendas Martii, 1218.

Honorius episcopus seruus seruorum dei. Venerabili fratri . . . episcopo et dilectis filiis . . s. Emerami Ratisbone et . . . . . de Wallerbach Cisterciensis ordinis, Ratisbonensis diocesis abbatibus salutem et apostolicam benedictionem. Presentium tibi auctoritate iterato precipiendo mandamus, quatenus interdictum, sicut est positum in Pragensi diocesi per

venerabilem fratrem nostrum . . Pragensem episcopum, et demum auctoritate apostolica confirmatum venerabilis fratris nostri . . Maguntini archiepiscopi: non obstante in ecclesiis Cisterciensis et Premonstratensis ordinum et hospitalariorum et omnium tam exemptorum, quam non exemptorum eiusdem diocesis facias per censuram ecclesiasticam remoto cuiuslibet contradictionis et appellationis obstaculo firmiter obseruari, non obstantibus priuilegiis eisdem monasteriis ab apostolica sede concessis. Quod si non omnes his exequendis potueritis interesse, tu ea frater episcope cum eorum altero nihilominus exequaris. Datum Laterani XV. Kalendas Martii. Pontificatus nostri anno secundo.

E Regesto Honorii papae III. anni II. epist. 919. in tabulariis Vaticanis.

LXXXVI.

Honorius papa III. Ratisponensi episcopo, duobusque abbatibus mandat inquirere, qui percipiant fructus vel procuratores existant bonorum episcopatus Pragensis. Dt. Laterani XV. Kalendas Martii, 1218.

Honorius episcopus seruus seruorum dei. Venerabili fratri . . . episcopo et dilectis filiis . . s. Emerami Ratisbone et . . . . de Wallerbach Cisterciensis ordinis, Ratisbonensis diocesis abbatibus salutem et apostolicam benedictionem. Presentium vobis auctoritate precipiendo mandamus, quatenus caute ac diligenter exploretis, qui percipiant fructus, vel procuratores existant episcopatus Pragensis? et vtrum charissimus in Christo filius noster Boemie rex illustris absente venerabili fratre nostro Pragensi episcopo ordinauerit, vel ordinari fecerit procuratores eosdem, vel si regis habeant familiaritatem ipsius? et vtrum etiam occasione more, quam facit apud sedem apostolicam, ecclesiis eius diocesis, et bonis eorum immineat dispendium, vel grauamen; vel exactionibus aggrauentur? et an nuncii eiusdem episcopi prohibeantur intrare libere, ac exire? et que super his, et aliis inueneritis, vestris nobis litteris intimetis, vt secundum hec et alia, que audierimus in negotio eiusdem episcopi, provt procedendum fuerit, procedamus. Dt. Laterani XV. Kal. Martii. Pontificatus nostri anno secundo.

Manrique Annal. Cisterc. IV. p. 142. e Regesto Honorii III. anni II. ep. 920.

LXXXVII.

Honorius papa III. Ratisponensi episcopo, duobusque abbatibus mandat, ut decanum Pragensem aliosque ecclesiarum praelatos, qui interdictum relaxaverant, Romam citent. Dt. Laterani XIV. Kal. Martii, 1218.

Honorius episcopus seruus seruorum dei. Venerabili fratri . . . episcopo et dilectis filiis . . . s. Emerami Ratisbone et . . . . . de Wallerbach Cisterciensis ordinis, Ratisbonensis diocesis abbatibus salutem et apostolicam benedictionem. Venerabilis frater noster . . Pragensis episcopus nobis humiliter intimauit, quod decanus et quidam de prelatis et canonicis ecclesie sue auctoritate propria relaxarunt, quod in ea posuerat, interdictum, priusquam uenerabilis frater noster . . Moguntinus archiepiscopus relaxationem generalem, quam reputamus penitus fore nullam, facere presumpsisset, ipsum licet adhuc fuerit confirmatum auctoritate apostolica, obseruare ausu temerario contemnentes. Quocirca discretioni uestre per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatenus, utrum premissis ueritas suffragetur, per uos et alios cum cautela et industria diligentius explorantes, ipsos, si rei ueritas sic se habet, ab officio beneficioque suspensos ad sedem apostolicam transmittatis, satisfacturos nobis et ipsi de tanto presumptionis excessu. Quod si non omnes his exequendis potueritis interesse, tu ea frater episcope cum eorum altero nihilominus exequaris. Dt. Laterani XIV. Kal. Martii. Pontificatus nostri anno secundo.

Würdtwein — Subsidia nova diplom. III, p. 60. — e Regesto Honorii III. anni II. epist. 920.

LXXXVIII.

Honorius papa III. Roberto, Olomucensi episcopo mandat ut interdictum in Boemia positum observari faciat. Dt. Laterani IV. Nonas Martii, 1218.

Honorius episcopus seruus seruorum dei. Venerabili fratri . . episcopo *Olomucensi* salutem et apostolicam benedictionem. Presentium tibi auctoritate iterato precipiendo mandamus, quatenus interdictum, sicut est positum in

Pragensi diocesi per venerabilem fratrem nostrum .. Pragensem episcopum, et demum auctoritate apostolica confirmatum venerabilis fratris nostri .. Maguntini archiepiscopi: non obstante in ecclesiis Cisterciensis et Premonstratensis ordinum et hospitalariorum et omnium tam exemptorum, quam non exemptorum eiusdem diocesis facias per censuram ecclesiasticam remoto cuiuslibet contradictionis et appellationis obstaculo firmiter obseruari, non obstantibus priuilegiis eisdem monasteriis ab apostolica sede concessis. Datum Laterani IV. Nonas Martii. Pontificatus nostri anno secundo.

E Regesto Honorii III. anni II. epist. 919. in tabulariis Vaticanis — Excus. etiam apud Würdtwein Nova subsidia III. 58.

LXXXIX.

Honorius papa III. Roberto, Olomucensi episcopo, mandata de interdicto in Boemia observando repetit. Datum Laterani VI. Kalendas Aprilis, 1218.

Honorius episcopus seruus seruorum dei. Venerabili fratri .. episcopo *Olomucensi* salutem et apostolicam benedictionem. Presentium tibi auctoritate iterato precipiendo mandamus, quatenus interdictum, sicut est positum in Pragensi diocesi per venerabilem fratrem nostrum .. Pragensem episcopum, et demum auctoritate apostolica confirmatum, relaxatione venerabilis fratris nostri .. Maguntini archiepiscopi non obstante, in ecclesiis Cisterciensis et Premonstratensis ordinum et hospitalariorum et omnium tam exemptorum quam non exemptorum eiusdem diocesis, facias per censuras ecclesiasticas, remoto cuiuslibet contradictionis et appellationis obstaculo firmiter obseruari, non obstantibus priuilegiis eisdem monasteriis ab apostolica sede concessis, Alioquin dilectis filiis .. decano et .. scholastico Wratislauiensi damus nostris literis in mandatis, ut te a receptione literarum nostrarum infra viginti dies ad id exequendum districtione qua conuenit appellatione remota compellant. Dt. Laterani VI. Kal. Aprilis. Pontificatus nostri anno secundo.

In eundem modum scriptum est super hoc .. decano et .. scholastico Wratislaviensi usque in finem, verbis competenter mutatis.

E Regesto Honorii III. anni II. epist. 991. in tabulariis Vaticanis.

Honorius papa III. Robertum, episcopum Olomucensem, graviter reprehendit, quod in Pragensi ecclesia, interdicto supposita, solemniter celebravit.
Dt. IV. Kalendas Aprilis, 1218.

Honorius episcopus seruus seruorum dei. Venerabili fratri .. episcopo *Olomucensi* salutem et apostolicam benedictionem. Super his, que de te audiuimus, non sufficimus ammirari, quod videlicet solemniter celebraueris in Pragensi ecclesia, quam sciebas ecclesiastico suppositam interdicto, utpote cui a nobis eiusdem executio interdicti fuerat demandata. Verum si censuram ecclesiasticam paruipendis, pro qua opponere te deberes, vel non habes, prout deceret episcopum, sapientie condimentum, vel appetis tui honoris dispendium, dum presumptione damnabili hec presumis, et si super multis et variis afflictionibus venerabilis fratris nostri . . episcopi et dilectorum filiorum canonicorum Pragensium non moueris, propter quas eadem est ecclesia interdicto subiecta, videris euacuasse, non compaciendo proximis, legem Christi, et pariete ardente vicini propriis nolle damnis ocurrere, licet res propria sic agatur. Quia vero talia non sunt quomodolibet toleranda, ne transeant presumptionibus in exemplum: noueris te, si res ita se habet, tam diu officio beneficioque suspensum, donec nostro te conspectui personaliter representes, satisfactionem super hiis congruam impensurus. Dt. Laterani IV. Kal. Aprilis. Pontificatus nostri anno secundo.

In eundem modum scriptum est super hoc . . decano et . . scolastico Wratislauiensi, usque: in exemplum: „discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus si res ita se habet, eodem episcopo, iuxta quod ei mandauimus, officio beneficioque suspenso, faciatis tamdiu latam a nobis in eum taliter suspensionis sententiam appellatione remota inuiolabiter obseruari, donec nostro se conspectui personaliter representet, satisfactionem super hiis congruam impensurus." Datum ut supra.

E Regesto Honorii III. anni II. epist. 994. in tabulariis Vaticanis.

XCI.

Otakarus, rex Boemiae, ab Honorio papa III. milli petit legatum a latere cum episcopo Pragensi Pataviam, ad tractandum cum Boemis in negotio decimarum. (Mense Aprili), 1218.

Reuerendissimo domino, summo, et vniuersali pontifici O. dei gracia rex Boemorum, cum deuoto obsequio filialem subiectionem. Significamus dignitati vestre, quod dum solemnes nuncios ad curiam mittere putassemus, his que a domino Pragensi episcopo contra nos proponuntur finaliter responsuros: repente venit a latere eiusdem episcopi abbas de insula, petens ex persona ipsius mitti sibi tres comites nostros maiores cum abbate de Walsasem cisterciensis ordinis, dixitque frustra laborare, si qui alii mitterentur. Comites autem, quos petiit, nullo consilio viam securitatis habere potuerunt; abbas vero postulatus, sine licentia Cisterciensis abbatis venire non potuit, nisi vestris litteris specialiter vocatus. Persuasum est ergo nobis a viris religiosis, ne oratorum disputationibus sacrum curie occuparemus auditum, si prima fronte, sicut deuoti filii, vestre parentes paternitati, humiliter ac simpliciter litteris presentibus exprimeremus, in quibus duritiem gentis nostre flectere posse cognosceremus. Multa ergo breuiter comprehendentes, que idem episcopus contra suam videtur habere diocesim, magis quam contra nos, sacro apostolatui vestro, pro omnibus vno verbo respondendo, promittimus, quod cooperante domino, pro gratie vestre obtentu, omnia, pro quibus iuste videtur contendere, sibi ex animo subiiciemus. Preterea quod gentem nostram ad insuetas hactenus decimas non possumus cogere, nec possemus omnino, etiamsi ipse decime nobis deberentur, nostris vsibus deseruire: antiquarum quoque redditus decimarum, qui multis locis subtrahuntur, reddi cogemus. Vt autem perfecte vobis constare possit, hec omnia nos deuote facturos, rogamus obnixe, quod obedientie nostre experimentum capientes, mittatis a latere vestro aliquem discretum virum cum eodem episcopo vsque Pattauiam, et quoscunque episcopos, vel abbates ipse episcopus sibi elegerit, illos auctoritate apostolica executores presentis nostre promissionis constituatis. Nosque in propria persona vsque ad exitum Boemie accedentes, per internuncios, quos similiter elegerit, omnia que supra premissimus stabiliemus; si quid

etiam contra aliquem spiritualiter habet personam, vel secundum iura terre iudicabimus, vel vestro iudicio, si ipse episcopus voluerit, reseruabimus. Sane si veniendi Pattauiam metum allegauerit, dicens per amicos nostros in via posse sibi malum aliquod procurari, super hoc apostolice sedis reuerentiam, vobis iurando promittimus, euntem Pattauiam, et ad vos redeuntem ab hoc metu liberum esse debere. Denique quod de suspenso nobis clerico imponitur, sciatis eum effractorem quinque ecclesiarum, qui latronibus terre sociatus, et cum ipsis in latrocinio in armis comprehensus cum similibus similiter est punitus. De his tamen, et de omnibus, que paternitas vestra in filiis suis pie corrigenda censuerit, obedire parati, quod iubere dignemini, cum deuotione debita expectantes. Hoc solum vos meminisse humiliter postulantes in nostris negotiis, quod in omni necessitate romane ecclesie contra omnes principes per antecessores nostros adstitimus, et vobis nihilominus, si se tempus obtulerit, cum dignati fueritis abstinemus.

Manrique Annales Cisterc. IV. 142. — e Regesto Honorii III. anni II. epist. 1199.

XCII.

Wladislaus, qui et Heinricus, marchio Moraviae, Stephano de Medlow villam Bohdanow in provincia Halasicensi hereditarie confert possidendam. Acta V. Kal. Maji, 1218.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Hominum deficiente memoria. uiuax efficacis litere testimonium ueritati sufficiens et certum exhibent argumentum. ut quicquid discretorum sagacitas obseruandum rationabili sanctione decreuerit. nec per posterorum ignoranciam in irritum reuocari. nec temporum uetustate ualeat aboleri. Vniuersis itaque tam modernis quam posteris. ad quos presens pagina peruenerit attestacione presencium innotescat. quod ego *Wadizlaus qui et Heinricus.* miseracione diuina marchio morauie. baroni meo. domino *Stephano.* et filiis eius nec non filiis filiorum eius. succedentibus que ipsorum heredibus. uillam quandam in Holachiz. que *Bogdonaue* dicitur. cum omnibus appendiciis. agris scilicet

et pratis. et siluis. perpetuo et hereditario iure contuli possidenda. fidelitatem prefati uiri constantem indefessumque seruicium. si non largis beneficiis. tamen iuxta mee possibilitatis modulum intuendo. Verum ne super hac donacione oriri calumpnia possit in posterum. sigilli mei munimine presentem paginam insigniui. eo maxime intuitu. ne quisquam uiolenter aut temere sibi quicquam iuris in pretaxata uilla seu eius appendiciis. audeat usurpare. nisi libera uoluntas prememorati Stephani et filiorum eius. heredumque succedencium consensus fauorabilis intercedat. Vnde propter habundantem cautelam huiusmodi donacionem tam presenti priuilegio. quam bonorum uirorum testimonio confirmaui. quorum nomina sunt subarata. Bawarus. Leo. Bludo. Zauis. Heinricus. Predbor. Vitko. Wolurammus. Szuliszlaus. Szudek. Szimiszlaus. Wok. Taz. Bertherus. Burchardus. Theodericus. Petrus marscalcus. Petrus filius Milhozt. Petrus pincerna. Wers camerarius. Ones. Protiuen. Nesata. Stephanus. Vezen. Eckehardus. Luppoldus. Hrut. Zlaybor. Ztonar. Zerh. Nycolaus. Wolurammus. Herolt. Dobezstoy. Zlaybor. Marata. Dobes. Mathey. Matheus. Mestata. Lutolt. Peley. Waltherus decanus. Magister iohannes pragensis. Radoszlaus archidiaconus. Jurata. Apollinaris. Thomas. Sdizlaus. Hylarius. Petrus. Gottebor. Zauis. Demitr. Vitko. Hartleb. Budyuoy. Adlart. Janik. Doben. Victor. Neosztup. Depoldus. Wilhalmus. Acta sunt hec anno dominice incarnacionis M. CC. VIIIX. V. Kal. maii. Presente *Ruberto* uenerabili ecclesie Olomucensis episcopo. Regnante in Bohemia. *Oddackaro* glorioso. Anno uero regni sui. VX. qui eciam donacionem pretaxatam. non solum potestate sua regia. uerum eciam consuetudinaria tocius Bohemie iusticia confirmauit. cuiuslibet excepcionis scrupulum excludendo.

Ex originali in curia Brunensi scrinio J.

XCIII.

Otakarus, qui et Přemysl, Boemorum rex, Stephano burggravio de Mikulow, libertatem in bonis Medlow et aliis ejus hereditatibus ipsi a Wladislao marchione hereditarie concessam confirmat. Acta V. Kal. Maji, 1218.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. *Otacarus. qui et Primisl*, dei gracia boemorum rex. Contingit plerumque facta principum et donationes

sollempnes processu temporis et malitia successorum inmutari. que legitimo testimonio proborum hominum que sigillatis literis non inueniuntur roborata. Ad noticiam igitur singulorum tam presentium quam futurorum cupimus peruenire. quod nos cum dilecta coniuge nostra Constancia illustri boemorum regina. considerantes fidelitatem et devota obsequia fidelis nostri *Stephani burgrauii de Micolau.* que nobis et fratri nostro illustri marchioni morauie fideliter exibuit et exibet. libertatem quam ei frater noster predictus marchio tam in *metlau* quam in aliis omnibus hereditatibus per graciam donauit iure hereditario ei et eius heredibus possidendam per nostram magnificenciam et fratris nostri donationem liberaliter confirmamus idem ius quod frater noster ei dedit concedendo hoc uidelicet ius quod in predictis hereditatibus nullus camerariis pateat introitus nec XIIII qui in patria colliguntur in eis colligantur sed omne iudicium coram suo prefecto scilicet uillico domini Stephani subire debeant excepto hoc solo quod si fur iuste cum furto comprehensus fuerit iudici terre reprezentetur. Vt autem hec donatio et nostra confirmacio rata et inconuvlsa perpetuaque debeat permanere. presens scriptum sigillorum nostrorum inpresione roboratum ei in testimonium fecimus exiberi. Si quis uero hoc tam sollempne factum et nostre magnificentie donationem ausu temerario presumserit de camerariis uel de aliis quibuslibet hominibus aliquo casu inmutare trecentas marcas ponderati argenti in cameram regis pro pena inponat. Acta sunt hec dominice incarnationis M. CC. VIIIX. V. Kalendas Maii. presente RUPERTO uenerabili Olomucensis ecclesie episcopo. et nobili uiro Leone camerario brunnensis prouincie. et Ratiborio. Taszone. Boslao cum fratribus. et aliis quam plurimis uiris honestis. Regnante in boemia OTACARO Rege famoso anno vero regni sui VX. qui etiam donationem pretaxatam non solum potestate regia verum etiam consuedunenaria tocius boemie isticia confirmauit. excludendo cuiuslibet scrupulum exceptionis.

Ex originali in curia Brunensi scrinio J.

XCIV.

Honorius papa III. episcopo Ratisponensi, duobusque abbatibus scribit, ut satisfactionem et cautionem a rege Boemiae oblatam pro episcopo Pragensi recipiant. Dt. Rome Idibus Maji, 1218.

Honorius episcopus seruus seruorum dei. Venerabili fratri . . episcopo Ratisponensi et dilectis filiis . . Ebracensi et . . Walsasensi abbatibus Cisterciensis ordinis, Herbipolensis et Ratisponensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Charissimus in Christo filius noster rex Boemiae illustris, suas nobis litteras destinauit, continentes, quod venerabili fratri nostro Pragensi episcopo paratus erat, de omnibus, super quibus de ipso, et baronibus suis conqueritur, pro reuerentia nostra satisfactionem congruam exhibere, petens, vt aliquem de latere nostro propter hoc, vsque Pattauiam cum ipso episcopo mitteremus. Quia tamen predicto episcopo de prudentium virorum consilio, non duximus laborem huiusmodi subeundum, donec plenius disquisitum extiterit, qualem possit satisfactionem habere de damnis, et iniuriis sibi, et clero suo hactenus irrogatis, quam rehabere valeant cautionem, ne attententur similia in futurum: nos ipsum regem per nostras rogamus litteras, et hortamur, vt in manibus vestris prestet, et a nobilibus terre sue prestari faciat idoneam cautionem dimittendi de cetero ipsi episcopo institutiones, ac destinationes, ac iudicia quelibet clericorum, ac alia, que noscuntur ad ius pontificalis officii pertinere. Ad hec ipsum episcopum per procuratores suos restituat in episcopatus sui possessionem liberam, et quietam, et de presentibus subtractis sibi, ac his, qui adheserunt eidem, congruam satisfactionem exhibeat et a suis faciat subditis exhiberi, per vnum vestrum nobis plene, ac plane rescribens, quidquid super restitutionem possessionis ipsius episcopatus, ac satisfactionem damnorum, et aliis supra dictis duxeris faciendum; vt tam scripto suo, quam relaxatione illius e vobis, qui ad nos venerit, hac de causa facti super his omnibus certiores, huiusmodi negotio dignum finem imponere valeamus. Sane salutem eiusdem regis zelantes, ipsi consulimus, vt super eo, quod clericum quendam ad suspendium iudicauit, licet reiecto, vt dicitur, clericali habitu, clericali videtur priuilegio se priuasse, absolutionis recipiat beneficium ad cautelam. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta

mandamus, quatenus ipsum regem personaliter adeuntes, ad exhibendam cautionem predictam, et ad faciendum eam a suis subditis exhiberi, ac ad restitutionem ipsius episcopi, et alia, que premisimus, monentes prudenter, et efficaciter inducentes, eius super his litteras requiratis, ad nos per vestrum aliquem deferendas. Relaxaturi sententiam interdicti promulgatam in regnum, si super restitutione ipsius episcopi, et aliis fecerit, que hortamur, impensuri eidem, si voluerit, vt predictum est, absolutionis beneficium ad cautelam, pro suspensione clerici memorati. Datis Rome apud Sanctum Petrum Idibus Maii, anno secundo.

Manrique Annales Cisterc. IV. 143. — e Regesto Honorii III. anno II. epist. 1079.

XCV.

Honorius papa III. „universis crucesignatis Teutoniae, *Boemiae, Moraviae,* Daciae, Poloniae et Pomeraniae, ad subsidium Prutenorum proficiscentibus" — exhortatio, — ut „ad convertendum ad deum, non ad subjugandum vestrae servituti paganos intendere studeatis." Datum Romae apud s. Petrum XVII. Kalendas Junii, 1218.

Palacky's Reise p. 21. — e Regesto Honorii III. lib. II. epist. 1149.

XCVI.

Honorius papa III. Eistetensi episcopo mandat, ut canonicos Pragenses, et alios presbyteros, qui interdictum ab episcopo positum violaverant, auctoritate apostolica officio beneficiisque suis privatos denuntiari faciat. Datum 14. Decembris, 1218.

Palacky's Reise p. 22. — e Regesto Honorii III. lib. III. epist. 166.

XCVII.

Honorius papa III. abbatibus de Zwell et Wallerbach, et priori de Zwell mandat, ut de Roberti, episcopi Olomucensis, vita inquirant. Dt. Laterani XV. Kalendas Februarii, 1219.

Honorius episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis de Zuetela, et de Ebrach *) abbatibus, et priori de Zuetela Cisterciensis ordinis, salutem et apostolicam benedictionem. Ad aures nostras, dilecto filio abbate Silocense insinuante, peruenit, quod licet venerabilis frater noster R. Olomucensis episcopus Cisterciensis ordinis regulam sit professus, ita tamen est in reprobum sensum datus, quod duobus homicidiis perpetratis, duas sorores Cunicensis monasterii moniales, et plures mulieres alias coniugatas cognouit carnaliter, et quandam virginem defloravit; hec et alia committens turpia impudenter in sue salutis dispendium, et scandalum aliorum. Quo circa discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus inquisita super his diligentius veritate, quod canonicum fuerit, appellatione postposita statuatis, facientes quidquid statueritis per censuras ecclesiasticas firmiter obseruari; quod si non omnes his exequendis potueritis interesse, duo saltem vestrum ea nihilominus exequantur. Datis Laterani XV. Kal. Februarii. Pontificatus nostri anno tercio.

---

*) Palacky e Regesto autographo habet „de Valdrabach."

Manrique Annales Cisterc. IV. 159. — e Regesto Honorii III. lib. III. epist. 249.

XCVIII.

Otakarus, Boemorum rex, Honorio papae III. jam se paruisse asseverans, legatum cum episcopo Pragensi in Bohemiam mitti petit. S. d. (1219).

Palacky's Reise pag. 22. — e Regesto Honorii lib. III. epist. 300.

XCIX.

Otakarus, Boemorum rex, Honorio papae III. mittit formam compositionis cum episcopo Pragensi per episcopum Ratisponensem abbatesque factae. S. d. (1219).

Ibidem — epist. 301.

C.

Premizl rex Boemorum . . . claustro Milevcensi ob interuentum coniugis Constancie, intercedente quoque dilecto germano suo *Vladislao marchione Morauie* et Cscirnino camerario et Ztibor iudice curie . . . villam Bogeniz, quam abbas Gerlacus pro CX marcis ab ipso obligatam tenuit, dedit hereditarie possidendam. Datum in Knin a. d. M. CC. XIX. presentibus filiis domini regis *Wencezlao et Vadislao* . . .

Analecta F. Palacky ex originali archivi Worlicensis.

CI.

Otakarus Bohemie rex . . Zahradkam et circuitum eundem cum uniuersis pertinentiis, siluis, pratis, aquis, villis ecclesie assignauimus Wissegradensi. Et ne hoc ecclesie predicte posset infringi, filios nostros *Wenceslaum et Wladislaum* misimus ad denotandum et circumeundum circuitum cum uniuersis pertinentiis supradictis . . . Acta sunt hec anno incarnationis domini M. CC. XIX. VII. Kalendas Augusti.

Hammerschmidt — Gloria eccl. Wyssehradensis pag. 172.

CII.

Honorius papa III. episcopis Ratisponensi et Patariensi, atque praeposito Patariensi molestias, quas ecclesia Pragensis patitur, referens, interdicti sententiam denuo per Boemiam promulgari jubet. Dt. Reate IV. Nonas Augusti, 1219.

Honorius episcopus seruus seruorum dei. Venerabilibus fratribus . . Ratisponensi et Patauiensi episcopis, et dilecto filio Patauiensi preposito

salutem et apostolicam benedictionem. Licet sepedicto regi tanquam ab eo missis deferre velimus; quia tamen non est deferendum hominibus contra Deum, cui est contra omnes homines deferendum; de fratrum nostrorum consilio discretioni vestre per apostolica scripta firmiter precipiendo mandamus, quatenus regem, et barones eosdem, vt prefato episcopo de damnis illatis, et subtractis fructibus, nec non irrogatis iniuriis satisfactionem exhibeant competentem, et ab ipsius de cetero molestatione desistant, recepta super his ab ipsis pignoraticia, vel fideiussoria cautione, moneatis prudenter, et efficaciter inducatis. Quod si monitis vestris, quod absit, infra duos menses acquiescere forte noluerint, denunciamus eos ex tunc excommunicationis, et totam terram eorum interdicti sententiis subiacere, quas vos renouantes singulis diebus dominicis et festiuis, faciatis easdem appellatione remota, tam ab episcopis, quam ecclesiarum prelatis, et aliis omnibus vicinis inuiolabiliter obseruari, donec redeuntes ad cor relaxari easdem sententias mereantur .. Datum Reate IV. Nonas Augusti. Pontificatus nostri anno IV.

Raynaldus XIII. p. 294. — e Regesto Honorii III. lib. IV. epist. 541.

CIII.

Honorius papa III. archiepiscopo Salisburgensi, episcopo Chiemensi, et abbati Sanctae Crucis scribit, ut ad confinia regni Boemiae accedentes, partes suas interponant ad reformandam concordiam inter regem et barones, atque episcopum et clerum Boemiae. Datum Viterbii XIII. Kalendas Aprilis, 1220.

Honorius episcopus seruus seruorum dei. Venerabilibus fratribus .. Salisburgensi archiepiscopo, .. Kymensi episcopo, et dilecto filio .. S. Crucis, Cisterciensis ordinis, Patauiensis diocesis, abbati salutem et apostolicam benedictionem. Post diutinam moram, quam venerabilis frater noster Pragensis episcopus apud apostolicam sedem traxit, pro questione inter ipsum pro parte una, et illustrem regem, et barones Boemie ex altera, super decimis, iurisdictione ecclesiastica, ecclesiarum immunitate, ac nonnullis aliis ad ecclesiasticam pertinentibus libertatem suborta, pro qua etiam ipse

rex, et barones excommunicationi, et regnum eius subiacent interdicto: tandem procuratoribus ipsius regis, et baronum in nostra presentia constitutis, utraque pars arbitrio nostro libere se commisit. Habito igitur cum fratribus nostris, et cum ipsis partibus longo de compositione tractatu, ita quod partes ipse a forma sibi tractata in paucis articulis discordabant. Ecce nobilis vir Dalebor maior iustitiarius, et Martinus pincerna ipsius regis, ac Marchuardus de Dechin, et Dionysius de Prachen castellani aduenerunt ex parte dicti regis, et sua, cum instantia postulantes, ut prefatum episcopum ad Vienam, ciuitatem nobilis viri ducis Austrie, mitteremus, affirmantes, quod rex, et barones predicti, quos illuc venturos firmissime promittebant presente dicto episcopo inducerentur facile ad concordiam: et ipsi ad hoc impenderent diligens studium et operam efficacem: quod etiam firmauerunt predicto iuramento, quod ipsi ad hoc directi, hoc de ipsorum, regis, et baronum mandato speciali procurabant; et quod ad pacem, et concordiam fideliter laborarent; quodque custodirent personam episcopi, sicut suas tam deducendo eum ad ciuitatem predictam, quam ad nostram presentiam reducendo, si forte non posset concordia prouenire. Nos igitur acquiescentes precibus, et instantie nobilium predictorum, episcopum ipsum ad ciuitatem iam dictam duximus transmittendum, ut huiusmodi controuersia finem, donante domino, sortiatur, ideoque per apostolica vobis scripta mandamus, quatenus ad locum ipsum, vel propius, si necesse fuerit, ad regni confinium personaliter accedentes, et commonentes dictum regem, cui super hoc scribimus, ut et ipse iuxta promissionem nobilium dictorum, cum aliquot de baronibus, a ceteris, tam baronibus, quam nobilibus Boemie mandatum habentibus, ad locum accedat eundem, interponatis prudenter, et sollicite partes vestras ad reformandam concordiam inter eos; que, si studio vestro mediante proueniret, eadem sufficienti, et idonea cautione firmata, prefatas excommunicationis, et interdicti sententias relaxetis; alioquin episcopum ipsum ad nos reduci, iuxta promissum nobilium predictorum, in Coloniam facientes, easdem sententias precipiatis usque ad satisfactionem condignam inuiolabiliter obseruari. Dt. Viterbii XIII. Kal. Aprilis. Pontificatus nostri anno quarto.

Manrique Annales Cisterc. IV. 175. — e Regesto Honorii III. lib. IV. epist. 678. — Cfr. Palacky's Reise p. 22.

CIV.

Otakarus, qui et Přemysl, Boemorum rex, confert monasterio Welehradensi villam Žarošice sub testimonio Wladislai, marchionis Moraviae. Datum Hodonin, **1220.**

In. nomine. sancte. et. indiuidue trinitatis. Otacarus. qui. et. Premizl. dei. gratia. Boemorum. Rex. Omnibus tam presentibus quam futuris in perpetuum. Processu temporis immutantur plerumque legitime hominum donationes. factaque sollemniter celebrata. nisi testimonio proborum et sigillatis inueniantur litteris roborata. ut cum opus fuerit conspectui dubitancium presententur. et quasi ad presens acta perlectis seriatim litteris uidebuntur. Notum itaque facimus omnibus generaliter presentem paginam inspecturis. quod nos abbati et conuentui deuote domino in *Welgrad* famulantibus. uillam quandam *Schorcici* nomine. que primitus ad *Vhricic* pertinebat. de nostra mera liberalitate iure hereditario cum monte qui ibidem situs est contulimus inperpetuum possidendam. Ne igitur hoc tam nobile factum nostrum posset inposterum aliquatenus uiolari. eisdem presens scriptum nostri sigilli fecimus munimine roborari. statuentes ut siquis hoc tam sollemne factum nostrum inposterum ausu temerario modo quolibet presumpserit immutare. C. marcas argenti pro pena regali camere componat. Actum in Hodonin anno ab incarnacione domini Millesimo. CC. XX. in presentia horum quorum nomina subsequuntur. *Heinricus qui et Wladizlaus* Marchio Morauie. *Robertus* Olomucensis episcopus. Conradus comes de Ardec. Jaros. Benes. Bauor. Witco et alter Wittco. et Henricus filii Wittoconis. Petrus filius Bohute. Wilalmus filius Zbrazlay. Budizlaus. Suatozlaus. Berhterus. Englisalcus prothonotarius. Data per manum Hermanni notarii. indictione VII.

Ex originali archivi ejusdem monast. sign. G. I. in registr. c. r. Gubernii. — De 3 sigillis unicum Heinrici superest, estque equestre cum leone in scuto et circumscriptione: Heinricus Dei gratia Marchio Moravie. — Apographum in cod. Welehrad. Ms. fol. 39.

Conradus, comes de Hardeck, cedit monasterio Welehradensi de jure, quod sibi in villam Žarošice competebat. **1220.**

C(onradus) comes de Hardeke omnibus hanc paginam inspecturis salutem in domino. Nouerint tam presentes, quam futuri, quod ego Conradus obtinui pro seruicio meo quandam villam vrscicz cum alia villa Scorscicz nomine cum omnibus appendiciis suis ab illustri rege Boemie tercio, nomine *Ottacaro*, et fratre eius inclito marchione Morauie, *Wadislao* nomine, iure hereditario possidendas. Contigit autem, quod quidam miles, Bertherus nomine, a nobis fuit infeudatus de illa villa, que vocatur *Scorscicz*, sed ipse nobis voluntarie resignauit, quam postea de consensu nostro et ad peticionem nostram illustris rex Boemie et inclitus marchio Morauie frater eius, prius nominati contulerunt ecclesie *Welegradensi* perpetuo iure possidendam et sine omni contradiccione ad suos vsus conuertendam; hoc autem fecimus nullo precio inducti, sed pure pietatis causa, considerantes honestatem religionis fratrum in eadem ecclesia commorancium, sperantes nos per eorum merita eternorum gaudiorum obtinere premia. Ne autem ecclesia in *Vrscicz* vel eius prouisores aliquam querelam possint habere contra ecclesiam Welegradensem de decimis quarundam vinearum, que sunt plantate in predicto predio, ordinatum est cum consilio prudencium virorum et consensu episcopi diocesani, Ruberti nomine, quatenus ecclesia Welegradensis debeat dare ecclesie de Vrscicz quolibet anno carratam vini, ut onus deinceps de quibuslibet decimis excludatur, querimonia et actio plenarie sopiatur; quia vinee, que sunt site in predicto predio, labore fratrum ecclesie Welegradensis, que est ordinis Cisterciensis, sunt plantate et exculte. Et vt hec omnia rata permaneant nostrum sigillum in huius testimonium huic pagine fecimus apponi. Acta sunt hec anno ab incarnacione domini M. CC. XX. Huius rei testes sunt: *Wadizlaus* marchio Morauie. *Rubertus* Olomucensis episcopus. Jaros. Benes. Witco et alter Witco et Heinricus filii vitconis. Petrus filius Boguthe. Wilhelmus filius zbraslay. Budislaus. Suatoslaus. Bertherus. Engilscalcus prothonotarius.

Ex apographo in codice Welehrad. Ms. fol. 46.

CVI.

Otakarus, qui et Přemysl, Boemorum rex, concedit Welehradensi monasterio facultatem emendi villam Jarošow a Sifrido, canonico Olomucensi, filio ducis Břetislai. Actum in Brunna, 1220.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Ottakarus, qui et Premizl, dei gracia Boemorum rex tam presentibus quam futuris in perpetuum. Contingit sepius multis annorum curriculis elabentibus quelibet facta hominum legittima, celebrata sollempniter immutari, nisi viuaci pagine inserantur, vt cum in dubium deuenerint, conspectui viuencium presententur, seriatimque publice recitata, quasi ad presens conscripta dilucide apparebunt. Notum itaque facimus omnibus generaliter presentem paginam inspecturis: Quod, cum dilectus capellanus noster *Sifridus, Olomucensis canonicus*, quandam villam suam, *Jarosow* nomine, quam *a progenitore suo illustri duce Bretizlao* promeruerat, uellet abbati et fratribus de *Welegrad* pro certa vendere pecunie quantitate, ad nos accedens humiliter postulauit, ut sibi liceret prefatam hereditatem cum nostro permissu venumdare abbati et fratribus antedictis; nos vero ipsius deuocionem attendentes, moti misericordia largam et plenam sibi dedimus licenciam prenotatam hereditatem Jarosow uendendi libere abbati et fratribus memoratis. Eisdem ergo cum deuocione confirmacionem a nobis postulantibus, ne hoc tam sollempne factum postmodum posset aliquatenus immutari, presens scriptum nostri sigilli munimine roboratum pro testimonio fecimus exhiberi, statuentes, ut si quis hoc tam sollempne factum imposterum ausu temerario modo quolibet presumpserit violare, regali camere C. marcas argenti pro pena componat. Actum in Brenna anno ab incarnacione domini M. CC. XX. presentibus hiis, quorum nomina subsequuntur: *Heinricus qui et Wladizlaus*, marchio Morauie. *Robertus* Olomucensis episcopus. Anselmus prothonotarius. Jaros. Benes. Witco. Heinricus. Vitco filii Vitconis. Suatozlaus. Suezlaus. Magister Sdizlaus Pragensis canonicus. Hermannus. Beneda. Wilalmus. Bauor. Bertherus. Budizlaus. Cron. Smil. Andreas. Johannes. Welen. Otazlaus. Stanimir. Data per manum Hermanni notarii, indiccione VIII.

Ex apographo in codice Welehrad. Ms. fol. 40.

CVII.

Robertus, episcopus Olomucensis, concedit de consensu sui capituli monasterio Welehradensi decimas villarum ejusdem. Acta Olomuc mense Augusto, 1220.

C†. In nomine sancte et indiuidue trinitatis amen. Ego *Rupertus* dei gracia Olomucensis episcopus dilectis in Christo fratribus abbati et conuentui in *Welegrad* Cisterciensis ordinis Olomucensis diocesis inperpetuum. Conuenit scribi quod non conuenit obliuisci. Ea enim que vite presentis aguntur curriculo facile vacillant. nisi scripti testimonio roborentur. Cvm igitur ex officii nostri debito benefacere singulis teneamur. illis tamen specialius debemus ac volumus prouidere qui religionis approbate vitam et habitum sunt professi. et pro statu vniuersalis ecclesie die noctuque domino deo supplicando deuocius famulantur. Ea propter uos o fratres in domino dilectissimi conuentum vestrum et domum vestram in Welegrad tamquam filiam specialem ecclesie nostre Olomucensis que ipsius mater esse dinoscitur ac patrona. sincere dilectionis vlnis propensius amplexantes. Decimas integrales omnium villarum in agris. vineis. aninimalibus (sic) siue quibuslibet vsufructibus quocunque censeantur vocabulo. quas tempore sue fundationis vestrum monasterium possidebat vel in sui dedicatione. nec non et inposterum largicione principum seu baronum. vel per emptionis modum aut commutationis. nec non sub cuiuslibet legitime occasionis pretextu. remediis quoque decedentium in quibuslibet prouinciis nostre diocesis perpetuis temporibus possessurum erat. ad sustentationem vestram ampliorem. et ob uestrarum recompensationem orationum libere et absolute tocius capituli nostri Olomucensis vnanimi accedente consensu. vobis et successoribus vestris inperpetuum misericorditer ac liberaliter duximus concedendas. quarum hic nomina subscribuntur. Welegrad villa forensis cum omnibus suis appendiciis. Maratiz. et utrumque Popowiz. Kneispole. Squalcowiz. Jerschowe. Tvpicz. Borsiz. Costelan. Naconice. Polissowiz. Pritluc. Welenowiz. Babice. Wesconewiz. Wezde. Prist. Potwariz. Styboricz cum omnibus suis pertinentiis. in Opauiensi prouincia constitutis. Vt igitur. hec nostra donacio firma sit et stabilis ac semper maneat inconcussa. nec per aliquem successorum nostrorum valeat inposterum aliquatenus reuocari.

nos ipsam donationem et donationis memoriam presenti pagina et sigilli nostri munimine roborauimus cum sigillo ecclesie Olomucensis. cum testimonio etiam et sigillis specialibus personarum ipsius ecclesie et ceterorum fratrum qui hic nominetenus exprimuntur. Ego Walterus decanus Olomocensis et archidiaconus Brunnensis et Znoemensis huic donacioni consentiens proprium sigillum apposui. Ego Stephanus prepositus olomocensis ecclesie consentiens proprium sigillum apposui. Ego Radozlaus olomocensis archidiaconus consentiens proprium sigillum apposui. Ego Esau archidiaconus prerowensis consentiens proprium sigillum apposui. Ego Moyses archidiaconus Brezlauiensis consentiens proprium sigillum apposui. Ego Vtissen canonicus consensi. Ego Ysaac canonicus consensi. Ego Jacobus canonicus consensi. Ego Sifridus canonicus consensi. Ego Theodericus canonicus consensi. Ego Johannes canonicus consensi. Ego Petrus canonicus consensi. Ego Conradus canonicus consensi. Ego Zeborius canonicus consensi. Ego Arcleus et omnes canonici consensimus. Acta sunt hec sollempniter in Olomucz. anno domini M.CC.XX. mense Avgvsti. Indictione. VII. feliciter. Amen.

Ex originali duplici (sub sign. E. I. et J. I.) archivi ejusdem monasterii in registr. c. r. Gubernii. — Item apographum in codice Welehrad. Ms. fol. 15.

CVIII.

Heinricus, qui et Wladislaus, marchio Moraviae, confert Daubrawnicensi monasterio ecclesiam in Bystřice cum jure patronatus et dote ejusdem. Actum in castro Weweřj, 1220.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis amen. Ego Heinricus qui et Wladizlaus. dei gratia marchio Morauie tam presentibus quam futuris in perpetuum. Contingit sepe quod facta hominum licet rite et sollempniter celebrata. temporis labentis incertitudine et hominum futurorum ignorantia immutari solent. nisi scripture tenacis firmitate roborentur. qua omnis dubietatis scrupulus si quando exortus fuerit statim eneruatur et deletur. Notum sit itaque vniuersis hos pagine apices inspecturis quod nos ius patronatus ecclesie in *Bistrice* pro remedio anime nostre et predecessorum

nostrorum ad intercessionem nobilis uiri Stephani de Medlov castellani de Deuici. iure perpetuo et integro quo nos illud hactenus possedimus contulimus M. abbatisse et conuentui eius in *Dubraunik*. Confirmamus etiam ipsi monasterio omnem dotem quam predecessores prefati Stephani et ipse de pia liberalitate prefate ecclesie contulerant in ipsa uilla forensi Bystrice, mansum uidelicet cum silua in *Zdenici*. et capella in *Piuonici*. cum dimidia aratura et bosco. Vt autem hec nostra donatio et confirmatio presente pagina robur obtineat perpetuum priuilegii tenorem sigilli nostri karactere muniuimus. Actum in castro Uenueri anno incarnationis domini M. CC. XX. presentibus hiis quorum nomina subsequuntur: *Robertus* episcopus Olomucensis. Bertherus de Vranoue. Zuoysa dapifer. Adalbertus de Kuniz. Stephanus de Medloue burgrauius de Deuici. Leua de Bruna. Pribizlaus. Voiteh filius Stephani. Andreas marscalcus. Vitco. Doben. et alii quam plures.

E copia sec. XIV. in archivo civitatis Bystricensis.

CIX.

Emerammus, castellanus Znoymensis, confert monasterio Lucensi fundatam a se ecclesiam in Primetice (Brenditz) cum dote sua. 1220.

Omnibus presentes litteras inspecturis notum facio vniuersis quod ego Emrammus miles et castellanus in Znoem filius quondam domini Etley. pro remedio anime mee. patris et matris parentumque meorum dono. concedo et renuncio tibi domino F. abbati *lucensi* uice et nomine eiusdem ecclesie ius patronatus. quod adeptus sum ex fundacione ecclesie *primetitz*. quam ecclesiam fundaui de licentia et mandato tuo fratrum tuorum in supradicta uilla que ad ecclesiam beati *Nicholai in Znoem* que proprie est Lucensis noscitur pertinere. Dono insuper et concedo atque renuncio omne ius et potestatem quam habeo uel habere possem. siue ex fundatione supra dicte ecclesie siue etiam in possessionibus quas concessi supra dicte ecclesie quarum nomina sunt hec: Manssum in eadem uilla. secundum in uilla cvlcharuitz. et partem de silua in Massovitz. Huius autem mee concessionis. donacionis et renunciacionis testes sunt hii. Lucas prior lucensis ecclesie. Henricus camerarius. Gerardus cellerarius. Wilhelmus

stragoviensis canonicus. Johannes parochianus in chetow. Ut autem hec mea donacio in perpetuum robur habeat firmitatis. has litteras mei sigilli feci munimine roborari.

Ex originali monast. Lucensis (F. 2.) in registr. c. r. Gubernii. — Sigillum illaesum appendat cum insigni gentis Pernsteinianae.

CX.

Robertus, episcopus Olomucensis, confirmat monasterio Lucensi jus patronatus ecclesiae in Přimětice. Dt. Přimětice, 1220.

R(obertus) dei gracia Olomucensis episcopus. cunctis Christi fidelibus presentibus et futuris. salutem in uera salute. Nouerint vniuersi huius scripti copiam habituri. quod illustris marchio Morauie *Wladizlaus qui et Henricus* nomine. ius patronatus ecclesie de *primetiz* pro remedio anime sue. et predecessorum suorum ad intercessionem nobilis uiri *Immerammi.* Znoymensis castellani libere *Lvcensi* contulit monasterio. et nobis deuote supplicauit quatinus ex nostri iure officii iura spiritualia eidem monasterio confirmaremus. Nos igitur ipsius deuotionem quam habebat circa loca religiosa commendantes in Christo donum altaris et omnia iura spiritualia eiusdem ecclesie in primetiz cum decimis et aliis prouentibus ad eandem ecclesiam pertinentibus. domino *Floriano* supradicti monasterii lvcensis abbati et suis successoribus ad sustentationem fratrum inibi deo famulantium. et subuentionem pauperum. concedimus in perpetuum et presentium auctoritate confirmamus. Acta sunt hec anno gracie M. CC. XX. in primetiz in die dedicationis ecclesie. Pontificatus nostri anno XX. quoram testibus subscriptis. quorum nomina sunt hec.

Ex originali monast. ejusdem in registrat. c. r. Gubernii.

CXI.

Robertus, episcopus Olomucensis, confirmat monasterio Lucensi jus patronatus quarundam ecclesiarum cum decimis. 1220.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Ego R(obertus) Olomucensis episcopus. Abbati de Luca et fratribus eius. Cum nostre sit prouidentie

illis prouidere qui minus sibi sciunt consulere et circa viros religiosos opus pietatis ubique promouere. visum fuit nobis. ut beneficia ecclesiastica que abbas et sui fratres indebito modo hactenus possederant nostra auctoritate et modo debito eis robur dare et firmitatem. Ius itaque patronatus quod habent in ecclesiis ex concessione principum. militum. siue aliorum laicorum. ecclesias quoque cum decimis quarum hec sunt nomina. Ecclesiam de Chatow. ecclesiam de Diakouich. ecclesiam de Gobzhe. ecclesiam de Rokythnic. ecclesiam de Olexowich. ecclesiam de Domamil. ecclesiam de Lodinnizh. ecclesiam de Znoem. quas prius quasi per manus laicas possederant predecessorum nostrorum minime requisito consensu eo. quod tali abusiue adquisitioni de cetero renuntiaverint. eis confirmamus. Confirmamus etiam eis decimas ad nos spectantes de uillis ad illas ecclesias pertinentibus que proprie sunt claustri quas decimas vvlgus credebat spectare ad prepositurам Bolezhlauiensem quam multis temporibus predecessores nostri possederunt et nos possidemus. Abbas personas idoneas episcopo representet qui ab eo curam animarum recipiant. episcopo in spiritualibus abbati vero in temporalibus responsuri. Volumus autem ut abbas requirat integras decimas a suis parochialibus. et contradictores nisi resipuerint excommunicatos denuntiet. Et ne super hiis a modo possint gravari hanc nostre confirmationis paginam sigillo nostro fecimus muniri.

Ex originali ejusdem monasterii in registrat. c. r. Gubernii.

CXII.

Honorius papa III. mittit Gregorium de Crescentio, s. Theodori diaconum cardinalem, apostolicae sedis legatum in *Boemiam, Moraviam*, Poloniam, Pomeraniam, Sueciam, Daniam et Germaniam septentrionalem, cum plena potestate. Dt. 31. Decembris, 1220.

Palacky's Reise pag. 22. — e Regesto Honorii III. lib. V. epist. 307.

CXIII.

Honorius papa III. Gregorium de Crescentio, apostolicae sedis legatum in *Boemiam et Moraviam* etc. missum, regi Boemiae commendat. Dt. 29. Decembris, 1220.

Palacky's Reise p. 23. — e Regesto Honorii III. lib. V. epist. 309.

CXIV.

Honorius papa III. universo clero regni Boemiae notam facit compositionem et concordiam inter episcopum Pragensem ex una, et procuratorem regis atque baronum regni ex altera parte factam. Dt. Laterani III. Idus Januarii, 1221.

Palacky's Reise pag. 23. — e Regesto Honorii III. lib. V. epist. 335. — Bulla ipsa in archivo capituli Pragensis adservatur.

CXV.

Honorius papa III. cardinali legato suo per Boemiam et Moraviam praescribit formam cautionis a rege et baronibus Boemiae postulandae. Dt. Laterani X. Kal. Februarii, 1221.

Palacky's Reise pag. 23. — e Regesto eodem epist. 404. — Bulla ipsa superest in archivo capituli Pragensis.

CXVI.

Otakarus, qui et Přemysl, Boemiae rex, confirmat monasterio Zwetlensi in Austria possessionem villae „Sahar" quondam a duce Friderico collatae. Actum in Switawis, 1221.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Otakarus, qui et Premizl dei gratia rex Boemorum tam presentibus quam futuris in perpetuum. Contingit plerumque temporis per processum donationes legitimas factaque hominum celebrata solemniter immutari. nisi viuaci pagine inserantur et

testimonio proborum hominum ac sigillatis inueniantur litteris roburata. ut cum in ambiguum deuenerint conspectui viuentium presententur et tunc quasi ad presens acta cuilibet dilucide apparebunt. Notum itaque presentibus et futuris ad quos presens pagina peruenerit. quod nos pro salute ac remedio anime nostre atque omnium nostrorum parentum. contulimus et donauimus Deo et ecclesie sancte Marie in *Zwetla* ad usum abbatis et fratrum ibidem domino famulancium. predium quoddam. quod vulgariter *Sahar* appellatur. cum omnibus suis pertinenciis. campis. pratis atque silua quemadmodum frater noster felicis memorie dux *Fridericus* eisdem contulerat iure hereditario in perpetuum possidendum. ita tamen quod ipsam siluam non extirpent ad terre nocumentum. Vt autem hoc sollempne factum nostrum robur obtineat perpetue firmitatis. presens scriptum nostri sigilli munimine fecimus roborari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre donationis infringere. vel ei ausu temerario contraire. Si quis vero hoc facere attemptauerit. si par nostrum est. indignationem omnipotentis Dei incurret et tradatur perpetuis ignibus cruciandus. Si autem minor nobis. regali camere C marcas argenti pro pena componat. Actum in *Swilauis* anno incarnationis dominice M. CC. XXI. Indictione IX. in presentia horum omnium quorum nomina subsequuntur. *Robertus episcopus Olomucensis. Wladizlavs marchio Morauie. Wencezlaus et Wladizlaus filii domini regis Premizl.* Arnoldus prepositus Wisegradensis. Eppo Pragensis prepositus. Benes. Witco. Henricus frater eius. Jaros. Budiwog. Colda. Divis. Castolov. Ego quoque Hermannus prefati regis notarius interfui et ex ipsius precepto conscripsi. ut superius continetur.

Ex originali monasterii Zwetlensis mecum a R. D. Abbate communicatum.

CXVII.

Heinricus, qui et Wladislaus, marchio Moraviae, confert Welehradensi monasterio villam Sukowice cum dimidia silva Rašjn. Dt. Welehrad pridie Idus Junii, 1221.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis amen. Nos Heinricus qui et Wladizlaus miseracione diuina marchio morauie claustro sancte Marie in

Welehrad Cysterciensis ordinis et omnibus ibidem degentibus inperpetuum. Quoniam generacio preterit et generacio aduenit et actiones humane sollempniter celebrate propter incertos rerum et temporum euentus solent cum tempore defluere et a memoria resecari necesse est ut ea que sub tempore geruntur litteris et testibus perhennentur. Noscat igitur tam presens hominum etas quam successura posteritas quod inter ceteras donaciones. quas ob reuerenciam beate virginis Marie fecimus cenobio in Welhrad predium siue villam nostram *Schucowicz* cum pratis pascuis virgultis agris cultis et incultis contulimus addita eciam medietate silue *Rassin* cum limitibus suis ut in ipsa silua sicut in omnibus aliis suis siluis et aquis liberam habeant potestatem ut nullus in pascuis in piscacione in uenacione eos presumat inquietare. sed nec uenator aliquit sibi uendicet iuris uerum omnem utilitatem vndecunque prouenientem cenobium illud libere et absolute possideat. In rei geste robur perpetuum presens priuilegium sigilli nostri karactere consignantes. Testes qui huic actioni interfuerunt nominetenus subscribendo Bertherus de vrene Teodericus de Saderer Szuoyze dapifer Petrus pincerna Adalbertus de Kaniz Werso camerarius Wilhamus de Znoym Lutobor de Znoym Victor de Olomuz Andreas marscalcus Nicolaus Doben Szidobor Paulik de Wasan Hirse filius Kanimiri Virchozlaus Vidko Dluhomilus Heroldus magister Arnoldus Pragensis Thomas de Olomuz. Mathias de Ywansiz Gregorius Acta sunt hec anno domini M. CC. XXI. II. idus iunii. Datum Welhrad.

Ex originali ejusdem monasterii sign. G. 2. in registr. c. r. Gubernii. — Sigillum avulsum. — Apographum in cod. Welehrad. Ms. fol. 20.

CXVIII.

Honorius papa III. Gregorio, cardinali legato suo notam facit petitionem episcopi Pragensis de erigenda metropoli in Boemia, jubetque de hoc negotio inquiri et sibi intimari, quae opportuna videbuntur. Datum 19. Junii, 1221.

Palacky's Reise pag. 23. — e Regesto Honorii III. lib. V. epist. 735.

CXIX.

Honorius papa III. eidem legato suo scribit, ut provideat episcopo Pragensi de loco competente et securo ad tractandum cum rege et baronibus Boemiae. Dt. 19. Junii, 1221.

Ibidem — epistola 736.

CXX.

Otakarus, rex Boemorum, confirmat et renovat omnia privilegia et exemtiones ecclesiae Pragensis, cui etiam castrum Podiwjn restituit. Datum in Sacka Nonis Julii, 1221.

In nomine patris et filii et spiritus sancti amen. Nos Ottacarus dei gratia Bohemorum rex, uniuersis Christi fidelibus, presentis priuilegii literas inspecturis. Humane nature conditio semper trahit ad se hominis miseriam et defectum, et quanto plus homo in hoc mundo foris transitoriis rebus inuoluitur, tanto magis virtus interior eneruatur. Unde veram credimus salubris consilii medicinam, ut sicut quis cadit per vitium sic assuescat resurgere per virtutem, maxime ius restituens alienum, quod nullum posse absque peccato et mortis interitu detinere, credere iure possumus et debemus. Hinc est igitur quod uniuersos volumus non latere, quod cum inter nos et venerabilem patrem dominum Andream Pragensem episcopum super libertate Pragensis ecclesie, et aliis articulis, apud examen sedis apostolice questio verteretur, per sanctissimi patris domini Honorii tertii pontificis prouidentiam, de voluntate partium est statutum, ut deperdita priuilegia nostra, et antecessorum nostrorum, quorum tenorem idem episcopus suo iuramento probarat, nos restaurare Pragensi episcopatui et ecclesie deberemus, pro quo siquidem et aliis adimplendis cum venerabilis pater dominus Gregorius de Crescentio S. Theodori diaconus cardinalis in regno Boemie legationis officio fungeretur, et idem episcopus in ipsius venerabilis patris domini legati presentia multis astantibus episcopis, abbatibus, aliisque ecclesiarum prelatis, et maioribus baronibus regni nostri, secundum tenorem infra positum prestitit iuramentum. Nos omnia, que iurauit, adimplere

volentes, episcopatui et ecclesie Pragensi priuilegium deperditum taliter restauramus: Ad honorem igitur dei patris, et beatorum martyrum Viti, Wenceslai, et Adalberti, patronorum nostrorum, pro remissione peccatorum, et antecessorum nostrorum omnium animabus, concedimus et donamus episcopatui et ecclesie, et hominibus eorundem, omnem exactionem, siue inquietationem, venditionem Narok, Zwod, Hlawam, Wrez, collectas generales, edificationes castrorum, foffata Preseky, Pruwod, Narez, et omnia alia grauamina. Et si quis de hominibus episcopatus vel ecclesie Pragensis furtum, vel rapinam, vel aliam huiuscemodi grandem culpam perpetrator perpetrauerit, criminis sententie regie potestatis subiacet, et Pragensis ecclesia vel episcopatus, cuius homo erat, ipsius vendicet facultates. Si quis etiam in bonis episcopatus vel ecclesie Pragensis homicidium presumpserit perpetrare, et homicida euaserit, consanguinei interfecti reum iure terre requirant: ita tamen quod homines ecclesie et episcopatus conseruentur inde impunes. *Podiuin* etiam quod aliquando eiusdem fuit ecclesie cum omnibus iuribus suis, accessionibus et pertinentiis de regia munificentia eidem ecclesie concedimus, et donamus. Ad huius igitur nostre restaurationis, concessionis, et donationis notitiam et inuiolabile firmamentum, coram infra scriptis testibus presens priuilegium per manum Hermanni notarii et capellani nostri fecimus fieri, et ipsum sigilli munimine nostri mandauimus insigniri: Anno dominice incarnationis M.CC.XXI. nonis Iulii, Indictione IX. In monte Scach, presidente in Romanorum ecclesia domino Honorio tertio, regnante vero in imperio domino Friderico, in presentia domini Gregorii de Crescentio S. Theodori diaconi cardinalis, apostolice sedis legati. Testes autem sunt hi: dominus Robertus episcopus Olomucensis, dominus Joannes Nitriensis episcopus, dominus Laurentius Wratislauiensis episcopus, dominus Leopoldus austrie et styrie dux. Comes Cunradus de Hardek. Dominus Poppo prepositus Bambergensis. Dluhomil abbas de Brevnov. Hermannus abbas de Wilimov. Rinerus abbas de Insula. Johannes abbas de Gradist. Bertholdus abbas de Stragov. Gerlacus abbas de Milevsk. Wilhelmus abbas de Siloa. Hermannus abbas de Lutomisl. Bonifacius abbas de Gradiss. Florianus abbas de Luca. Wernherus abbas S. Crucis. Waltherus prepositus Numburgensis. Weclo abbas de Cotuico. Gebhardus abbas de Liunvelde. Marquardus abbas de Zwetla.

Henricus ducis austrie protonotarius. Marquardus prepositus S. Hippolyti. Bauarus. Budiuoy. Borsuta. Jaross. Witco. Henricus frater eius. Bohuslaus. Swatoslaus. Sulislaus. Holak. Diwiss. barones Boemie.

E copia sec. XVI. — Excusum dederunt: Pontanus 62. et 87. Balbinus VI. 51. et alii. — Originale ipsum in arch. capit. Pragensis asservatur.

CXXI.

Honorius papa III. archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum praelatis defensionem privilegiorum ordinis Cisterciensis injungit. Dt. Laterani XIV. Kal. Februarii, 1222.

Honorius episcopus seruus seruorum dei. Venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, dilectis filiis aliis ecclesiarum prelatis, ad quos littere iste peruenerint, salutem et apostolicam benediccionem. Benefaciens dominus bonis et rectis corde dilectos filios fratres Cisterciensis ordinis in uia mandatorum eius inoffense currentes, tamquam populum acceptabilem sibi numero et merito ampliauit, eisque de rore celi et terre pinguedine benedicens dilatauit locum tentorii eiusdem ordinis et pelles thabernaculorum eius extendit. Sed quod dolentes referimus in uia hac, qua ambulant superbi, contra eos laqueos extendentes, ymmo uelut torrentes iniquitatis irruentes in eos ipsos bonis suis, que soli domino sunt dicata, non solum nequiter defraudare, cum filii huius seculi prudentiores filiis lucis in generacione sua sint, uerum eciam iniquitate potentes uiolenter spoliare nituntur, et quod grauius est, non nulli de hiis, qui eos debuerunt in Christi visceribus carius amplexari et fauorabilius confouere, ipsos inhumanius persequentes priuilegia, que ipsis a sede apostolica suis exigentibus meritis sunt indulta, gestiunt penitus eneruare, dicendo, illa fuisse omnino in generali concilio reuocata, uel alias intellectum priuilegiorum ipsorum ita maligna interpretacione ad libitum peruertendo, quod nisi os iniqua loquencium obstruatur, nil restet, quin predicti fratres priuilegiorum suorum pene penitus fructu frustrentur, per quod illi non tam eisdem fratribus, quam nobis iniuriari probantur, dum contra sedis apostolice indulgencias memoratas fratres temere perturbare presumunt, molientes contra nostre

plenitudinem potestatis, dum indulta nostra irreuerenter inpugnant. Nos autem, qui predictos fratres speciali prerogatiua dileccionis et gracie amplexamur, utpote qui iugiter offerentes domino suorum vitulos labiorum, non solum nobis, sed eciam vniuersali ecclesie piis intercessionibus incomparabiliter suffragantur, nolentes huiusmodi uexacionibus eorum sabbati amaricari quietem, quos tenemur pocius omnimodis consolari, vniuersitatem uestram monemus et hortamur attente per apostolica uobis scripta precipiendo mandantes, quatenus supradictos fratres ob reuerenciam diuinam et nostram habentes in uisceribus caritatis eis priuilegia et indulgencias apostolice sedis eisdem concessas inuiolabiliter conseruetis, et faciatis ab aliis conseruari; salua moderacione concilii generalis, videlicet ut de alienis terris a tempore predicti concilii acquisitis et decetero acquirendis exoluant decimas ecclesiis, quibus racione prediorum antea soluebantur, nisi aliter cum eis duxerint componendum; alias quoque dictos fratres ab incursibus malignorum taliter defendatis, quod defensores iustitie ac pietatis probemini amatores, deum quoque uobis propicium, et nos reddatis exinde fauorabiles et benignos. Datum Laterani XIIII. Kalendas Februarii. Pontificatus nostri anno sexto.

E codice Welehradensi Ms. sec. XV. fol. 99. ad quod monast. specialiter bulla attinebat.

CXXII.

Honorius papa III. inhibet, ne legati sine speciali mandato fratres ordinis Cisterciensis excommunicent. Datum Laterani XIV. Kalendas Februarii, 1222.

Honorius episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis . . abbati Cisterciensi et vniuersis coabbatibus eius et fratribus sub eodem ordine deo seruientibus, salutem et apostolicam benedictionem. Cum ordinis uestri generosa plantacio multe religionis et honestatis flores et fructus protulerit efuso longe lateque laudabilis conuersacionis odore, apostolice sedis auctoritas considerans, per Marthe sollicitudinem prouidendum esse Marie quieti, ut oraneis marie suffragiis satagentis Marthe sollicitudo ministerii iunaretur,

ne alicuius temeritatis incursus sancte conuersacionis ocium perturbaret, ordinem ipsum et priuilegiis et non nullis indulgenciis specialis gracie prerogatiua muniuit. Nos autem, qui salutifera commoda uestra benigno fauore prosequimur, tranquillitati vestre libenter, prout possumus, prouidemus, auctoritate presencium inhibentes, ne legati sedis apostolice sine speciali mandato nostro in uos excommunicacionis uel suspensionis et in monasteria uestra interdicti sentencias contra ea, que uobis sunt ab apostolica sede concessa, promulgent. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostre inhibicionis infringere, uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignacionem omnipotentis dei et beatorum petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Laterani XIIII. Kalendas Februarii. Pontificatus nostri anno sexto.

E codice Welehradensi fol. 100. ad quod monasterium bulla specialiter spectabat.

CXXIII.

Honorius papa III. inhibet, ne legati a monasteriis Cisterciensis ordinis procuraliones pecuniarias extorqueant. Dt. Laterani XIV. Kalendas Februarii, 1222.

Honorius episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis vniuersis abbatibus et conuentibus Cisterciensis ordinis, salutem et apostolicam benedictionem. Cum propter pauperem uictum uestrum omnia bona uestra hospitalitati et aliis piis operibus officiosissime sint exposita, satis inhumane aliis auferri uidetur egenis, quidquid a uobis uiolencia uel ingenio extorquetur; nec quia dominus manuum uestrarum operibus benedicens uiaticum peregrinacionis uestre, quantomagis illud fraterna caritate in vsus pauperum distribuitis, tantomagis celestis alluuione multiplicat, estis deterioris conditionis habendi, sed pocius melioris, cum non nisi uasis paratis celestis gracie oleum infundatur, quod pauperis mulieris deficientibus uasis stetit. Licet igitur largiente domino monasteria uestra plus solito temporalium floreant ubertate, quia tamen exinde pauperibus uberius subuenitur, nos uolentes eo uos de speciali gracia fauorabilius confouere, quo exinde illi

propensius complacere uos credimus, qui, quod vni ex minimis suis fit, sibi reputat esse factum, deuocionis uestre precibus inclinati auctoritate uobis presencium indulgemus, ne apostolice sedis legati procuraciones pecuniarias a monasteriis uestris exigere uel extorquere presumant, sed cum ad domos uestras accesserint, sine carnium esu cibis regularibus sint contenti. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignacionem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Laterani XIIII. Kalendas Februarii. Pontificatus nostri anno sexto.

E codice Welehradensi fol. 103. ad quod monasterium specialiter bulla spectabat.

CXXIV.

Heinricus, qui et Wladislaus, marchio Moraviae, tradit Welehradensi monasterio duos mansos juxta Opaviam. Actum in Kygow VIII. Kalendas Februarii, 1222.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Ego Henricus, qui et Wladizlaus, dei gracia marchio Morauie. Notum sit omnibus tam modernis, quam modernorum posteris vniuersis, qualiter *Ekkardus de Oppauia* duos mansos iuxta *Oppauiam* sitos, quos legittima coempcione sibi acquisierat aput dominum Ottonem de Rathibor et Ekkardum in manus nostras resignauit; quos videlicet mansos nos dilecto nostro venerabili abbati de *Welegrad* domino *Siberto* libera donacione tradidimus ad petitionem eiusdem Erkkardi. Quos mansos memoratus abbas eidem Erkkardo in beneficium concessit et filio eius Jacobo ea condicione subnexa, vt tam ipsi, quam omnes posteri eorum ecclesie Welegradensi annuatim soluant dimidium fertonem auri in perpetuum. Quod si legittimi heredes decesserint, prefati mansi iu possessionem predicte ecclesie deuoluentur. Testes sunt litterati: Folcoldus cancellarius domine regine. Heinricus de Bohorlicz. Thomas. Appollinaris, capellani nostri. Laici: Egkarammus burgrauius de Snohem. Stephanus de Medelowe. Zemzlaus de Morcwycz. Kosmatha. Herrich

de Kenesicz et alii multi. Vt autem hec perpetue firmitatis robur obtineant, presentem paginam conscribi et sigilli nostri inpressione muniri fecimus. Acta sunt ista in Kihowe anno incarnacionis M. CC. XXII. VIII. Kalendas Februarii.

E codice Welehradensi Ms. fol. 47.

CXXV.

Heinricus, qui et Wladislaus, marchio Moraviae, confert camerario consortis suae pro fidelibus servitiis villam Wernhartice in terminis Poloniae sitam. Actum apud Oparíam, 1222.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis amen. Ego Heinricus qui et Wladizlaus dei gracia marchio Morauie. Notum esse volo tam futuris quam presentibus cunctis Christi fidelibus quod ego cuidam procuratori bonorum ac rerum *consortis mee* uidelicet Wernhardo cum consensu fratris mei domini Odachari illustris regis Boemorum nec non et filiorum suorum cum plenitudine quoque gratie mee in presentia baronum meorum villam quandam que *Wernharticj* vocatur *in terminis Polonie* sitam hereditario iure sibi ac pueris suis perpetuo possidendam non sine iure rationis contuli. Idem enim prenotatus procurator bonorum coniugis mee in omnibus et per omnia honorem et profectum inquantum potuit meum siquidem ac terre mee fideliter promouit atque accumulauit. Ne autem pretaxatum et rationabile factum meum quisquam successorum meorum valeat infringere uel quoquo modo cassare inposterum ego nichilominus id ipsum factum meum non solum scripto presenti sigilli mei inpressione signato uerum et testimonio virorum approbatorum atque ueridicorum in quorum presentia acta sunt hec et quorum nomina sequens exprimit subscriptio fulcire ac corroborare non omisi. Hec uero sunt nomina testium. Dominus Rubertus uenerabilis Olomucensis ecclesie episcopus Waltherus eiusdem ecclesie decanus Esau Radozlaus Sifridus Olomucenses canonici. Bawarus cum filio suo Bawaro prouintie Olomucensis camerarius Zawisa burgrauius Olomucensis Boruta cum filio suo Boruta prefectus de Podiwin Vitgo burgrauius

de Gradez Vocho burgrauius de Weweri Liutcho Szudek Rochza castellani de Gradez milites curie Bertherus Burchardus Hwalata Andreas Petrus Szwoysa Peregrinus Wirso capellani curie Burchardus Thomas Cuonradus Benedictus Gregorius. Actum aput Opauiam anno domini Millesimo CC. XXII. Datum autem per manus Apollinaris curie mee protonotarii. Item Fridericus nobilis prouintie Brunnensis Chztibor prefectus de prerowe Stefanus burgrauius de Magdeberc Onso cum fratre Victor.

Ex originali arch. Nicolsburgensis communicatum ab archivario Wenceslides.

CXXVI.

Honorius papa III. ordini Cisterciensium concedit facultatem recipiendi personas liberas de seculo venientes, capellanorum eorum contradictione non obstante. Dt. Laterani VI. Idus Februarii, 1222.

Honorius episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis . . abbati Cisterciensi et vniuersis coabbatibus eius et fratribus sub eodem ordine deo seruientibus salutem et apostolicam benedicciouem. Constituti iuxta verbum prophete, licet in sufficientibus meritis super gentes et regna officii nostri debitum decenter exequimur, cum euellimus euellenda et plantanda plantamus, recta regimus et dirigimus indirecta. Significastis siquidem nobis, quod in quibusdam partibus consuetudo detestabilis inoleuit, uidelicet quod cum aliqui emulantes carismata meliora monasteria uestri ordinis uolunt causa religionis intrare, ut ibi domino famulentur, capellani eorum, donec ab ipsis pecuniam, que mortuarium nuncupatur, extorqueant, prout a parochianis suis decedentibus consueuerunt accipere, illis temere se opponunt. Quare super hoc nostre prouidencie remedium flagitastis; volentes igitur abvsum corruptele huiusmodi abolere, auctoritate uobis presencium indulgemus, ut capellanorum contradiccione huiusmodi non obstante liberas personas ad uos e seculo fugientes libere recipere ualeatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignacionem omnipotentis dei et beatorum petri et pauli apostolorum eius

et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Laterani VI. Idus Februarii. Pontificatus nostri anno sexto.

Ibidem — fol. 109.

CXXVIII.

Honorius papa III. Gregorio de Crescentio, cardinali legato suo in *Boemiam et Moraviam* scribit, ne episcopum Pragensem compellat intrare regnum Boemiae, antequam ei de securitate sua sufficienter cautum fuerit. Datum 11. Februarii, 1222.

Palacky's Reise pag. 23. — e Regesto Honorii III. lib. VI. epist. 226.

CXXIX.

Gregorius de Crescentio, cardinalis legatus, confirmat monasterio Lucensi privilegium Roberti, Olomucensis episcopi, super jure patronatus et decimis. Dt. Pragae apud monasterium Montis Sion III. Nonas Martii, 1222.

Gregorius de Crescentio miseratione diuina sancti Theodori diaconus Cardinalis Apostolice Sedis Legatus. Dilectis in Christo fratribus . . Abbati et Conuentui *de Luca* Salutem in domino. Justis postulantium desideriis dignum est nos facilem prebere assensum. et uota que a iuris tramite non discordant effectu prosequente complere. Eapropter dilecti in domino fratres iustis postulationibus uestris grato concurrentes assensu donationis et confirmationis priuilegium a venerabili patre R(oberto) Olomucensi Episcopo Monasterio uestro pia liberalitate collatum. sicut in ipsius autentico continetur. in quo etiam sigillum Capituli dependebat. uobis confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Cuius tenorem de uerbo ad uerbum presentibus inseri fecimus ad cautelam. qui talis est *„In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Ego Robertus etc. Vide n. CXI.* Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostre confirmationis paginam aliquo modo infringere uel ei ausu temerario contrahire. Si quis autem hoc nostre confirmationis scriptum temere presumpserit uiolare. indignationem

omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius. et sacrosancte Romane ecclesie se nouerit incursurum. Datum Prage apud Monasterium Montis Syon. III. Nonas Martij. Pontificatus domini Honorii III. pape Anno. Sexto.

Ex originali ejusdem monasterii sign. C. 2.

CXXX.

Otakarus, qui et Přemysl, rex Boemiae, ad petitionem Gregorii de Crescentio, cardinalis et legati, omnibus monasteriis et ecclesiasticis personis, eorumque hominibus complures immunitates, jura et exemtiones concedit. Dt. Pragae 10. Martii, 1222.

Originale in archivo capituli Pragensis anno 1220 insignitum; sed indictio X. et aliae circumstantiae praesentem indicant annum. — Excusum apud Ziegelbauer p. 277. — Pelzel Kronyka II. 451.

CXXXI.

Transactio inter monasteria Břewnowiense et Gradicense de circuitu Hranicensi in Moravia sub sigillis Otakari regis, Wladislai marchionis, et Roberti, episcopi Olomucensis. Dt. apud Pragam, 1222.

In nomine domini amen. Ego Dluhomil, abbas Brevnouensis, et totum capitulum meum. Notum facimus omnibus presentem paginam inspecturis, quod cum nos abbatem Bonifacium et capitulum eius de *Gradis* super possessione terminorum et circuitus de *Raingicz*, Olomucensis diocesis, quam possessionem et terminos et circuitum nobis et domui nostre de *Raygrade* de iure debere credere dicebamus, primo per iudices auctoritate domini pape delegatos, Epponem videlicet prepositum Pragensem et suos collegas; deinde per dominum Gregorium, sancti Theodori dyaconum cardinalem, apostolice sedis in Boemia et Morauia legatum traxissemus, etiam tandem per consilium et voluntatem illustris viri *Wladislai*, marchionis Morauie, in cuius potestate predictus circuitus est, et de cuius et antecessorum suorum donacione idem locus ecclesie Dei in elemosinam

peruenit, ad hoc est peruentum: ut abbati Hermanno de Willemoue, et Friderico, magistro hospitalis cruciferorum sancte Marie in Praga committeret idem marchio, quod antequam ad aliquam litigiosam sententiam veniremus, compositio inter nos amicabilis proueniret. Horum itaque mediatorum ordinacione mediante, et consilio multorum aliorum prudentum accedente, qui raciones utriusque partis diligenter attenderunt; ita inter nos est amicabiliter statutum, ut pro querimonia, quam erga abbatem Gradicensem et suum capitulum predictos habebamus, viginti marcas argenti et fertonem ad pondus Pragense a prefato abbate et suo capitulo reciperemus. Quod et fecimus bonum pacis et concordie plurimum amplectentes, et querimonie nostre, quam erga ipsos pro circuitu supradicto habebamus, penitus in perpetuum renunciantes. Neque ab aliquo successorum nostrorum abbatum seu fratrum ecclesie Brewnouensis super possessione de Raingicz abbati uel capitulo de Gradis vel eorum successoribus imposterum lis vel questio moueatur. Presens scriptum sigillo nostro, quod pariter est capituli nostri, eisdem super hoc concessimus roboratum. Insuper sigillum domini nostri illustris regis Boemorum Ottacari, et fratris eius marchionis Morauie Wladislai, et venerabilis Olomucensis episcopi Roberti cum sigillis fratrum et coabbatum nostri, et Premonstratensis ordinum, et aliorum, qui tunc temporis in Praga presentes fuerunt, postulauimus super hoc sibi tradi, que et inferius sunt appensa. Acta sunt hec anno domini Millesimo ducentesimo vigesimo secundo, indictione nona apud Pragam solempniter presentibus et testantibus multis quorum nomina sunt hec de capitulo nostro.

Piter in Thesauro abscondito pag. 142.

CXXXII.

Heinricus, qui et Wladislaus, marchio Moraviae, confirmat monasterio Lucensi emtionem villae Mramotice a nobili viro Waceslao. Actum apud Znoym, 1222.

In nomine Sancte et Indiuidue Trinitatis Amen. Ego Heinricus qui et Wladizlaus. dei gracia marchio Morauie. Notum fore volo tam futuris quam presentibus cunctis Christi fidelibus quod dominus Florianus uenera-

bilis in Christo Pater meus dictus Abbas de claustro *Luka.* vir prouidus honestus nichilominus et discretus. celle quoque sue. sue cure non inmerito commendate fidelis siquidem et sollers procurator. villam quandam que *Bragoliz* uocatur a quodam nobili terre mee nomine Wazezlao in presentia mee Dominationis et meorum baronum pro centum et septuaginta Marcis Argenti hereditario Jure prenotato claustro perpetualiter atque rationabiliter deseruiendam. cum plenitudine et fauore gracie mee. ad laudem Deo et prouentum claustri antefati comparauit. Ne autem tam laudabile et religiosum tam utique pium factum. quisquam posterorum meorum presumat uel possit cassare. uel quomodo infringere inposterum. non solum scripto presenti ueri Sigilli mei inpressione siguati. uerum etiam et prudenti Testimonio meorum Nobilium virorum ueridicorum ad cuius presentiam actum est hoc et quorum nomina sequens exprimit subscriptio. id ipsum pretaxatum factum fulcire et corroborare non omisi. Hec uero sunt Nomina Testium. Prozimirus prefectus de Prawlowe. Emerammus burgrauius de Znoym Pomnen Goworich Sepolt Ekhart cum fratre Hartlibo Heinricus Wilk Welen Branizlav Volricus Bogdanez Castellanj de Znoym. Milites curie mee Petrus pincerna Peregrinus minor dapifer Wilhelmus maior pincerna et alij quam plures. Actum apud Znoym anno Domini Millesimo CC. XX. II. Datum autem per manus Apollinaris curie mee protonotarij.

Ex originali ejusdem monasterii sign. H. 1. cum sigillo illaeso.

CXXXIII.

Přemysl, qui et Otakarus, rex Boemorum, et frater ejus Wladislaus, qui et Heinricus, marchio Moraviae, Hartlebo de Znoym possessionem villae Našeratice confirmant. Dt. Brunae VIII. Kal. Julii, 1222.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Quanto rerum obseruandarum laudabili principio finis debet solidus et perpetuus adunari. tanto super ipsis solidandis hominum recordacio videtur et est uigili litterarum testimonio excitanda ne lapsu temporis per obliuionis caliginem sopiatur accio quam obseruandam in perpetuum posteris constituit solers uigilancia modernorum. Ego *Premizl qui et odackarus* miseracione diuina rex boemorum

nec non frater meus *Wadizlaus qui et Henricus* illustris marchio Morauie vniuersis scripti huius apices inspecturis exhibicione presencium duximus attestandum quoniam dominus Vnko pie recordacionis vir nobilis de Boemia domino Arthlebo de Znoyem genero suo cum filia sua eidem matrimonialiter copulata villam quandam *Nasseratiz* dictam cum omnibus attinenciis vice dotis contulit absolute ita videlicet ut idem Hartlebus cum consorte thori necnon utriusque filii ac filiorum filii succedentesque ipsorum heredes legittimi prenominate ville possessione perpetua gaudeant et tranquilla. Ne quis igitur successorum meorum aut antedicti fratris mei dotem ac donacionem huiscemodi legittimam ac racionabilem inposterum cassare valeat uel presumat. ego ac frater meus prememoratus propter habundantem confirmacionis certitudinem non solum presentem paginam sigillorum nostrorum munimine dignum duximus insigniri verum eciam ipso facto per testes idoneos viros et honestos quorum nomina subscripta sunt cautelam adhibuimus efficacem. *Wladizlaus* et *Waczlaus filii mei.* Saztolow marscalcus. Zauis. Holax. Szuezlaus. Dulhomilus. Radimir. Adalbertus prepositus. Bizzen. Bohuzlaus. Heinricus. alter Bohuzlaus. Peley. Arnoldus. Mathias. Hermannus. Barones Morauie ac milites Boruta. ben de Wetow. Stephanus de Medlow. Petrus de Ruszinow. Ingramus de Znoyem. Houorix. Velen. Pominen. Ekhardus. Heinricus. Lupus. Theodoricus de Knesiz. Grut. Leo de Klobuc. Velen. Wers. Gwalata. Peregrinus. Wlurammus. Acta sunt hec anno dominice incarnacionis M. CC. XXII. Datum Brene per manus Hylarii notarii VIII. Kalendas Julii.

E codicibus Mss. sec. XIV. Olomucensi et Cremsirjensi saepius jam citatis.

CXXXIV.

Robertus, episcopus Olomucensis, ecclesiae in Frišawa a se fundatae, jus parochiale concedit decimasque assignat. 1222.

R(obertus) dei gracia episcopus Olomucensis omnibus presentem paginam inspecturis salutem in domino. Nouerint tam presentes quam futuri quod nos ad peticionem venerabilis abbatis Siberti et tocius conuentus *Welgradensis* ecclesie et insuper ad peticionem incliti Marchionis

morauie *wadizlai* nomine qui fuit fundator monasterii prefati in uilla que uocatur *vrishan* quam ipse cum omni iure suo dederat ecclesie welgradensi perpetuo possidendam ecclesiam quondam fundari permisimus. et ei in ipsius consecracione per nos facta ius parrochiale assignauimus eam certis terminis limitando. Insuper decimas eiusdem uille ei integraliter assignauimus. nullo contradicente ac reclamante cum omnes prouisores et persone eclesiarum adiacencium essent presentes. Vt autem hec limitacio et decimarum assignacio illi eclesie et iuris parrochialis concessio. quia tunc temporis eclesie illius prouincie non erant limitate. firmitatem haberent. Hanc nostre ordinacionis paginam sigillo nostro fecimus muniri. Huius autem rei testes ad hoc uocati et in quorum presencia hec acta sunt. Sunt hii Cvonradus scriba de Brunna. Heinricus plebanus de vrbiz. Heinricus plebanus de borliz. Sifridus plebanus de brawiz. Fridericus plebanus de briwiz. Willehelmus plebanus de moderiz. Orfanus et frater eius. milites. Theodericus iudex de znoim. Anno millesimo ducentesimo uicesimo secundo.

Ex originali ejusdem monasterii sign. J. 2. — Item apographum in codice Welehradensi Ms. fol. 39.

CXXXV.

Robertus, episcopus Olomucensis, ecclesiae de Přjkluky (Prillach) jus parochiale cum decimis villae Masowice concedit. 1222.

R(obertus) dei gracia Olomvncensis ecclesie episcopus omnibus ad quos iste littere deuenerint salutem in domino. Veneranda consuenit antiquitas comandare litterarum monimentis que uoluit perpetuo durare. et memorie firmam habere tenacitatem. Hac igitur racione moti uolumus innotescere tam presentibus quam futuris. quod nos in uilla que vocatur *Prikluk* ecclesiam quondam permisimus fundari. quam et consecrauimus. et eciam limitauimus. ius parrochiale ei concedentes in iure baptizandi et sepeliendi et in omnibus iuribus que conueniunt ecclesie parrochiali uillam de *Massevviz* infra terminos eiusdem ecclesie includentes et eam iure parrochiali ecclesie de Prikluk subicientes. in decimis et omnibus aliis

rebus ad ecclesiam baptismalem pertinentibus non obstante aliqua reclamacione inposterum ecclesie de Podevvin. que tempore consecracionis ecclesie de Prikluk nulla fuit. quia ipsa ecclesia de Podiwin cum omni possessione adiacenti precipue et inmedietate spectat ad ecclesiam Olomuncensem. licet ei per potestatem laicalem uiolencia sit illata. et ecclesia de Podewin numquam per nos nec per antecessores nostros fuerit limitata. Vt autem hec rata et firma permaneant. presentem paginam sigilli nostri munimine fecimus communiri. Huius autem rei testes ad hoc uocati et in quorum presencia hec acta sunt. Sunt hii Herbordus plebanus de podevvin. Adolfus plebanus de gerenowicz. Heinricus plebanus de vrbiz. Albero plebanus de Sheghat. Magister Gregorius. Wido iudex de poratiz. Gotefridus iudex de Podewin. Brestanus et frater eius Wicardus de Sheghat. Adamarus et frater eius Lipertus de Izgruobi. Anno Millesimo ducentesimo uicesimo secundo.

Ex originali ejusdem monasterii sign. E. 2. — Apographum in codice Welehradensi Ms. fol. 20.

CXXXVI.

Robertus, episcopus Olomucensis, attestatur limitationes fundatarum ecclesiarum in Frišawa et Prjkluky una cum concessione juris parochialis eisdem. 1222.

Rvpertus dei gracia episcopus Olomucensis. Omnibus presentem paginam inspecturis inperpetuum. Nouerint tam presentes quam futuri quod nos ecclesie de *vriessan* certos limites inposuimus. et eam secundum quod cautum est in sacris canonibus limitauimus. decernentes ut ipsa uilla iure parrochiali ad eam spectet. decimas omnes adnectentes eidem. necnon sepulturam. et omnia iura spiritualia que ecclesie parrochiali competunt. statuentes eidem illibata conseruari. Eodem iure limitauimus ecclesiam de *Prikluk*. uillam de *Massowiz*. infra terminos eiusdem ecclesie includentes. iure parrochiali eam subicientes eidem. uolentes et statuentes ut habeat ius baptizandi. sepeliendi. et earum rerum tum in decimis tum in aliis que spectant ad ecclesiam baptismalem. non obstante aliqua reclamacione ecclesie

de Podivvin. quia ipsa precipue et immediate spectat ad ecclesiam Olomucensem. licet ei per potestatem laicalem violencia sit illata et ecclesia de Podiwin numquam per nos. nec per antecessores nostros fuerit limitata. Vt autem hec rata et firma permaneant. presentem paginam sigilli nostri munimine fecimus commvniri.

Ex originali ejusdem monasterii sign. E. 2. — Apographum in codice Welehradensi fol. 44.

CXXXVII.

Radoslaus, archidiaconus Olomucensis, monasterio Welehradensi quasdam possessiones in Hošice, in Opavia et in Cladrub confert. 1222.

Quoniam sacre fidei religiosi cultores ipsam fidem consonis operibus informant et semper informare nituntur. inde est quod terrenis non tantum testantur heredibus sed spe eternorum fugitiue possessionis Christum potius eligunt successorem. Eapropter nouerint omnes tam moderni quam futuri temporis presentem paginam inspecturi. quod ego *Radozlaus archidiaconus Ollomucensis* dono desuper accepte caritatis exhilaratus ob meorum indulgentiam delictorum et interminabilis uite perhenne participium. proque meorum salutari remedio carorum partem uille que dicitur Hossizc. quam iure emptionis libere cum omnibus suis possederam prouentibus nullo contradicente aut reclamante ecclesie beate Marie virginis in *willegrat.* que est domus ordinis cisterciensis cum omnibus attinentiis suis sollempniter contuli perpetua pace possidendam. Et quoniam prefati ordinis intemerata dei genitrix causa tocius boni. spe melior et meta spei patrona prepotens esse dinoscitur. sub cuius umbra fratres dicte religionis dilatantur et uiuunt in gentibus. accessit et placuit quod gratia deuotionis amplioris edocuit. scilicet partem usuum fructuariorum facte donationis hoc est. X. marcas argenti in quasdam refectiones fratrum dicti monasterii tempore determinato hoc est in assumptione. natiuitate. purificatione. annuntiatione. ipsius beate virginis pie ordinare. Octo marcis michi annuatim de dictis reditibus mancipatis. nam decem et octo marce de memorata uilla ex annuo censu proueniunt. Ortus quoque et prata cum uiuariis que in donatione similiter

emancipaui. omni tempore quo uanitati cum ceteris creaturis sum subiectus mee seruient necessitati. Post vocationem autem meam de medio omnia emancipata cum omnibus mobilibus et immobilibus prefatis fratribus domus Willegradensis feliciter possidenda refundentur. Preterea huic sollempni donationi addidi terras quas habui in cladurup que est uilla in Ollomucensi prouintia sita. et tria molendina in oppauia ortum domum unam et mansos. quos habui ibidem. hac fideli conditione ut in die palmarum in quo mee depositionis diem anniuersarium pia recordatione a dictis fratribus celebrari postulaui. et in octaua pentecostes ob honorem et reuerentiam summe trinitatis et insequenti die in memoriam omnium fidelium defunctorum. exinde toti conuentui recreationes solito meliores procurentur. Id est simila pisces habunde. et uinum sicut in fratrum minutione ministretur. Omnes autem supradicti reditus ad domus redibunt in restaurationem. ita sane. quod mee deuotionis affectus suo non priuetur effectu quo ad fratrum consolationem. Vt autem res acta robur firmitatis obtineat nec ulla ignorantia possit oblitterari. presens scriptum sigillo capituli muniri. et inter fratres ex utraque parte placuit recitari. meum quoque sigillum huic pagine affixi. ut amplioris testimonii ueritate. cunctis habundantius reueletur. Placuit etiam ad rei geste corroborationem prescripti pacti uiolatores pena pecuniaria. v. marcis auri multari nullo medio interueniente que cedent in usus magistri operis ad fabricas dicte domus instaurandas et restaurandas.

Ex originali duplo ejusdem monast. cum anno 1222. in dorso insignito; sign. G. 54 et 126. — Apographum in codice Welehradensi fol. 79.

CXXXVIII.

Přemysl, rex Boemorum, jura supanorum provinciae Znoymensis constituit. „Testes, qui huic paginae subscripserunt erant: *Wenceslaus et Wladislaus, filii regis. Robertus* episcopus Olomucensis. Eppo prepositus Pragensis. Bohuta prepositus Boleslauiensis. Engelhardus prothonotarius regis. Benes castellanus Budissinensis. Budiwoy castellanus Glacensis. Diwissius castellanus Prachinensis. Bogus castellanus Netolicensis. Actum Znoyme anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo secundo,

presentibus rege, regina et omnibus testibus. Datum per manus Hermanni regni Bohemie notarii."

E fragmento in copia simplici. — Quum autem haec tabula jurium cum originali diplomate ejusdem regis anno 1229. supanorum provinciae Brunensis jura stabiliente ad verbum concordet, lectorem benivolum ad ipsum autographum diploma relegavi.

CXXXIX.

Otakarus rex, et Constantia regina Boemiae, conferunt Rayhradensi monasterio teloneum in Kunowice, confirmantque possessionem vineae in Miroslaus (Mislice). Actum in Bruna, 1222.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Otacarus qui et Premizl dei gratia Bohemorum rex, et Constantia regina. Ne ea, que a nobis pie sunt disposita et prudenter, processu temporis per quemquam possint hominum immutari, sed perpetuo stabilia permaneant atque firma: Notum facimus uniuersis tam presentibus quam futuris, quod theloneum illud, quod prius in *Brodskih* ab antiquo soluebatur, cuius thelonei conuentus de *Raygrad* recipiebat decimam septimanam, propter nostrum maius commodum idem theloneum in *Cunouic* transtulimus statuentes et ab omnibus facientes hoc perpetuo inuiolabiliter obseruari, ut prefatus conuentus de Raygrad per suum procuratorem in Cunouic absque omni contradictione semper eiusdem thelonei recipiat decimam septimanam, nec in eodem theloneo ipsum quisquam audeat aggrauare. Item confirmamus eidem conuentui de Raygrad decimam tinam de vinea, quam eis dedit frater noster *bone memorie Wladizlaus*, que vinea in *Mirozlaus* vulgariter appellatur; statuentes ut eadem decima de supradicta vinea suprascripto conuentui expleatur integre atque plene. Ad huius itaque nostre donationis et confirmationis perpetuam memoriam et inuiolabile firmamentum presentem paginam conscribi fecimus, et sigillorum nostrorum munimine roborari. Adhibito testimonio nostre curie honestorum hominum et proborum, quorum nomina subsequuntur. Robertus episcopus Olomucensis. Bauarus camerarius Olomucensis. Ratiborius iudex Brunensis. Leo camerarius Brunensis. Stephanus de Medlow. Ditricus

villicus Brunensis. Sdizlaus prepositus Brunensis. Cunradus scriba Brunensis, et alii quam plures. Actum in Bruna anno incarnationis dominice M. CC. XXII. Indictione X. Datum per manum Hermanni regis notarii.

Ex analectis Professoris Wolny.

CXL.

Otakarus, rex Boemiae, fratribus hospitaliss. Mariae domus Teutonicorum omnia jura et omnes possessiones, quas ipsis quondam Conradus dux, et Wladislaus marchio contulerant, confirmat. Dt. Olomuc VII. Kalendas Septembris, 1222.

In nomine sancte trinitatis, et indiuidue vnitatis. Ego Ottakarus rex Boemie tertius, *Hermanno magistro hospitalis sancte Marie domus thevtunicorum Hierosolymitani,* eiusque fratribus tam presentibus, qvam futuris in perpetuum. Cum regie magnificentie et munificentie beneficia ad omnes generaliter debeant extendi, nostra tamen consulte decreuit serenitas, eos tueri potentius, et fouere clementius, qui diuinis insudantes obsequiis non solum res suas pro terre sancte defensione largiter expendunt, sed etiam corpora sua animo imperturbato et affectu pregrauissimis periculis exponunt deuotius. Nouerit itaque tam presens etas, quam futura posteritas, quod nos domus et possessiones et fratres hospitalis sancte Marie domus thevtunicorum Hierosolymitani, et insuper omnes in eorum possessionibus habitantes, constitutos in regno nostro, tam in Bohemia quam in Morauia, seu in aliis prouinciis regno nostro attinentibus sub nostre magnitudinis recepimus protectionem, et omnes possessiones cum omnibus appendiciis suis, quas uel nos eidem domui contulimus, vel inclyte memorie dux *Conradus Bohemie,* uel *pie recordationis frater noster Wladislaus marchio Morauie,* uel etiam alii nobiles viri, uel ingenue matrone, siue etiam alii Christi fideles minoris facultatis et potentie prefate domui contulerunt eidem libere et pacifice possidendas, nostra regia auctoritate confirmauimus. Emancipauimus etiam omnia predia eis collata, et conferenda cum eorum colonis et inquilinis, et omni familia, siue sint liberi, siue sint serui, ab omni iure ad usus nostros uel nobilium a nobis inbeneficiatorum, uel ceterorum

officialium spectante, uel utilitate secundum morem terre pertinente uel accrescente, hoc statuentes, ne quis prenominatam domum aliquomodo super his iusticiis, uel consuetudinibus, uel commoditatibus, que usui regni uel nobilium uel ceterorum competere uidebantur, audeant impetere, uel grauari, uel ea, que a nobis ei concessa sunt, in irritum reuocare; ubi autem eos ab omni iure generaliter absoluimus, non est necesse, ut de aliqua iuris specie aliquis questionem debeat mouere. Addicimus etiam, quod firmiter sanximus, ipsos et eorum homines per telonea transeuntes nullum dare pessagium pro se ipsis uel aliquibus rebus ad domum eorum spectantibus, nisi sint mercatores eorum publici, qui pro commodis propiis ampliandis laborant, quos a teloneis non absoluimus. Si vero contigerit, quod aliquis occidatur ab hominibus eorum, et amici occisi uelint occisores ab homicidio impetere, in curia nostra respondeant, res uero occisorum in prouidentia fratrum pérmaneant. Si autem fur, uel predo manifeste in ipso actu deprehenditur, bona furis fratribus remaneant, et ipsi secundum consuetudinem terre a nostris iudicibus puniantur. Si uero Narok, quod latine uocatur accusatio, furum uel nocturnorum predonum super eorum homines euenerit, iudicio astent curie secundum morem terre in nullo nostre celsitudini nec nostris quoad aliquam utilitatem responsuri, sed omnis culpe satisfactio cedat in usus fratrum, et tamen homines, si rei fuerint comprobati, aduersariis satisfaciant. Si uero homo accusatus per honestos uicinos suos fide eorum requisita fuerit absolutus, curie non respondeat. Et hoc diligenter notandum, quod ubi eos ab omni utilitate nostra et nostrorum absoluimus, nihil iuris quoad hoc nostre magnitudinis uel nostrorum commoditatibus retinemus. Nullus etiam cogat fratres, aut homines eorum ad aliquod seruile officium, uel pro castrorum edificatione, uel pro aliquo seruitio tali, quod eis sit ad impedimentum libertatis sue, quia plenam et integram in omnibus possessionibus suis eis concessimus libertatem, ita ut ipsi de hominibus suis disponant omnia ad profectum domus. Cum uero celebris memorie tam imperatores magnifici, quam alii gloriosissimi reges prescriptam domum amplissimis ditauerunt possessionibus, et muniuerunt priuilegiis, nos, etsi eis non equamur diuitiis, tamen pro posse nostro volumus eis beneficiis parificari meritis, ideoque indulsimus eis, quod siue maiores, siue minores in regno nostro constituti proprias possessiones eidem domui

contulerint, uel ipsi aliquas iustis conditionibus, uel debitis modis acquisierint, ab omni prefato iure ad usus nostros uel nostrorum accedente, secundum quod superius est determinatum, easdem possessiones esse liberas et absolutas, ut per hanc indulte libertatis concessionem et utilitatis nobis collationem nostre clementie apud deum, et ipsius matrem nostra merita sint favorabiliora et excellentiora. Ut autem hec nostre constitutionis pagina tam serenissimis temporibus nostris quam futuris robur obtineat et firmitatem, eam nostre sublimitatis bulla aurea fecimus insigniri, districte sanctientes, ut quicumque has libertates uel indulgentias temere transgressi fuerint, uel ea, que a nobis, uel predecessoribus nostris, uel a fratre nostro, uel ab aliis fidelibus viris eidem domui sunt collata, violenter inuaserit, uel abstulerit, pena decem marcarum auri in nostram cameram soluendarum puniantur, ita tamen, ut prius lesis satisfaciant. Huius rei testes sunt: Robertus Olomucensis episcopus. abbas Gradicensis. abbas Welegradensis. Bauarus camerarius. Zauissa castellanus Olomucensis. Chistiborius castellanus Prerouensis. Sulizlaus dapifer. Veliz iudex. Zpitata. Vaneta magistri uenatorum. Jaross. Boruta castellanus de Podiuin et filius Boruta. Witigo et frater eius Henricus. Groznata subcamerarius regis. Bohuslaus filius Wokonis. Stephanus de Medilou. Gimmeramus de Bozkowicz. Ones castellanus Olomucensis. Luder et fratres eius. Neplach. Gerhardus de Brazlau. Adlart filius Buzonis. Boyna de Wistriczi. Prosmir castellanus Znoymensis. Erhardus et frater eius. Hartlibus castellanus Znoymensis. Petrus et frater eius swoysse. Ulricus filius Juric. Holach subpincerna regis. Actum Olomuc anno incarnationis dominice millesimo ducentesimo vigesimo secundo. VII. Kalendas Septembris, indictione X. Datum per manus Hermanni magistri regis notarii.

E copia simplici sec. XVII. — Originale in archivo Freudenthalensi asservatur.

CXLI.

Honorius papa III. magistro et fratribus hospitalis S. Mariae domus Teutonicorum praecedens diploma confirmat. Dt. 19. Decembris, 1222.

Palacky's Reise pag. 23. — e Regesto Honorii III. lib. VII. epist. 80.

CXLII.

Honorius papa .. prohibet bulla .. fratribus hospitalis sancte Marie Teutonicorum Jerosolymitanorum, „ne quis post professionem ordinis vestri vobis regulariter factam, habitumque receptum ad seculum vel mundi militiam aut seculares nuptias licentiam habeatis transeundi. Nullus quoque maioris siue minoris religionis obtentu sine magistri sui licentia presumat ad alium ordinem transuolare sub pena indignationis beatorum martyrum et sanctorum Petri et Pauli. Datum Laterani III. Nonas Februarii. Pontificatus nostri anno VII." (1223.)

Ex analectis Professoris Wolny. — Originale in archivo ordinis ejusdem Freudenthalii servatur.

CXLIII.

Otakarus, qui et Přemysl, rex Boemiae et dux Moraviae, cum conjuge sua Constantia monialibus ad s. Petrum Olomucii possessiones quasdam in Bukowan et Tynice conferunt, et exemtionem villae Klopotowice confirmant. Act. in Brunna VI. Nonas Martii, 1223.

In nomine sancte trinitatis et indiuidue unitatis. Notum sit uniuersis christiane religionis professoribus, tam modernis quam futuris quod ego *Ottacarus qui et Premizl* dei nutu tertius *rex Boemie et dux morauie* cum coniuge nostra Constantia regina Boemie pro remedio peccatorum nostrorum deuotis *virginibus circa ecclesiam Beati Petri in Olomuchz* Christo famulantibus, in villa que vvlgo dicitur *Bukowan.* tres terras ad *Thynech* pertinentes et tres que ibidem ad Olomucense castrum pertinebant. hereditario iure possidendas contulimus. Pauperes quoque earum a reedificatione castrorum et ab omnibus tributorum vectigalium ceterorumque huiusmodi exactionibus liberali munificentia absoluimus. Ceterum sicut *uenerabilis recordationis Marchio Morauie frater noster Wladizsslaus predecessor noster* villam que dicitur *Klopothouichi* quam prefate uirgines legitime possidebant pro remedio anime sue ab omni exactione Olomucensis castri omniumque eiusdem castri beneficorum concessit esse liberam. ita et nos eandem ipsius concessionem approbantes. villam iam dictam prenominatis

virginibus sub eadem libertate concessimus libere et pacifice in perpetuum possidendam. Vt autem hec ratam habeant et inconcussam firmitatem sigilli nostri impressione presens scriptum muniuimus. Actum in Brunna. VI. nonas Marcii. Anno gracie Millesimo ducentesimo vigesimo tertio. Testes sunt hii. Bawarus Olomucensis Camerarius. Golach Olomucensis Burgrauius. Boruta cum filio suo Boruth. Zavissa cum fratre suo Cstibor. Stephanus Burgrauius in deuichki. Semizsslaus cum fratre suo Ninech. Datum per manum Wyperti curie nostre prothonotarii.

Ex originali in archivo capituli Olomucensis; sigillum attritum.

CXLIV.

Premysl, rex Boemorum et dux Moravorum, cum conjuge sua Constantia eisdem monialibus sex terras in Bukowan et macellum unum Olomucii cum exemtione hominum earumdem conferunt. S. d.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Cum in sancta deuotione in Christo pie uitam ducentibus religiosam quemlibet christianum sit necesse orationum muniri suffragiis. iustum profecto est quatinus ipsorum inopiam nostram putantes ex eis que nobis ex largitate donationis affluunt diuine eorum suppleamus misericorditer defectum. Nouerint itaque tam presentes quam futuri christiane professionis filii quod Ego *Premizl* dei nutu tercius *rex boemorum et dux morauorum* pro remedio peccatorum meorum nec non et predecessorum nostrorum cum coniuge mea *Constancia* boemorum regina deuotis uirginibus circa sancti Petri ecclesiam in *Olomuch* Christo famulantibus. tres terras ad tynech spectantes in villa *Bukowan* dicta et quasdam ad Olomucense castrum pertinentes. iure possidendas hereditario in perpetuum contulimus. addentes eis insuper carnificem unum in ciuitate Olomuch. in subsidium hospitum ad ipsas aduenientium. Pauperes uero earum a reedificatione castrorum et ab omnibus tributorum seu vectigalium ceterorumque huiusmodi exactionibus liberali munificencia absoluimus. Vt autem hoc nostre collationis donum robur habeat firmitatis ac deinceps temporum processu ratum teneatur. venerabilem Olomucensem episcopum Robertum perpetuo anathemate confirmare rogauimus. scriptique presentis

tenore et sigilli nostri regalis inpressione simul et nobilium nostrorum qui presentes tunc aderant attestacione ceterorumque testium adnotacione fecimus roborari. Huius autem rei testes sunt: Jarozlaw. Slawek. Cyrnin. Arnusth. Wilam. Predbor Hebki. Boguzlaw Odolenowich. Petrus rozss. Sdizlawek Grutouich. Blud. Doben. Pribizlaw. Paulik Sobehyrd. Swezlau. Sulizlaw. Jacobus. Hinricus. Luder. Hren. Jan. Nepplah. Boruth. Borutha.

Ex originali in archivo capituli Olomucensis. — Tenor diplomatis inter annos 1207 — 1209. pertinere videtur; ast quum diploma ipsum cum praecedenti plene cohaereat, hic demum est insertum.

CXLV.

Otakarus, qui et Přemysl, rex Boemiae et Moraviae, confirmat jura et possessiones a fratre suo Wladislao, marchione Moraviae, civibus de Vnčow (Nova civitate) concessas, indulgetque jus Magdeburgense. Acta in Brunna, 1223.

C†. In nomine patris. et filii. et spiritus sancti. amen. Quoniam ea que pie ac laudabiliter a predecessoribus ordinata dinoscuntur esse. uel rite concessa a regia munificentia immutari debent aut . . . . sed conseruari potius et augeri. ideo ego *Othakarus qui et Premizl* dei gratia rex Bohemorum cum meis liberis notum facimus uniuersis tam presentibus quam futuris quod nos idem ius et eandem per omnia libertatem quam frater noster *Wadizlaus pie memorie quondam marchio Morauie* concessit dilectis ciuibus nostris de *vnisov* que est noua uilla in eodem oppido uel extra oppidum eandem ipsis regia clementia duximus liberaliter concedendam et in scripto autentico sollempniter redigendam. Videlicet ut quelibet area in predicto oppido siue parua siue magna sex denarios et quilibet mansus terre arabilis fertonem argenti et tres mensuras annone unam scilicet de tritico. alteram de siligine tertiam de auena. singulis annis in festo sancti Martini persoluere teneantur. Item siluam quam acceperunt exstirpandam ad XXX annos de quibus iam decem preterierunt. eisdem concedimus esse liberam prout quilibet eorum poterit exstirpare. Item terminos circuitus ipsorum tam in siluis quam in campis et pascuis a predicto fratre nostro marchione sibi iuste primitvs deputatos. liberos eis ac pacificos

auctoritate regia precipimus conseruari. Item omnes culpas secundum quod hactenus inter se et apud ipsos iudicarunt fratre nostro concedente concedimus ipsis secundum suas consuetudines iudicare. nisi fuerit grauis et magna culpa que coram nobis aut nostris merito debeat uentilari. Item in summa idem ius Meidburgense et easdem consuetudines. quas habent ciues nostri de froudental eisdem misericorditer uolumvs indulgere. Ad hec uillicationem seu aduocatiam quam prefatus frater noster Theoderico aduocato et eius heredibus dignoscitur contulisse. ipsi Theoderico et suis heredibus sicut collata est in pace cupimus possidere. Vt autem hec concessio nostra stabilis habeatur. et rata. presenti pagina eandem et sigillorum nostrorum munimine roboramus. rogantes uenerabilem patrem Ruobertum Olomucensem episcopum qui et presens fuit ut ad maiorem huius concessionis firmitatem suum sigillum apponeret. quod et fecit. Acta sunt hec sollempniter in Brunna. Anno dominice incarnationis Millesimo. CC. XXIII. Indictione. XI. per manum Wigberti notarii nostri. presentibus multis testibus quorum nomina sunt hec: Zdizlaus prepositus sancti Petri in Brvnna. Conradus scriba in Brvnna. Stephanus de medlow. Henricus filius victonis et frater eius Victo iunior. Diuis. Zuatozlaus. Holasc. Coiata. Zemislaus. castellani Olomucenses. Bawarus. camerarius Olomucensis. Zauisse. Ztibor. Welis iudex olomucensis. Zpitata. Petrus de Loziz. et frater eius Nicolaus.

Ex originali in curia ejusdem civitatis cum duobus sigillis bene servatis; quorum primum est equestre cum insigni in scuto leonis bicaudati cum circumscriptione: „† Premizel dei gracia rex Bohemie et Moravie;" alterum est sigillum Roberti, episcopi Olomucensis.

CXLVI.

Constantia, regina Boemorum et ducissa Moravorum, confert civitati suae Bisence vineas suas ibidem. Dt. in Hodonjn (Göding) mense Martio, 1223.

C(onstantia) dei gracia regina *Bohemorum et ducissa Morauorum.* Notum facimus vniuersis tam presentibus quam futuris. quod volentes ciues nostros dilectos de *Bysinze* in prouincia Brecizlauensi. quam a carissimo

marito nostro gubernandam accepimus cum omnibus suis pertinentiis et redditibus post incursum malignorum et ignis voraginem. quo magna pars eorum ciuitatis consumta esse dinoscitur. pristinum in statum ymmo iuxta posse in commodiorem constituere et euehere regie compassionis intuitu ipsis uinearum montes quos plantauimus ipsi ciuitati adiacentes contulimus in perpetuum possidendos. relaxantes omnes decimas que nobis competere poterint exinde. exceptis tantummodo decimis vinearum quas monialibus ad sanctum Petrum in Olomuc et monasterio in Gradisch hactenus persoluimus quas etiam in futurum soluent prefati ciues de iisdem montibus. Et ut hec nostre benignitatis donatio robur in perpetuum valiturum obtineat carissimus maritus noster dominus *Otakarus qui et Premizl dei gracia rex Bohemorum et dux Morauorum.* sigilli quoque sui munimine hanc nostram paginam roborauit. Actum in Godinge mense Martio anno gracie Millesimo ducentesimo vigesimo tertio coram testibus subnotatis. quorum sunt hec nomina: Bawarus Olomucensis camerarius. Stephanus de Medloue. Cstibor castellanus Prerouensis. Ratiborius iudex Brunensis. Cunradus scriba Brunensis. Onso burgrauius de Podiuin et alii quam plures. Datum ibidem per manus Jaros capellani nostri.

E codice Tischnowicensi Ms. sec. XIV.

CXLVII.

Premysl, qui et Otakarus, rex Boemorum et dux Moravorum, confirmat civibus de Bisence privilegium Wladislai, marchionis Moraviae, ab anno 1214., *et concedit easdem libertates, quibus civitas Breclaw utitur. Dt. in Hodonjn mense Martio,* 1223.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. amen. Prouide ac laudabiliter per predecessorum instituta et ordinata inconuulsa quoque conseruare et tueri regie sane est maiestatis. Hinc est quod ego *Ottakarus qui et Premizl dei gratia rex Bohemorum et dux Morauorum.* innotescere cupio omnibus tam presentibus quam successuris in Christo. qualiter ciues nostri dilecti de *Bisinze* accedentes ad mee serenitatis presentiam in Godinge humiliter supplicarunt. quatinus ipsis priuilegium bone et pie memorie dilecti

fratris nostri marchionis Morauie nomine *Wladjzlay.* quod temporis et ignis iniuria non modice lesum extitit innouarem et fauorabiliter confirmarem. cuius videlicet tenor in hec uerba scriptus erat: *In nomine domini amen. Ego Henricus etc. anno* **1214.** *(Vide n. LXIV.)* — Videntes itaque qualiter prefati ciues malignorum incursu et ignis uoragine ad magnam egestatis pressuram sint delapsi ipsis prefati priuilegii tenorem regia auctoritate confirmantes in restaurum ciuitatis sue prouentus telonei nostri ibidem in Bisince per decennii curriculum concedimus benigne. et indulgemus ut omni iure et libertate gaudeant que ciuitati *Brecizlaue* sunt concessa. Actum et datum mense marcio in Godinge anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo tertio. Ad maiorem rei cautelam ego Otakarus et domina Constantia regina Bohemorum presentem paginam impressione nostrorum sigillorum muniuimus coram testibus. quorum sunt hec nomina: Bawarus Olomucensis camerarius. Stephanus de Medloue. Cstibor castellanus de preroue. Ratiborius iudex Brunensis. Cunradus scriba Brunensis. Onso burgrauius de Podiuin et alii quam plures. Datum per manus Jarosii capellani domine regine.

Ex eodem Tischnowicensi codice Ms.

CXLVIII.

Přemysl, Boemiae rex et marchio Moraviae, eximit civitatem Břeclav (Lundenburg) a teloneo ad decem continuos annos. Dt. in Hodonin, **1223.**

Premizl dei gracia *Bohemorum rex et marchio Morauie.* omnibus thelonearіis per *regnum nostrum Bohemie et Morauie.* constitutis notum et mandatum esse uolumus. quod nos ad instantem intercessionem karissime coniugis nostre *Constancie.* ciuibus ciuitatis ipsius que dicitur *Brecizlaua.* site in terminis Austrie hanc concessimus graciose libertatem. ut sint per continuos decem annos ab omni tributorum et vectigalium exactione liberi et exempti et telonea per terras prefatas libere transeant. quatinus sic ciuitatis sue melioratiouem nos omnimoda liberalitate promouere sentiant. Datum in Hodonin anno gracie MCCXXIII.

Ex eodem Tischnowicensi codice Ms.

CXLIX.

*urentius, episcopus Wratislaviensis, monasterio in Rybnjk decimas plu-
rium pagorum in castellatura Těšjnensi confert, aliasque confirmat.
Act. Wratislaviae VIII. Kal. Junii,* 1223.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Nos Laurentius miseratione
ina Wratislauiensis episcopus notum facimus presentibus et futuris quod
n communi consensu capituli Wratislauiensis ad honorem dei et ad
tentationem sanctimonialium ecclesie s. Saluatoris in Ribnik ad peti-
iem reuerendi principis et catholici domini Casimiri illustris ducis de
ol. damus et concedimus ecclesie s. Saluatoris in Ribnik decimas villa-
in castellatura de *Tessin*, que sunt *Bolesouo*, *Vizla Aschrichino*,
maischi Nageruici. Suenchiezi sub urbium Zasere Clechenuge, *Rado-
que Punzo Beleuiezo. Ogrozona Nouoza* in perpetuum habendas. In
imis etiam, que in noualibus desertorum eiusdem castellature succrescere
erunt, cum dicti capituli Wratislauiensis consensu predicte ecclesie
Saluatoris in Ribnik damus et concedimus medietatem. In ambitu autem
Estaudi cum duabus villis adiacentibus Rachou et Lichan duas partes
imarum eidem ecclesie s. Saluatoris in Ribnik cum prefati capituli con-
su damus et concedimus. Decimas vero quas predecessor noster pie
norie D. Zyroslaus quondam Wratislauiensis episcopus ecclesie s. Marie
ginis in Ribnik in ipsius ecclesie consecratione contulit cum sepe dicti
ituli Wratislauiensis assensu, eidem ecclesie confirmamus. Decimas
elicet ipsius ville Ribnik, Smolna, Zalese, Knegnici, quam ultimam villam
epit ecclesia de Ribnik ab ecclesia de sale in concambium pro villa
conis. Et ne in liberis decimis quas sepe dicte ecclesie s. Saluatoris
Ribnik quidam milites de voluntate propria contulerunt, ipsa ecclesia
quo modo defraudari possit, ipsas eidem ecclesie cum supra notato
ensu confirmare dignum ducimus, decimas videlicet Vincentii et Przibi-
, Crisani, et Joannis Bassomi, et Alberti, Alexandri, et Zeteszonis,
centii et fratrum eius Suentossii et Michaëlis, Eustachii, et Wisimiri,
teslai, et Primislai, donationes siquidem ipsius gs. Ducis prenominate
lesie s. Saluatoris in Ribnik liberrime contulit. Huic vestre donationi
memoriale sempiternum dignum duximus interserere, que sunt, ipsum

territorium de Ribnik cum capella et omni iure et iurisdictione et libertate, et utilitate tam castrorum, quam et aliorum prouentuum que in presenti seu in futuro possunt aut poterunt in eodem territorio succrescere: villa de Breze, Smolna, Knegnici, Wroblino, et Susela cum sua circuitione. Bresini, Scacouici, Cravarr, cum suo ambitu, Rachouo et Lichan, cum plena libertate, Grudina, et telonium de Sevor. Ut ergo hec nostra donatio et concessio a nostris successoribus inuiolabiliter obseruetur in posterum ipsa presentis pagine attestatione, et tam sigilli, nostri quam et supra positi capituli appensione roborando confirmamus. Actum in Wratislauia in choro s. Joannis anno ab incarnatione domini M. CC. XXIII. VIII. Kalendas Iunii in presentia Victoris decani, et Ianusii archidiaconi. Egidii scholastici, Radulffi cantoris, Laurentii custodis, Radoslai archidiaconi Olomucensis, Sdizlai archidiaconi de Zauchost. Canonicorum Wratislauiensium Othonis. Lupi, Alberti, Sdizlai, Procasii, Franconis, Lanitini, Simonis, Joannis Boguslai, et aliorum canonicorum Wratislauiensium, comitis Radozlai, iudicis de Oppol, qui in hoc facto nuncius extitit ducis Casimiri, et in presentia multorum aliorum. Supra dictis addidimus quod medietatem noualium in castellatura de Tessin ecclesie s. Joannis in Wratislauia reseruamus et tertiam partem decimarum in Cravarr, Rachov et Lichau, ecclesie vero s. Nicolai *in Tessin* pro cambio quarumdam decimarum superius dictarum. He ultime additiones facte sunt in Smarschov eodem anno VI. kalendas coram predictis testibus, quadraginta ulnas mellis assignamus in Cozle.

Hugo — Annales Praemonstrat. I. CCCCLXXXI.

CL.

Honorius papa III. componit causam super jurisdictione, decimis et restitutione privilegiorum ecclesiae inter Andream, episcopum Pragensem, et Otakarum, regem Boemorum, exortam, praestita regis cautione et juramento. Dt. Signiae X. Kal. Julii (an. VII). 1223.

Originale in archivo capituli Pragensis adservatur.

CLI.

Robertus, episcopus Olomucensis, confirmat monasterio Lucensi emtionem villae Mramotice, decisa super eadem lite vertente. Actum in Znoym, 1223.

In Nomine Domini. Amen. Ego Robertus dei gracia Olomucensis Episcopus. Omnibus fidelibus in perpetuum. Notum facimus omnibus presentibus et futuris. quod cum in presentia nostra apud Zenoim. presentibus etiam Castellanis et aliis multis probis viris. questio uerteretur super quadam emptione ville de *Brawatiz* cum suis appenditiis quam Abbas de *Luca Florianus* legitime ac sollempniter fecit cum Wencezlao et Wlrico Zenoimensibus. nos a predictis Castellanis qui nobis considebant quanto potuimus artius et altius ex parte domini Regis. et nostra. *cum vices ipsius Regis Ottacari tunc temporis gereremus.* in salute ipsorum requisiuimus et eos monuimus diligenter. vt cum ipsi uenditioni illi quam fecerat Vencezclaus ex parte sua. et Wlricus ex parte neptis sue et liberorum eius cum Abbate prefato. de villa supra dicta interfuissent. veritate de controuersia quam inter sese ex ipsa venditione et emptione habebant. publice et sententialiter declararent. Qvi pariter Adiurati responderunt aperte. quod prenominatus Abbas Florianus legitima emptione villam de Brawatiz cum suis pertinentiis ab ipsis Vencezclao scilicet et Wlrico emerat. et quod Wlricus partem pecunie scilicet duas Marchas quas adhuc Abbas Wlrico de hac emptione debebat. in contradictione recipere deberet. Quas cum Abbas sibi in presentia nostra et omnium qui aderant persoluere uolens offerret. ipse primo. secundo. ac tercio monitus ad recipiendum. noluit eandem pecuniam recipere. Vnde statim iudicatum est a Castellanis. quod eadem pecunia sic oblata et a nullo recepta deberet infiscari. hoc est in Cameram Regis transire. Quod et factum est. Vt ergo predictus Abbas sepedictam villam cum omnibus suis appenditiis. et ecclesia Lucensis emptam sic legitime et obtentam in pace deinceps ualeat possidere. et quieta possessione gaudere nos presens scriptum cum sigilli nostri munimine. de hiis que audiuimus et tractauimus. sibi duximus concedendum. Immo et insuper notum fieri uolumus. quod inpresentia domini Marchionis *Vladezlai bone memorie* et eodem consentiente. hec uenditio et emptio

primo sunt facte. sicut testantur littere ipsius autentice. domino Abbati et ecclesie lucensi super hoc per eundem Marchionem concesse. Actum est hoc sollempniter in Zenoim. Anno domini M.CC.XXIII. presentibus multis testibus. quorum nomina sunt hec. Lucas prior lucensis. Heinricus Camerarius lucensis. Nicolaus Capellanus Lucensis. Magister Gregorius Canonicus Olomucensis. Hesso et Ambrosius sacerdotes Capellani *domine Helwidis.* Milites laici de Castro Zenoimensi. Engramus Burgrauius. Sebodo. Pomeninus. Houoriz. Lupus. Eghardus. Hartlievus. Bohdantius. Rudgerus. Ortuinus. Theodericus villicus Brunnensis. Streicto villicus Zenoimensis.

Ex originali ejusdem monasterii sign. H. 2.

CLII.

Honorius papa III. regem Boemiae rogat et hortatur, ut possessiones quasdam ecclesie Wratislaviensis, in quibus aurifodinae consistebant, a clarae memoriae marchione Moraviae per violentiam detentas, eidem ecclesiae restituat. Dt. Laterani VI. Kal. Februarii, 1224.

Honorius episcopus seruus seruorum dei. . . Illustri regi Boemie salutem et apostolicam benedictionem. Cum venerabili fratre nostro . . Wratislauiensi episcopo accepimus intimante, quod clare memorie. . . Marchio Morauiensis possessiones quasdam, ecclesie sue, in quibus aurifodine consistunt, per violentiam detinebat, unde nos Marchionem duximus rogandam, eundem monuimus et exhortati sumus in domino, ut possessiones ipsas cum perceptis ex iis fructibus ecclesie restitueret memorate, ita quod omnipotentem dominum, quem male detinendo possessiones easdem offenderat, ex ipsarum sibi valeret restitutione placare, ac nos deuotionem ipsius commendare possemus, dantes nihilominus venerabili fratri nostro .. Cracouiensi episcopo et dilectis filiis . . abbati de Andreow, et J. scholastico Luciocensi Cracouiensis et Gnesnensis diocesis nostris literis in mandatis, ut si prefatus Marchio, quod ipsum fueramus hortati, non duceret ad implendum, ipsi cum ad restituendas possessiones easdem per censuram ecclesiasticam appellatione remota cogerent iustitia mediante. Sed dicto Marchione ante decisionem negotii memorati viam uniuerse carnis ingresso,

ecclesia pretaxata possessiones per eos recuperare non potuit antedictas. Cum igitur, sicut nostris est auribus intimatum, ad manus tuas tam possessiones iam dicte, quam omnia bona marchionis prefati deuenisse dicantur, Serenitatem tuam rogamus, monemus attentius et hortamur, quatenus possessiones ipsas cum fructibus perceptis ex eis ob reuerentiam beati Petri et nostram episcopo et ecclesie restituas supradictis, preces nostras taliter admissurus, quod dictus episcopus eas sibi et ecclesie sue fructuosas sentiat per effectum, et nos excellentiam regiam propter hoc non immerito commendare possimus. Datum Laterani VI. Kalendas Februarii. Pontificatus nostri anno octauo.

E Regesto Honorii III. anni VIII. epist. 226. in tabulariis Vaticanis.

CLIII.

Otakarus, qui et Přemysl, rex Boemorum, volens civitatem Opaviam ampliare, eandem juribus et possessionibus dotat. Dt. in Huljn, 1224.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Ottacarus, qui et Premisl, dei gracia Boemorum rex. Contingit plerumque, donationes legitimas factaque hominum celebrata sollempniter immutari, nisi testimonio proborum et sigillatis litteris roborentur; uiuit enim littera et actio littere commendata. Notum itaque facimus vniuersis tam presentibus quam futuris, quod nos uolentes nostram ciuitatem, *Oppauiam* nomine, ampliare diuitiis et honore pariter et decore, ut et per hoc nostra atque nostre prolis et eius successorum utilitas augeatur, eiusdem ciuitatis habitatoribus tam modernis quam futuris quoddam ius et quedam bona dedimus, tam nostra propria quam commutata, et quedam etiam, que ad castrum nostrum, *Gradec* nomine, pertinebant, dedimus perpetuo pacifice possidenda, ut in presenti pagina seriatim et plenius continetur. Inprimis statuimus, et ab omnibus uolumus inuiolabiliter obseruari, quod a fossato prefate ciuitatis infra unum milliare taberne nulle prorsus fiant, sed omnes penitus deponantur, exceptis illis, que sunt in dotibus ecclesiarum; et quod ciuis Oppauiensis in Lubschicz teloniun non persoluat, et tunc etiam non soluat, cum uinum ducit in Poloniam ad uendendum. Sua quoque bona, secundum quod ipse possidet,

dummodo sibi placeat, sine impedimento aliquo uendat libere, cuicumque uelit. Preterea damus antedicte ciuitati nostram propriam uillam, nomine *andreouic,* cum omnibus suis attinentiis, et aliam uillam Lutconis, nomine *Lubomirici,* cum suis omnibus attinentiis, quam commutauimus cum alia uilla, nomine *Crauar.* Item aliam uillam, que fuit filii Petri, cum suis omnibus attinentiis, que in vulgari *Zlauicowawes* nominatur. Et ab hac parte aque, Hosnic nomine, ea bona, que ad nostrum castrum Gradec, uidelicet cum omnibus suis attinentiis pertinebant, scilicet Napsdicari et Drahul. Ad hec bona Prosimiri venatoris, que commutauimus cum dimidia uilla, nomine *Lechsdorff,* concedimus et donamus sine impedimento aliquo in perpetuum pacifice possidenda. Ad huius itaque nostre donationis et confirmationis perpetuam memoriam et inuiolabile firmamentum presens priuilegium conscribi fecimus, et nostri atque filiorum nostrorum sigilli munimine roborari, statuentes, ne liceat cuiquam hominum, hoc tam sollempne nostrum factum immutare, uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem nostrorum nobilium attemptauerit immutare, C marcas auri pro pena regali nostre camere componat. Huius rei testes sunt: Rupertus, episcopus Olomucensis. Arnoldus, prepositus Wissegradensis. Bawarus, camerarius Olomucensis. Zauisa et frater eius Stiborius. Henricus, filius Wittconis, et frater eius Witco. Bohuzlaus, filius Zlauconis. Coiata, filius Grabise. Witco, castellanus de Gradec. Stephanus de Medlow. Holach, castellanus Olomucensis. Zemislaus. Onso, et frater eius Victor. Woco, filius Borut. Zlatoslaus, subpincerna. Zwoyse, subdapifer. Petrus, filius Bohute, et frater eius Nicolaus. Zuezlaus, camerarius de Brumow. Datum in Hulin per manum Hermanni notarii. Anno incarnationis dominice Millesimo ducentesimo uigesimo quarto. Indictione XIII.

E codice privilegiorum Opaviensium Ms. in museo ibidem. — Originale in curia Opaviae frustra quaesivi, licet consignatum inter originalia. — Excusum apud Tschoppe et Stenzel.

CLIV.

norius papa III. confirmat monasterio Lucensi privilegium Roberti, piscopi Olomucensis, super jure patronatus et decimis. Dt. Laterani XIII. Kalendas Junii, 1224.

Honorius episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis . . . abbati conuentui Lucensi salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis itur quod iustum est et honestum tam uigor equitatis quam ordo exigit onis ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. ie tenor litterarum venerabilis fratris nostri . . Olomucensis episcopi. eris dilecti filii nostri G. sancti Theodori diaconi cardinalis tunc legati stolice sedis insertus nobis exhibitus continebat. quod cum ex laicali cessione haberetis ius patronatus in quibusdam ecclesiis. nec non de atoui. de Diakouic. de Chobze. de Rokytinc. de Olexouiz. de Domamil. Lodinnic et de Znoem Ecclesias sue diocesis quas cum decimis et s pertinentiis suis predecessorum suorum assensu minime requisito eperatis de manibus laicorum. idem episcopus uolens ut possideretis onice quod contra statuta canonica uidebamini hactenus possedisse. is predicta omnia confirmauit. et cardinalis predictus inspectis eiusdem scopi litteris super hoc factis in quibus sigillum Olomucensis capituli endebat. eidem facto robur sue confirmationis adiecit. Nos igitur iustis cibus uestris benignum impertientes assensum. quod super hoc ab ipso scopo de capituli sui consensu pie ac prouide factum est auctoritate stolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli o omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit ignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli. apostolorum s. se nouerit incursurum. Datum Laterani XIII. Kalendas Iunii. Pontiatus nostri anno octauo.

Ex originali in archivo c. r. aulico Vindobonae. — Apographum in Regesto Honorii III. anni VIII. epist. 445. in tabulariis Vaticanis.

CLV.

Otakarus, qui et Přemysl, Boemorum rex, bullam Joannis papae XIII. super praerogativa honoris dignitate abbatis, et iuribus ac libertatibus monasterii Břewnowensis, vetustate temporis consumtam ad petitionem Dluhomjli abbatis approbat, renovat, et transcribi curat. „Datum Prage per manum Benedicti, cancellarii curie nostre, prepositi Luthomericensis. Nono Kalendas Augusti incarnationis dominice anno MCCXXIIII. regni nostri deo propitio XX. sexto. In presentia *Wenceslai filii nostri senioris, ducis Pliznensis et Budesensis, et alterius filii nostri iunioris Wladislai seu et Henrici marchionis Morauie,* qui in huius rei testimonium sigilla sua fecerunt apponi. Ad hoc etiam uocauimus et rogauimus venerabiles patres nostros, dominum Pelegrinum episcopum Pragensem, et dominum Robertum episcopum Olomucensem, ut ipsi huius nostre renouationis essent testes, et eius uiolatores, si moniti nollent satisfacere, excommunicarent, et excommunicatos denunciarent, et in huius rei testimonium sigilla sua apponerent, quod et fecerunt. Insuper hii ut testes essent, affuerunt: Arnoldus Wissegradensis prepositus. Budiuoy comes. Dalibor. Martinus. Bohuse. Jaros. Benes. Zlauek. Groznata. Wsebor. Zauise. Vitko. Henricus dapifer. Coiata subdapifer. Henricus filius Bohute. Olricus filius Jurich. Zbramir iudex de Plyzen. Vlastizlau iudex Churimensis. Bauvor. Mstidruh burgrauius Pragensis, et alii quam plures."

Ziegelbauer Historia Brewnow. pag. 215.

CLVI.

Honorius papa III. Nepomucensem et Ostrowensem abbates et praepositum Olomucensem ad eligendum norum episcopum Pragensem consiliarios providet. Dt. Laterani IV. Nonas Octobris, 1224.

Honorius episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis .. de Nepomuch Cisterciensis ordinis et .. de Ostrov abbatibus Pragensis diocesis et .. preposito Olomucensi salutem et apostolicam benedictionem. Attendentes multum expedire Pragensi ecclesie, ut bone memorie .. Pragensis

pus, qui usque ad mortem pro eius libertate certauit, virum experte
tis habeat successorem, Pragensi capitulo in celebranda electione
is vos, de quorum prouidentia gerimus fiduciam specialem, con-
s duximus prouidendos, eisque per scripta nostra mandauimus, ut
onsilio vestro personam, que tanto congruat oneri et honori, sibi
in episcopum et pastorem, ac eum cum aliquot ex electoribus eius
andum et confirmandum ad nostram curent presentiam destinare.
e discretioni vestre presentium auctoritate mandamus, quatenus ad
ecclesiam accedentes, studeatis solum deum habere pre oculis, ut
eius eligatur episcopum, quod eum apostolica sedes debeat merito
are. Quod si non omnes his exequendis potueritis interesse duo
n ea nihilominus exequantur. Datum Laterani, IIII. nonas Octobris.
catus nostri anno nono.

E Regesto Honorii III. anni IX. epist. 24. in tabulariis Vaticanis.

CLVII.

Honorius papa III. capitulo Pragensi ad eligendum novum episcopum
consiliarios Nepomucensem et Ostrovensem abbates et *praepositum*
censem, jubetque, ut electum ad suam praesentiam examinandum et
andum destinent. Dt. Laterani IV. Nonas Octobris, 1224.

Palacky's Reise pag. 24. — e Regesto Honorii III. anni IX. epist. 23.

CLVIII.

Otakarus, Bohemorum rex, dilectae sorori suae Agneti, sancti Georgii
sae, et monasterio ipsius concedit exemtionem ab exactione, quae
vocabulo Pogezda dicitur. „Actum anno dominice incarnationis
XIIII. V. Idus Octobris; pontificatus domini Honorii pape III. anno
gnante illustrissimo Romanorum imperatore et rege Sicilie Friderico
V. Huius rei testes sunt *filius noster Wladislaus, marchio Morauie,*
us decanus et Onso canonicus Pragensis, dominus Jaroz, dominus

Budiuoy, dominus Boruta, dominus Vitko et Henricus filii Vitkonis, Bohuzlaus camerarius noster, Hroznata subcamerarius. Actum publice apud Ztragow."

Hammerschmidt Historia s. Georgii pag. 32.

CLIX.

Honorius papa III. archiepiscopum Moguntinum graviter reprehendit, quod Peregrinum, electum episcopum Pragensem, contra mandatum apostolicum consecraverit. Dt. Laterani XIII. Kal. Aprilis, 1225.

Honorius episcopus seruus seruorum dei. Venerabili fratri .. archiepiscopo Maguntino salutem et apostolicam benedictionem. Nimis graue dispendium immineret ecclesiis, si prelatis decedentibus perirent quoque prosecutiones causarum inceptarum pro tuitione iuris et honoris ecclesiastici ab eisdem. Attendentes siquidem illius zeli feruorem et illam mentis constantiam, quam bone memorie Andreas Pragensis episcopus habuit et exhibuit in prosecutione ecclesiastice libertatis, pro qua laboribus et proprie persone abiectione contemptis usque ad ultimum vite diem indefesso animo decertauit, ac satagentes ut talis substitueretur eidem, qui causam quam prosequi sic constanter inceperat pari vigore animi susciperet prosequendam, mandauimus Pragensi capitulo, ut cum consilio dilectorum filiorum . . de Nepomuc Cisterciensis ordinis et . . de Ostrov abbatum et . . prepositi Olomucensis, quos eis prouideramus consiliarios in hac parte, personam scientia, vita et fama preclaram tantoque congruentem oneri et honori, sibi eligerent canonice in episcopum et pastorem, ac ne quid deesset necessarie prouidentie, illum quem in episcopum suum eligerent, cum aliquot ex electoribus eius ad nostram examinandum et confirmandum presentiam destinarent. Tibi quoque dedimus in mandatis, ut id equanimiter tolerares, cum nostre intentionis non esset derogare iuri tuo in aliquo vel honori, sed prouidere sicut status temporis exigebat, ut dignum haberet idem episcopus successorem. Ipsi vero antequam ad eos mandatum apostolicum peruenisset, P. canonicum ipsius ecclesie in episcopum suum, sicut accepimus elegerunt, tuque ipsorum electionem nondum recepto mandato apostolico confirmasti. In quo quidem non es aliquomodo culpabilis,

dummodo uniuersa que debent in electi persona et ipsa electione concurrant; quod non consueuisti satis diligenter attendere, sicut Paderburnensis ecclesie negotium manifestat. In eo autem es plane ac plene culpabilis et inexcusabilis prorsus, quod postquam predictum recepisti mandatum, ad consecrationem eius procedere presumpsisti, cum scire deberes maius tibi concessum non esse, ubi minus nobis reseruatum fuerat et tibi per consequens interdictum. Penam autem excessus huiusmodi suo loco et tempori reseruantes, per apostolica tibi scripta firmiter precipiendo mandamus, quatenus dictum P. in festo s. Michaelis proximo, quod sibi a te volumus terminum peremptorium assignari, ad nostram facias personaliter venire presentiam, eundem ad id, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellatis, omni alienationis genere eidem interim penitus interdicto. Preceptum nostrum saltem in hoc ita sollicite impleturus, quod in te videatur aliqua deuotionis et obedientie scintillula relucere. Datum Laterani XIII. Kalendas Aprilis. Pontificatus nostri anno nono.

E Regesto Honorii III. anni IX. epist. 246. in tabulariis Vaticanis.

CLX.

Henricus, Magnae Trojae episcopus, consecrat rogatu abbatis Lucensis ecclesiam in Křidlowice, eique decimas sex villarum adjacentium assignat. Acta V. Kalendas Maji, 1225.

In nomine domini amen. Ego Henricus. dei gracia Magne Troie episcopus. Cum casu terram Morauie intrassemus. rogati a domino Floriano venerabili abbate *Lucensis* cenobii. annuente etiam reuerendo patre Roberto Olomucensis ecclesie episcopo. ecclesiam in *Scrilouicz* ut consecraremus primo monuimus patronos. quid vel quantum nomine dotis eidem ecclesie vellent assignari qui in continenti nominauerunt decimas sex villarum adiacentium quarum nomina sunt hec. *Scrilowicz Borolicz Raclinitz Dersicrajowitz Bosicz Petrowitz.* Ne autem aliquis scrupulus dubitationis super predictis oriatur. presentem paginam sigilli nostri munimine duximus roborandam. subiicientes plenissimo iure ante dictam ecclesiam cum omnibus pertinentiis suis Lucensi monasterio de libera voluntate et consensu patro-

norum. Adicientes etiam. ut quicunque supra dictam dotem ecclesie infringere niteretur. iram Dei omnipotentis et beatorum apostolorum Petri et Pauli incurreret. et perpetue ihehenne traderetur. Acta autem sunt hec anno dominice incarnationis MCCXXV. Quinto Kalendas Maii. Testes autem subscripti sunt hii. Ymrammus quondam castellanus Znoymensis. Detelez de Derben. Lutoldus de Lisinicz. Joannes de Marchia. Ortwinus de Znoym. Chrepecz de Lisinicz. Drugo Lutoldi. Hnano de Derben. Petrus magister scolarum de Znoym. Chazlaw tunc temporis sacerdos eiusdem ecclesie. Joannes plebanus de Schatow. Frater Gerardus de Luka. Frater Marcus. Frater Henricus et alii fratres quam plures de capitulo Lucensi. Item si necesse est adducere in testimonium huius donationis ecclesie maximam partem vicinie. ecclesia Lucensis inducere poterit. et cetera.

E copia vidimata in archivo monasterii Lucensis.

CLXI.

Otakarus, qui et Přemysl, Boemorum rex, restituit monasterio Gradicensi tabernam in Přerow sub confirmatione filii sui Wladislai, marchionis Moraviae. Actum in Bruna, 1225.

Ottacarus, qui et Premisl, dei gracia Boemorum rex. Notum facimus uniuersis tam presentibus quam futuris, quod, cum olim per predecessores nostros, bone memorie principes Morauie, qui fuerunt fundatores claustri s. Stephani Olomucensis diocesis, quod claustrum in *Gradist* uulgariter nominatur, quedam taberna in *Prerow* ad usum et commodum eiusdem claustri fuerit instituta, et postmodum per prauos et cupidos homines deperdita penitus et destructa; nos nolentes prefati claustri utilitatem diminuere, aut in aliquo defraudare, cuius bona cupimus et uolumus potius augmentari: ad preces et instantiam dilecti nobis Petri, uenerabilis abbatis claustri antedicti, in iam dicto loco siue foro Prerow tabernam pro remedio nostre anime et successorum nostrorum, eidem Petro, uenerabili abbati de Gradist, et fratribus ibidem deo famulantibus, restituimus et donamus perpetuo incommutabiliter et pacifice possidendam. Ad huius restitutionis et donationis prefate taberne in Prerow supradicto abbati Petro et fratribus

in Gradist perpetuam memoriam et inuiolabile firmamentum hoc presens scriptum priuilegium confecimus, et sigilli nostri robore communiuimus. Si quis uero hoc nostrum solemne factum imposterum forte attemptauerit immutare, indignationem et maledictionem omnipotentis dei incurrat, et perpetuis ignibus deputetur cum Sathan cruciandus. Testes huius rei sunt: Coyata. Leo. Stephanus de Medlow. Henricus, camerarius Olomucensis. Holac purgrauius. Veliz. Sulizlaus. Zemislaus. Slauata, et alii quam plures. Actum in Bruna. Anno dominice incarnationis Millesimo ducentesimo uigesimo quinto. Nos etiam *Wladizlaus, marchio Morauie*, donationem patris nostri consensu et sigilli nostri appositione confirmamus, mediante magistro Zdislao, et presentibus supra nominatis testibus, et aliis multis.

Ex Annalibus Mss. monasterii Gradicensis in registr. c. r. Gubernii.

CLXII.

Wladislaus, marchio Moraviae, confert monialibus ad s. Petrum Olomucii villam Mostkowice cum exemtione hominum ejusdem. Dt. in Kralice V. Idus Maji, 1225.

In nomine sancte trinitatis et indiuidue vnitatis. Cum principalem deceat honestatem, iustis deo seruiencium precibus accomodare pium benignitatis auditum, et eis maxime profectibus intendere, qui utilitati ecclesiarum ac paci expediant et libertati simul eciam animarum saluti. Nouerint tam presentes quam futuri quod nos *Wladizlaus diuina gracia Marchio Morauie*, participes esse cupientes oracionum deo famulancium, dominabus deo dicatis uirginibus in *Olomucz* ad ecclesiam apostolorum sanctorum Petri et Pauli in sancta professione commorantibus in villa iure hereditario collata eis *Mostcowicz* nuncupata, et a serenissimo rege Boemorum patre nostro confirmata, in remissionem peccatorum, ac retribucionem eternorum premiorum, eam quam ville episcopatus obtinent libertatem habendam in perpetuum concedimus. Huic nostre concessionis dono hanc gracie nostre beniuolenciam attribuentes, ut libera sit iamdicta villa ab omni inquietacione camerariorum terre, et omnibus molestiis, ab omni infestacione officialium quorumlibet et

grauamine indebito, a castrorum edificacione et fossati, ab omnium beneficorum violencia et tyrannide, ab omnium uectigalium inpedimento, ab omnibus indebite seruitutis honeribus, ab omni eciam censu principum et tributorum quorumlibet iniuria. Si autem furem deprehendi contigerit in eadem villa, statuimus ipsum furem tradi in custodiam curie principis, bona autem furis integra maneant domino ville ad succursum inopie dominarum, vt inde pro arbitrii sui disponant libera voluntate. Si vero aliquod ibi furtum inueniatur, uel homicidium perpetratum fuerit, inhibemus omnimodis grauamen a castro in villa fieri, et predam violentam que alias solet exerceri penitus interdicimus, sed omnia maneant inconcussa dominabus, in laudibus dei nocte ac die vigilantibus. Vt autem hoc nostri priuilegii statutum robur habeat firmamenti, et inuiolabiliter inperpetuum custodiatur illibatum, sigilli nostri appensione scriptum presens et testium subscripcione firmari precepimus. Huius facti nostri testes sunt hii. Henricus camerarius Olomucensis. Golach castellanus Olomucensis. Welys iudex Olomucensis. Semizlaus. Onso. Zulizlaus dapifer. Prothyuen iudex. Brechyzlaus. Andreas, Agazo. Wilchek. Rudolphus filius Zauisse. Datum in Cralicz. V. Idus Maii. Anno dominice incarnacionis Millesimo CC. XXV. Indiccione XIII.

Ex originali in archivo capituli Olomucensis. — Item adest in confirmatione Wenceslai regis ab anno 1286. ibidem.

CLXIII.

Monasterium Trebicense permutat possessionem suam Oslowan cum Heilwide, nobili matrona de Znoym, pro praedio ejusdem Horka. Acta in Trebič XVI. Kalendas Junii, 1225.

In Nomine Domini. Amen. Ego Lucas dei misericordia abbas Trebecensis. totumque capitulum meum Trebecense. omnibus Christi fidelibus tam futuris quam presentibus in perpetuum. Preciosus memorie thesaurus est scriptura que rerum seriem gestarum incommutabili loquitur ueritate et opponit obstaculum emergentibus calumpniis in conuulsum facile quidem conditiones plurime et facta mortalium plurima uacillarent nisi ea scripture fidelis testimonium roboraret. Eapropter subscriptione presentis pagine

nouerint uniuersi quod nobilis mulier ac religiosa matrona *Heilwidis* videlicet de Znoym pio zelo sue salutis ac multorum diuinitus accensa cum claustrum monialium ordinis Cysterciensis fundare disponeret. nec locum ad hoc aptum inueniret. ipsa tandem domino deo disponente intra possessiones claustri nostri Trebecensis angulum quendam *Ozlawan* nomine nobis quidem ad modicum utilem sed ad edificandum claustrum mente preconceptum reperit competentem. Verum quia rem alienam non licuit sine iusto titulo nec decuit occupari. eadem matrona deo deuota petiit a nobis predictum locum per concambium commutari. Nos igitur ipsius pie uoluntati ac desiderio laudabili unanimiter inclinati. nec non domini Conradi viri reuerentissimi tytuli sancte Rvffine cardinalis. Portuensis episcopi apostolice sedis ad partes nostras tunc legati. simulque venerabilis patris nostri Rvberti Olomvncensis episcopi consiliis et exhortacionibus inuitati. ad supradicti predii de Ozlawan pro alio predio de *Horka* permutationem accessimus competentem Ita tamen quod a prefatis patribus ad conseruandam utriusque partis indempnitatem. de communi assensu nostro et ipsius domine Heilwigis dati sunt nobis estimatores fideles viri nobiles scilicet vir Leo. Woyzlaus. Howoritsch. Theodoricus procurator domini Regis in Znoym. qui bona fide iurauerunt se in utriusque predii estimacione fideliter processuros. Qui diligenter circumeuntes et sollerter considerantes predivm de Horka cum silua et campis. et cum villis duabus aliis. videlicet *Hartlebiz*. et *Cosochowiz* cum quatuor terris. et ex altera predium de Ozlawan et sua appendentia. inuenerunt. et in animas suas asseuerauerunt. quod predivm predio in suo precio equaliter responderet. vnde sicut compromissum inter nos fuerat et consensum coram domino Cardinali. et coram domino episcopo. mutuam permutationem predictorum prediorum acceptauimus libenter ac spontanee. tum propterea quia nichil vidimus in hoc nostre ecclesie deperire. tum quia ex debito nostri ordinis ad tam sanctum propositum fundandi claustri voluimus sicut debuimus cooperari laudabiliter et coadiuuare. Illud quoque huic pagine cautum duximus adnotandum quod predicta nobilis matrona ut indempnitati nostre ecclesie Trebecensis in hac permutatione caueret inposterum hoc effecit ut nobilis vir Hartlebus nepos eius siquid ivris habebat in predictis prediis de Horka in manus supradicti Cardinalis et domini episcopi Olomucensis pro se et pro suis successoribus heredibus

resignauit. Quia igitur de comuni assensu nostro et capituli nostri necnon auctoritate domini Cardinalis supradicti. et nostri dyocesani Olomucensis episcopi. pie et commendabiliter hoc dinoscitur esse factum presenti nostro scripto sollempni et sigilli communis nostri et ecclesie nostre appositione hoc roboramus. et permutationem supradictam rationabiliter factam modis omnibus communiter approbamus. et ne per aliquem successorum nostrorum infringatur quantum possumus inhibemus. sed claustrum de Ozlawan predium idem in quo situm est perpetuo iure in pace possideat. et ecclesia Trebecensis econuerso predivm de Horka cum supradictis appenditiis suis pacifice deinceps habeat et quiete. presertim cum predictorum patrum auctoritate et nobis presentibus et consentientibus sub interminatione anathematis ne quis diffidentie filius hoc unquam audeat infringere sit sollempniter interdictum. Acta sunt hec in Trebetsch Anno dominice incarnationis millesimo CCXXV. Indictione XII. Mense ivnio sub testimonio et confirmatione predictorum patrum venerabilivm. et aliorum multorum tam clericorum quam laicorum qui presentes affuerunt De capitulo maioris ecclesie nostre Olomucensis. Esau archidiaconus Prerowensis. Magister Gregorius. et Heinricus canonici Olomucenses. Sifridus orphanus archidiaconus Pataviensis. Magister Bernhardus prepositus Vrisacensis. Magister Salomon canonicus Erbipolensis. De capitulo autem nostro Trebecensi. Arnoldus prepositus de Luha sancti Benedicti.

Ex originali ejusdem monasterii in registratura c. r. Gubernii.

CLXIV.

Přemysl, rex Boemorum, ratihabet commutationem bonorum Oslowan et Horka, et monasterium novum Oslowanense, monialium ordinis Cisterciensis, libertatibus ornat. Data Pragae VI. Kalendas Julii, 1225.

In nomine sancte trinitatis et indiuidue unitatis. Ego Premizl tercius rex Boemie. Domui sancte Marie in *Ozlouan*, et omnibus personis religiosis ibi Deo seruientibus in perpetuum. Cum regie conueniat serenitati omnium sub potestate eius degencium utilitati et tranquillitati prouidere, in eo tamen ei uberior augetur gloria, si eorum qui Dei obsequiis specialius

mancipantur, commodis consulat, et prouideat libertati. Nouerint itaque tam presentes quam futuri. Quod domum illam quam nobilis matrona domina *Heilwidis de Znoym in Ozlauan* fundauit, sub nostra protectione recepimus. nostre defensionis speciali beneficio benignius fouendam et tuendam. Permutationem illam ratam habentes, quam prefata matrona secundum estimationem nobilium virorum Leonis. Woyzlai, Howoris, Theodorici procuratoris nostri cum venerabili abbate *Luca Trebecensi* ex consensu capituli sui duxit habendam. videlicet de *Horka* et de *Ozlawan*. Quod Horka erat predium domine Heilwidis, et Ozlawan predium monasterii Trebecensis. In quo Horka cum nobilis vir Hartlebus nepos predicte matrone illud ius, quod si in eodem predio habere credebat, resignauerit in manus reuerendissimi viri Conradi Portuensis et sancte Rufine episcopi apostolice sedis legati, qui tunc temporis plenissime legationis officio in regno nostro fungebatur. Villas quoque *Martiniez* et *Pribislawicz* cum duodecim vineis in diuersis locis sitis, quas illa ingenua matrona eidem domui contulit, ipsi confirmamus, easdem possessiones cum ipsa villa de Ozlawan liberas esse decernentes ab omnibus exactionibus fisci, et ab omni iure ad regie maiestatis utilitatem vel heredum nostrorum spectante, ita ut illa domus eisdem gaudeat priuilegiis quibus letatur domus Weligradensis Cisterciensis ordinis, quam inclite memorie frater noster Wladizlaus quondam marchio Morauie fundauit et magnis possessionibus ampliauit, noue religionis sanctimonialium venustati et honestati, que antea in terra nostra non apparuit congaudentes, et approbande petitioni prenominati legati pro libertate domus prefate et securitate nostri consensus auctoritatem adhibentes. Ut autem hec nostre serenitatis pagina perpetuo robore firmetur, eam nostre sublimitatis sigillo fecimus communiri. Omnibus illis, qui libertates domus illius aut iura eidem domui a nobis concessa violauerint, penam decem marcarum auri infligentes. Huius rei testes sunt. Venerabilis Conradus Portuensis et sancte Rufine episcopus tunc apostolice sedis legatus. Peregrinus venerabilis episcopus Pragensis. Venerabilis Robertus Olomucensis episcopus. Petrus abbas Stragouiensis. Walterus abbas de Lutomisl. Orphanus archidiaconus et prepositus. Bernardus prepositus Frisacensis. Arnoldus prepositus Wilegradensis. et alii quam plures tam laice quam ecclesiastice persone. Cancellarius domini regis Benedictus. Marquardus

frater Benes. Engelscalcus notarius regis. Jeros. Data per manum domini Hermanni notarii nostri anno ab incarnatione domini millesimo ducentesimo vicesimo quinto in ciuitate Praga VI. Kalendas Julii.

E Monastico Moraviae Ms. in archivo Rayhradensi.

CLXV.

Conradus, apostolicae sedis legatus, confirmat commutationem bonorum Oslowan et Horka, nec non possessiones novi monasterii Oslowanensis ab Heilwide fundatrice, et libertates ab Otakaro rege concessas. Data Pragae VI. Kalendas Julii, 1225.

Conradus, miseracione diuina Portuensis et S. Rufline Episcopus, apostolice sedis legatus. Domui S. Marie in *Ozlavan* et religiosis ibi seruientibus in perpetuum. Consueuit sagax venerande antiquitatis sollertia temporum suorum acta, que voluit habere robur et firmitatem, scriptis diligencius commendare, ne successorum suorum inuida malicia ea, que rite et recte gesta fuere, posset inmutare. Quapropter precedencium prudenciam et prudentum cautelam volentes imitari, tam presentis etatis quam future posteritatis memorie volumus esse firmiter inscriptum, et numquam obliterandum, quod quedam nobilis matrona, domina *Heilwidis de Znoym,* fecit quandam permutacionem cum venerabili abbate *Luca Trebecensi* ex consensu capituli sui de quodam predio in *Ozlavan,* quod erat predium abbatis Trebecensis, cum quodam predio, quod vocatur *Horka,* quod fuit predium domine prefate, nobis estimatores utriusque predii dantibus ex parcium consensu, qui bona fide iurauerunt, se legitime ac fideliter in vtriusque predii estimacione procedere, quod et fecerunt. Visum est ergo estimatoribus, quod predium predio in suo precio equaliter responderet, nec vna pars vel alia aliquid sibi inuicem adderent. Quam permutacionem, sicut a nobilibus viris Leone, Woyzlao, Howoris, Teodorico, procuratore regis in Znoym, electis estimatoribus, ratam habemus et confirmamus. Sic vtrique parti prouidentes, vt vtraque ecclesia tam de Ozlauan quam Trebecensis seruetur indempnis et illesa. Quia vero nepos predicte matrone, nobilis vir, nomine Hartlebus, videbatur, sicut ipse dicebat, aliquid iuris

illo predio sibi usurpare, illud, quod iuris habere videbatur, in manus ostras et venerabilis fratris nostri, Olomucensis episcopi nomine Roberti, esignauit. Ideoque in hoc prouidimus Trebecensi ecclesie, ne a predicto lartlebo vel eius heredibus ipsa posset in posterum grauari, et ecclesia lius possessionis quieta gauderet libertate. Villam itaque de Ozlauan um determinatis eius appendiciis ab estimatoribus prenominatis, et alias uas villas, videlicet *Martiniz* et *Pribizlauiz* domui s. Marie in Ozlauan ossidendam roboramus. Quia vero illustris rex Boemie, Premizl nomine, d piissimam peticionem nostram ex consueta sua liberalitate quasdam illi cclesie concessit libertates, scilicet ut ville prescripte ab omnibus ex- ctionibus fisci et ab omni iure, ad regie maiestatis utilitatem spectante, bsoluerentur, et ea commoditate et libertate gauderent, qua gaudet ecclesia Veligradensis in priuilegio, a regia serenitate sibi concesso, nos easdem epedicte ecclesie confirmamus. Vineas eciam duodecim, in diuersis locis tas, quas ipsa matrona contulit eidem ecclesie, easdem volumus pacifice t quiete possidere. Et hec omnia, que illa ingenua matrona eidem domui ontulit, sub protectione ecclesie Romane et nostra recipimus. Et venera- ili Roberto, episcopo Olomucensi, et eius successoribus ipsam ecclesiam anutenere et defendere commisimus, sicut eciam iure facere tenetur. t autem hec omnia rata maneant et inconcussa, presentem paginam nostro gillo fecimus communiri. Si quis autem de abbatibus Trebecensis ecclesie el alius ea, que a nobis legitime confirmata sunt, immutare temptauerit el in irritum reuocare, iram dei et beatorum apostolorum Petri et Pauli t omnium sanctorum se nouerit incursurum. Et nos auctoritate, qua ngimur, quicunque hoc salutare statutum scienter violauerit, nisi tercio commonitus humiliter resipiscat, eum pena anathematis innodatum annun- ciamus. Data Prage Anno MCCXXV. VI. Kalendas Julii. In huius autem nostre confirmacionis testimonium precepimus Pragensi et Olomucensi episcopis, ut sigilla sua apponerent.

E libro apographorum in archivo ecclesiae s. Jacobi Brunae Ms.

CLXVI.

Heilvidis, illustris matrona, concambit quasdam possessiones cum monasterio in Luh. Acta in Prawlow, 1225.

In nomine domini. amen. Omnibus Christi fidelibus presentes litteras legentibus uel in futurum inspecturis notum sit. qualiter ego *Heiluidis* illustris matrona de consensu illustris domini *Wladizlay marchionis Morauie* permutationem quandam feci siue concambium cum A. preposito de *Luha* sancti Benedicti et conuentu eiusdem assentiente L. abbate de Trebech in hac forma. prefatus prepositus tradidit nobis quatuor mansos in *Ozlauan* cum uineis iuxta *Yuancici* pro terra arabili iuxta *Manizi* et uinea in *Bozonoh*. que a prefato domino marchione parata emi pecunia. Item dedi prefato preposito LX marcas adequantes pretii valorem iuxta proborum estimationem uirorum. Acta sunt hec in Praueloue coram Luca abbate de Trebech. Esau archidiacono Prerouensi. Zdizlao preposito de Brunna. Salomon canonico. Prozimir prefecto. Woyzlao. Theodorico Grutouic. Mislibor et Hartleb de Mirozlau. Lupo. Ranozir et aliis fide dignis anno incarnationis dominice millesimo CC. XXV. data per manus Friderici capellani domine Heilvidis.

Ex originali monasterii Oslowanensis.

CLXVII.

Compositio litis inter monasterium Lucense, et Adam sacerdotem ratione ecclesiarum s. Nicolai et s. Michaëlis novae civitatis Znoymae. Acta in monasterio Lucensi in vigilia s. Jacobi, 1226.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Amen. F. de Jerus et B. de Altenburg, per Dei misericordiam abbates, et B. plebanus de Hardeck, ab apostolica sede iudices delegati super causa, que vertebatur inter abbatem de Luca et Adam, sacerdotem de Znoym, super iniuriis, quas idem sacerdos abbati super parochiali ecclesia *s. Nicolai in Znoym* inferre presumpsit. Cum nos itaque eundem Adam, multoties a nobis citatum, propter contumaciam excommunicassemus, et in eadem excommunicatione

per annum stetisset; nos ad conuincendam ipsius malitiam ad monasterium Luca accessimus, et predictum sacerdotem prestita caucione iuratoria nec non fideiussoria absoluimus. Dedit quippe fideiussorem dominum Wibertum, prepositum s. Ypoliti, scribam regis, et personaliter iurauit, quod deinceps in parochiali iure, in sepulturis et decimis ecclesiam s. Nicolai non grauaret. Ad petitionem quoque nostram et domini Wiberti, qui ex parte regis venerat, ut concordiam inter eos procuraret, abbas de Luka expensas iudiciales, que in litem facte erant, et alia demum grauissima, que pridem Adam monasterio intulerat, sepeliendo mortuos excommunicatos, et indifferenter conuocando et recipiendo plebem s. Nicolai ad ecclesiastica sacramenta, remisit renunciando accusacioni iniuriarum. Concessit etiam abbas ecclesie *s. Michaelis* baptismum et sepulturam in vico Bala, et in quibusdam curiis infra ambitum fossati, et in proximo ecclesie s. Michaelis adiacentibus, quas nominatim exprimere ad cautelam decreuimus. Curia Arnoldi parui et Radozlae grozze. Curia, que fuerat Letkonis. Curia Wilhami pellificis. Curia Wernerii pellificis, et curie hominum ipsius; adde, quas possidet nomine dotis; deinde a curia ade curia Henelen, curia Hostic, curia Olzic, curia Persic, curia Zlawe, curia Bohus, curia Arnoldi, curia Alberti, curia Salmanni, curia Rudewin, curia Letkonis vidue, curia Martini, demum curia Peregrini, curia Zalasch, curia Petri Wilizel cum vico, qui quondam dicebatur vicus vngarorum, qui protenditur vsque ad portam orientalem, que ducit ad *Zuchoherdel*, in quo quam plures curie continentur, ita tamen, quod de bala et de omnibus supra dictis curiis et domibus, vineis, ortis, frugibus, denariis et omnibus satis decimas ecclesia s. Nicolai percipiat, et plebs de supra dictis omnibus curiis ad ecclesiam parochialem s. Nicolai in maximis festiuitatibus, scilicet natalis domini, pascha, pentecosten et omnium Sanctorum conueniat. Auctoritate igitur apostolica predicta omnia firmiter statuimus obseruari, firmiter prohibentes, ne presbyter deinceps, qui in ecclesia s. Michaelis pro tempore ministrauerit, nullum de castro vel ciuitate Znoym, iis exceptis, que supra enumerata sunt, ad ecclesiam audeat recipere sacramenta. Quicunque autem huius ordinacionis temerarius transgressor extiterit, indignacionem Dei et beatorum apostolorum Petri et Pauli et omnium sanctorum incurrat, et auctoritate nobis iniuncta a sede apostolica sit excommunicatus, donec resipiscat

et emendet, vt discat sapiens esse in pena, qui stultus fuit in culpa. Et vt hec rata maneant et perpetua, sigillorum nostrorum impressione communiuimus. Acta sunt hec anno ab incarnacione domini Millesimo ducentesimo vigesimo VI. in monasterio Luca, in vigilia s. Jacobi, anno pontificatus domini Honorii XI.

E vidimatione ab anno 1410. ejusdem monasterii.

CLXVIII.

Otakarus, qui et Přemysl, Boemorum rex, confert monasterio Lucensi pro fundo „Culchow", quem novae civitati Znoym construendae addidit, ecclesiam in Prosměrice, agros in Zadowan et decimas vinearum juxta Znoym. Actum in Znoym XIII. Kal. Octobris, 1226.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Ottacarus qui et Premizl dei gracia boemorum rex. Ne id quod a nobis pie disponitur atque racionabiliter ordinatur. et maxime circa loca religiosa. dominoque famulancia humiliter et deuote. possit per quemquam hominum processu temporis immutari. sed perpetuo stabile permaneat atque firmum. Notum facimus uniuersis tam presentibus quam futuris. quod cum nos uellemus *ante Znoym ciuitatem construere. in ipsamque homines conuocare.* et quia nostra propria area ibidem sita ad ipsam construendam nobis non erat sufficiens. fundum quendam *culchov* nomine cum omnibus suis attinenciis. agris videlicet atque teloneo quod ibidem percipiebatur ad cenobium lucense pertinentem. excepto solo quodam vico circa ecclesiam sancti *nicolaj* sito *Vgezdcz* nomine dicto qui specialiter eiusdem ecclesie dos semper exstitit cum curiis magistri Petri. Heinrici sagittarii. Vlrici sagittarii. et aliis eidem Ecclesie prope adiacentibus. predicte ciuitati et suis habitatoribus addidimus. Prefato Lucensi cenobio loco iam dicti fundi et omnium suorum attinencium ecclesiam in *prozimeriz* cum sua dote atque iure patronatus in perpetuum contulimus et donauimus pacifice possidendam. Insuper eidem cenobio addidimus agros ad nostrum aratrum et ad nostros rusticos in *Zadowan* id est pomeriis. pertinentes. Hoc etiam statuimus. quod cum plantate uinee in agris quos prenotate ciuitati nostre addidimus cum Lucensi

abbate commutantes ex ipsis decimas percipiat idem abbas integre vtrisque plene. Postmodum autem abbas cenobii prenotati nomine Florianus ad nostram presenciam accedendo nobis humiliter supplicauit. ut eandem nostram donacionem et ut uerum fateamur commutacionem ratam habentes atque firmissima auctoritate regia confirmaremus. Nos vero ipsius precibus inclinati. et quia eciam hoc factum pium est et honestum. eandem nostram donacionem et commutacionem ratam habentes et firmam auctoritate regia confirmamus. ipsam non personalem. set vniuersitatis siue ecclesie intelligi volentes. atque decernentes ne hoc tam sollempne. pium ac honestum factum liceat imposterum cuiquam hominum immutare. set perpetuo firmum et stabile perseueret. Ad huius itaque nostre donacionis et commutacionis perpetuam memoriam et inuiolabile firmamentum presens priuilegium conscribi fecimus. et sigilli nostri robore communiri. Nomina avtem testium sunt hec. Robertus Olomucensis episcopus. Zvezt abbas trebecensis. Hermannus prepositus Lutomericensis. Otto castellanus de donin. Wrs Castellanus in znoim. Pomnen. Hartlibus. Bohusa. Wilhamus pincerna cum fratribus. Howorish. Heinricus Pribramj. Branizlaus. Paulus iudex. Lutobor cum fratribus. Lupus. Vlricus sagittarius. Theodericus de Vetov. Ztonarius camerarius. Bohuzlaus castellanus de Wranov. Woco et Andreas filii Benes de Benessow. Oztoy cum fratre. Theodericus villicus. Wibertus prepositus sancti ypolitj. Magister Zdizlaus. Magister Stephanus. Sdezlaus. Lambertus. Mattheus. Actum in znoim anno incarnacionis dominice Millesimo CC. XXVI. Indictione XIIII. XIII. Kalendas Octobris.

Ex originali cum sigillo illaeso monasterii Lucensis; sign. H. 4.

CLXIX.

Otakarus, qui et Přemysl, Boemiae rex, fundaturus ecclesiam in Kořjm statuit, ut sit filia ecclesiae s. Petri Brunae, et dicimae ibidem ad hanc pertineant. Actum Brunae, **1226.**

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Amen. Othacarus, qui et Premisl, dei gratia Bohemorum rex, uniuersis in Christo fidelibus tam presentibus, quam futuris. Ut ea, que a nobis prouide et sollempniter dispo-

nuntur, non possint a quoquam hominum processu temporis immutari, sed perpetuo stabilia permaneant atque firma: Notum facimus in perpetuum, quod cum ecclesia sancti *Petri in Bruna* ius decimarum in villa, *Corim* nomine, habuerit tempore ab antiquo, licet nostre sit intentionis et propositi fundare ibidem ecclesiam, et dotare, nolumus tamen, quod eadem Brunensis ecclesia priuetur iure suo: imo volumus et statuimus, ab omnibus successoribus nostris inuiolabiliter et firmiter obseruari, ut prefata Corimensis ecclesia sit filia ecclesie sancti Petri in Bruna, ita quod prepositus ecclesie sancti Petri de ipsa Corimensi ecclesia, et de omni suo iure tam decimarum, quam alio secundum suum beneplacitum, quidquid uelit, ordinet et disponat. Ad huius autem statuti nostri perpetuam memoriam et inuiolabile firmamentum, presens priuilegium conscribi fecimus et sigilli nostri munimine roborari. Huius autem rei testes sunt hii: Hermannus prepositus Luthomericensis. Ratiborius de Strachotiz. Stephanus de Medlaw. dominus Leo de Klobuk. Thaz castellanus Brunensis cum fratribus. Prepositus Arnoldus de Luh. Cirh subdapifer. Milich subpincerna. Andreas marchalcus. Vocco subcamerarius. Spitata. Glupen. Vecen. Iwan capellanus domini regis. Martinus plebanus de Dacziz. Hermannus *) plebanus in Pribizlawiz. Victor plebanus de Nouaciuitate. Johannes. Zdeslaus. Simon. capellani domine regine aliique quam plurimi. Actum in Bruna, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo sexto; indictione quarta decima.

---

*) Hieronymus alia in copia scribitur.

E duobus apographis simplicibus. — Excusum apud Fasseau Collect. Synod. III. 24.

CLXX.

Otakarus, qui et Přemysl, Boemorum rex, monasterio Litomyšlensi culpam, quae in vulgari hlawa dicitur, indulget. Acta 1226.

† In. nomine. sancte. et indiuidue. trinitatis. Ottacarus. qui et Premizl. dei gracia Boemorum Rex. Immutantur plerumque donationes legitime. factaque hominum solempniter celebrata. nisi testimonio proborum

hominum et sigillatis litteris roborentur. Viuit enim littera. et actio littere commendata. Notum siquidem facimus uniuersis. tam presentibus quam futuris. quod cum nos semel de Morauia per *Lutomizl* in Boemiam transiremus. per querelam domini *Walteri* Abbatis et fratrum in eodem Claustro domino famulantium nobis constitit euidenter. quod a castellanis et judicibus atque aliis nostris beneficiariis occasione illius culpe que Hlaua uulgariter nominatur. eiusdem nostri Claustri pauperibus maxima inpedimenta. et iniurie. atque grauamina fiebant. quam culpam Hlauam uidelicet. ut antedicti nostri Claustri hominibus perpetuo penitus indulgeremus diuine remunerationis intuitu. prefatus W. Abbas cum fratribus nobis humiliter supplicauit. Et quia prenotatum claustrum Lutomizl. scilicet maxime cum sit nostrorum predecessorum atque nostra fundacio. speciali quadam dileccione semper dileximus. et a nostris successoribus diligi uolumus et foueri. ad preces domini Walteri uenerabilis Abbatis eiusdem Claustri et fratrum suorum eandem culpam que Hlaua uulgariter dicitur. omnibus generaliter hominibus ad iam nominatum Claustrum Lutomizl pertinentibus perpetuo indulgemus. Statuentes ut nullus umquam castellanus uel judex. seu quicumque alter noster aut successorum nostrorum beneficiarius. super eadem culpa cum ipsis disponere audeat aut tractare. sed ipse Abbas eiusdem Claustri cum suis fratribus inter suos homines cum Hlaua fuerit. nullum respectum ad beneficiarios habens quidquid uoluerit ordinet et disponat. Quicumque autem castellanus uel judex. aut alius beneficiarius hanc nostram libertatem quam benigne pro remedio anime nostre et predecessorum atque successorum nostrorum Claustro et Elemosine nostre in Lutomizl indulsimus. immutare uoluerit. beneficio careat. et ab Episcopo terre publice excommunicetur. Ad huius uero nostre indulgencie perpetuum et inuiolabile firmamentum. presens priuilegium per Cancellarium nostrum Arnoldum Wissegradensem prepositum. et Hermannum notarium nostrum Lutomericensem prepositum conscribi. et sigilli nostri robore communiri. nomina etiam testium coram quibus hec facta sunt hic decreuimus annotari. Slauek camerarius Pragensis. et filius eius Boguzlaus. Bicen castellanus Wratizlauiensis. Hartlebus uillicus Regis. Johannes castellanus. Jaros de Pribizlauic. Vitek et frater eius Henricus. Boruta de Redgosc. cum filio suo Boruta. Sulizlav de Loza. Sauisa. Cstibor de Nedelisc. Coiata filius

Grabisse de Ponte. Golac castellanus Olomucensis. et frater eius Zuezlav de Planan. Janec iudex Wratizlauiensis. Otazlav de Radgosc. cum filio suo Hartlebo. Wacek. Jaclin de Borouec. Suatozlav de Hermannic. Groznata de Podebrad. Predbor. Groznata de Hinerov. Glupen de Gor. Petrus de Seleuic. Dobromil. Zueprav. Dnepr. Scizlav. Mladota. Vatzlav. Bolezud de Cralic. Slusek de Pusic. Cristan de Zuincan. Mirozlav cum filiis. Jan et Budizlav de ualle sacerdotis. Bicen. Ratmir. Sdimir. Budizlav. Buz. Predbor de Morasic. Victor filius Blud. et alii multi. Acta sunt autem hec anno Dominice incarnacionis M.CC.XXVI. Indictione XIIII. Epacta XX. Concurrente III.

Ex originali cum sigillo illaeso archivi episcopatus Litomyslensis in registratura c. r. Gubernii Moravici.

CLXXI.

Ottacharus, qui et Premysl, rex Boemorum, fundationem monasterii Doxanensis a parentibus suis quondam Wladislao, rege Bohemorum, et Judita regina factam omnesque donationes, possessiones et concambia, quae nomine enumerat, confirmat. Testes: „*Wenceslaus dux filius regis, et frater ipsius Wladislaus, marchio Morauie.* Arnoldus cancellarius regis et prepositus Wissegradensis. Petrus abbas Stragouiensis cum fratribus suis Gerardo priore et Joanne suppriore et Petro sacrista. Guntherus prepositus Doxanensis. Hermannus prepositus Lutomericensis et notarius curie. Vata camerarius ducis. Chastlou filius Zmil, venator summus. Petrus filius Milhozt. Ludher et filius eius Milhozt. Jan de Morasic. Zuatobor de Pressic. Beneda filius Stibor. Dalebor de Coneckulma. Zmil filius Protiuec. Sobecherde de Rozalouic. Neostup miles. Trebata miles. Drisizlaus filius Radim, et alii multi. Acta sunt hec anno verbi incarnati MCCXXVI. Epacta XX. Indictione XIII. Concurrente tercio."

Hugo — Annales Praemonstr. I. pag. CCCCCXIX.

CLXXII.

Gregorius papa IX. abbatibus de Waldsassen et Lubech, atque praeposito de Spainsart committit litem episcopi Olomucensis cum decano investigandam et diffiniendam. Dt. Laterani pridie Kalendas Aprilis, 1227.

Gregorius episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis de Waltesassen et . . de Lubech abbatibus Cisterciensis ordinis, et magistro H. preposito de Spainsart, Ratisponensis et Wratislauiensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Venerabilis frater noster . . *Olomucensis* episcopus nobis exposuit, quod cum Magister S. Olomucensis canonicus sibi prestiterit iuramentum, quod ei et ecclesie sue fidelis in suis agendis existeret, sua et ipsius ecclesie negotia fideliter procurando, idem contra iuramentum suum temere veniens, carissimo in Christo filio nostro . . illustri regi Boemie contra ipsum et ecclesiam eandem adhesit, et ei secretis reuelatis ipsius, illum iniquis contra eum suggestionibus grauiter concitauit; qui etiam quasdam literas, quas ad opus ecclesie sue a sede apostolica impetrarat, temerario ausu subripuit, et a quibusdam eius concanonicis malicie sue complicibus se procurauit in decanum Olomucensem eligi, post apellationem ad Sedem apostolicam legitime interiectam, et falsato sigillo ecclesie, sub eo electionis sue literas fabricauit, et non solum ab eo monitus residentinm in ipsa ecclesia facere negligit; verum etiam alios verbo et exemplo retrahit ab eadem, alias sibi debitam obedientiam et reuerentiam denegando. Unde humiliter petiit, ut eum de periurio et falsitate puniri, compesci ab occupatione decanatus, quem talis electionis pretextu sibi vendicare contendit, compelli ad restitutionem literarum ipsarum, et ei super aliis quod iustum est fieri mandaremus. Dictus vero Magister obtentis super hoc literis in communi audientia contradicens proposuit ex aduerso, quod episcopus hoc falso confingens infamis, famam ei nititur sugillare, asserens quod cum idem episcopus dubitaret, ne per bone memorie G. sancti Theodori diaconum cardinalim tunc in partibus illis apostolice Sedis legatum fieret inquisitio contra ipsum, manu data promisit eidem, quod in nullo ipsum offenderet, sed foueret, propter quod et ipse sibi manu data promisit, quod libenter ei debito modo seruiret, si de cetero a grauibus et enormibus excessibus, quos commiserat, et specialiter a frequentatione mona-

sterii Cunicensis, unde factus erat multis in scandalum, abstineret, omnino inficians se sibi iuramentum aliud prestitisse. Adiecit quoque idem magister, quod regem Boemie contra eum nullatenus concitarat, sed mitigaret potius concitatum. Surreptionem autem literarum et falsationem sigilli penitus negans adiunxit, quod in decanum Olomucensem se numquam eligi procurauit, qui et potius electioni de se facta victus eligentium infinitis precibus vix consensit; et quod ipse in ecclesia Olomucensi non residet, habet ex apostolica indulgentia speciali. Addidit insuper se debitam reuerentiam et obedientiam episcopo nullatenus denegasse, sed ille forte reputat denegatam ex eo, quod idem facinoribus non consensit illius, qui non solum se ipsum in partibus illis se contemptibilem reddidit, sed totum ordinem clericalem. Quia vero nobis non constitit de premissis, discretioni vestre de ipsius magistri et dicti episcopi procuratoris assensu per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis qui fuerint euocandi, et auditis hinc inde propositis, quod canonicum fuerit, appellatione postposita statuatis, facientes quod statueritis per censuram ecclesiasticam firmiter obseruari. Quodsi non omnes his exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Laterani II. Kalendas Aprilis, pontificatus nostri anno primo.

E Regesto Gregorii IX. anni I. epist. 7. in tabulariis Vaticanis. — Excusum incorrectius apud Manrique in Annal. Cisterc. IV. 343.

CLXXIII.

Gregorius papa IX. archiepiscopo Salzburgensi mandat, ut injuncta poenitentia competente ministerialibus Austriae, qui terram Boemiae depopulati fuerant, eis absolutionis beneficium impendat. Dt. Laterani III. Nonas Aprilis, 1227.

Gregorius episcopus seruus seruorum dei. Venerabili fratri . . archiepiscopo Salzburgensi salutem et apostolicam benedictionem. Dilectus filius nobilis vir . . dux Austrie transmissa nobis petitione monstrauit, quod ipso existente in partibus Lombardie, quo vocatus fuerat a carissimo in Christo filio nostro F. Romanorum imperatore illustri semper Augusto et

rege Sicilie, de terre sancte subsidio tractaturus, Boemi terram eius hostiliter inuadentes, ipsam depopulari rapinis et incendiis presumpserunt. Quare Henr. de Cunring ministerialis ducis ipsius, quem ipse dimiserat ad custodiam terre sue, inimicis pro posse repugnans, obsequentium sibi militum auxilio comitatus, terras illarum potenter intrauit et ibidem exercuit incendia et rapinas. Unde dictus dux nobis fecit humiliter supplicari, ut, licet dictus ministerialis et socii eius iniustissime prouocati se licite vindicantes nil egisse videantur iniuste, quia tamen bonarum mentium est ibi culpam agnoscere ubi culpa non fuit, predictum ministerialem et sequaces suos ab excommunicationis laqueo, si quem propter hoc forsitan incurrerunt, faceremus absolui, presertim cum idem ministerialis paratus sit propter hoc quatuor milites suis sumptibus qui alias ituri non essent in terre sancte subsidium destinare. Volentes igitur sic annuere precibus supplicantis, ut vigorem seruemus ecclesiastice discipline fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus illo premissa complente, ipsis iuxta formam ecclesie beneficium absolutionis impendens, ipsis secundum qualitatem et quantitatem culparum iniungas penitentiam competentem. Datum Laterani, III. nonas Aprilis, pontificatus nostri anno primo.

E Regesto Gregorii IX. anni I. epist. 27. in tabulariis Vaticanis.

CLXXIV.

Gregorius papa IX. Olomucensi episcopo, aliisque praelatis ejusdem dioecesis ordinem fratrum praedicatorum commendat. Dt. Laterani XI. Kal. Maji, 1227.

Gregorius episcopus seruus seruorum dei, venerabili fratri episcopo Olomucensi, et dilectis filiis abbatibus, prioribus, prepositis, et aliis ecclesiarum prelatis per Olomucensem diocesim constitutis, salutem, et apostolicam benedictionem. Quoniam abundauit iniquitas, et refriguit caritas plurimorum, ecce ordinem dilectorum filiorum fratrum predicatorum dominus suscitauit, qui non que sua sunt, sed que sunt Christi querentes, tam contra profligandas hereses, quam contra pestes alias mortiferas extirpandas se dedicarunt euangelizationi verbi dei in abiectione voluntarie

paupertatis. Nos igitur eorum sanctum propositum, et necessarium ministerium, fauore beneuolo prosequentes, uniuersitati vestre ipsos affectuose duximus commendandos: caritatem vestram rogantes, et exhortantes in domino, ac per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus dilectos filios fratres predicatores pro reuerentia diuina ad officium predicandi ad quod deputati sunt, recipiatis benigne ac populos vobis commissos, ut ex ore ipsorum verbi dei semen deuote suscipiant, et confiteantur eisdem, cum auctoritate nostra liceat confessiones audire, ac penitentias iniungere, sedulo admonentes, pro nostra apostolice sedis reuerentia in suis eis necessitatibus liberaliter assistatis, quatenus ad predicta suscipienda vestris exhortationibus populi preparati, tanquam bona, et fructifera terra pro vitiorum tribulis incipiant segetem germinare virtutum, et dicti fratres per operationem vestram suscepti ministerii cursum felicius consummando, optatum reportent sui laboris fructum, et finem, salutem videlicet animarum. Quia vero sepe vitia sub specie virtutum occulte subintrant, et angelus Satane in angelum lucis se plerumque simulare transformat: Presentium vobis auctoritate mandamus, quatenus, si qui de predictorum fratrum ordine se dicentes in vestris partibus predicauerint, ad questum se pecuniarum conuertendo, per quod religionem eorum, qui paupertatem professi sunt, contingeret infamari, vos tanquam falsarios capiatis, et condemnetis eosdem. Datum Laterani XI. Kalendas Maii. Pontificatus nostri anno primo.

Ripoll — Bullarium. I. p. 18. — ex autographo conventus Brunensis.

CLXXV.

Gregorius papa IX. ordinem praedicatorum universis ecclesiarum praelatis commendat. Dt. Laterani XI. Idus Maji, 1227.

Gregorius episcopus seruus seruorum dei. Venerabilibus fratribus. Archiepiscopis et episcopis. et dilectis filiis. abbatibus. prioribus. et aliis ecclesiarum prelatis ad quos littere iste peruenerint. Salutem et apostolicam benedictionem. Quoniam habundauit iniquitas *etc. eisdem verbis, sicut in praecedenti bulla, usque . . condempnetis eosdem.* Datum Laterani. VI. Idus Madii. Pontificatus nostri anno primo.

Ex originali bulla archivi monasterii praedicatorum Olomucensis.

CLXXVI.

Leopoldus, dux Austriae et Styriae, confirmat fratribus hospitalis s. Joannis jus patronatus ecclesiarum in Wolkenstein, Pataviensis, et in Erdburg, Olomucensis dioecesis. Dt. in Nova civitate IV. Idus Maji, **1227.**

Leopoldus, dei gracia dux Austrie et Stirie. Vniuersis presentibus et futuris cupimus esse notum, quod Otto de Traberch, ministerialis noster, de nostre voluntatis assensu, per manum et assensum Henrici, filii sui, pro remedio anime sue et dominorum suorum omniumque parentum suorum salute iura patronatus et quicquid iuris habuit in ecclesiis Walgerstein Patauiensis, et Erdpurge Olomucensis diocesium, libere et absolute tradidit hospitali et fratribus sancti Johannis iure perpetuo possidenda, vna cum vniuersis decimis campestribus et domesticis frugum, siliginis, tritici, ordei, auene, canapi, papaueri, croci, raparum, lini, lentis, caulium et omnium ex terra germinantium, insuper porcellorum, anserum, anatum, gallinarum, ouorum, mellis, agnellorum, vitulorum et omnium domesticorum brutorum; que omnia, sicut nos de facto a nostris ibidem colonis recepimus, ita de iure diuino et canonico, tanquam dominus temporalis, qui decimas dei de iure possidere nequit, dictis fratribus plebanis in Walgerstein et Erdpurga tradidimus possidenda, recipienda, et in suum usum conuertenda. Vt igitur hec donatio, coram nobis in conspectu procerum nostrorum racionabiliter facta, rata permaneat, presentem litteram sigillo nostro appendenti roboratam memoratis fratribus plebanis tradidimus. Actum noue Ciuitatis IV. Idus Maii. Anno incarnationis dominice MCCXXVII. Indictione XV.

E copia in museo Moravico. — Originale adest in archivo Melitensium Pragae.

CLXXVII.

Kogata de Hněwjnmost (Brüx), filius Hrabiše, monasterium Zděrazense ante Pragam, quod cum fratre suo Wšebor fundaverat, dotat possessionibus in Boemia et Moravia. Dt. XI. Kal. Augusti, **1227.**

Nouerit presencium uniuersitas, et posteritas futurorum, quod ego *Coiata de Gnevinmost filius Grabisse,* considerans carnalem mihi prolem

diuinitus esse negatam, que mihi in meis bonis succedere posset, volensque Cristum heredem habere, et in bonis meis successorem, qui pro datis sibi reddit centemplum, et dat vitam eternam, ecclesie *Zderasiensi* ante Pragam, quam ad honorem Cristi, et eius sancti Sepulcri ego et dominus Swebor karissimus frater meus fundauimus, et in qua sepulturam elegi do, dono, et relinquo Gnevinmost cum omnibus suis appendiciis, et Wrutek cum omnibus attinenciis suis, et Jamne cum his, que ad se pertinent, *Tlustorsi et Sestoiewice, Lemusi, Lipetim, Copisti* cum omnibus eorum iuribus et utilitatibus, ita tamen, quod domina Wratislaua coniunx mea dilecta Thustovsi et Sestoiewici possideat temporibus vite sue, post mortem autem eius pertineant ad ecclesiam memoratam. Ut autem donacio mea robur obtineat firmitatis, presens scriptum iussi sigillis predicti domini Sweborii fratris mei, qui eidem ecclesie Sderasiensi dedit plura sua bona, et meo roborari. Testes horum sunt Grosnatha comes de Podibrad, Boguslaus, Unka, Wok, Matheus, Castolow, Henricus, Zezema, Milotha, Stognew, Benes. Actum et datum Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo XXVII. undecimo Kalendas Augusti.

Dobner Monumenta IV. pag. 257.

CLXXVIII.

Kogata, filius Hrabiše, testamento suo bona sua et villas in Boemia et Moravia nonnullis monasteriis et agnatis suis transcribit. 1227.

Notum sit omnibus quod ego Coiata. filius Grabisse. cum filios non habeam Christum heredem faciens. in testamento relinquo ecclesie Pragensi Krriti. preter unam curiam. que subiacet ecclesie sancti Georgii in Tiz. Sepulchro Christi Sderazensi uidelicet ecclesie relinquo Gnevin most cum omnibus appendiciis suis. et Wrutek cum omnibus attinenciis suis. et Jamni cum omnibus que ad se pertinent. In Morauia Brdiccowici. Koietici. Jurinouici. Tlustovsi. Lemusi. Sestoiowici. Ostrasan ita dum taxat ut domina Wratislawa uxor mea regat et possideat omnibus diebus vite sue. Ecclesie sancti Laurentii Opatowic villam Matarow. Ad Gnevin most nono septimane totum. totum ius fori nec non et tabernarum usus secundum

numerum quantitatem none taberne census reddatur. Ecclesie Stragowiensi villam Coberici. Ecclesie Sedlecensi Sesemici. Krastno. Prelozi. Zmine. Sororinis meis duabus Ewfemie et Swatohne in Morauia. Drunowici et Ratsici. Sororino nostro Benes villam Cladorub. Kocasice. Domaslaw. Hermanno seruienti Zadub. Marsoni Krasicow. Mirkow. Miquarto Cocotow. Blasio Polsice. Wogslao et Boguslao Bezdruzice. Pribislao et Wladorio Podgore. Bodiwog Tizu. Jarosowi Jabloni. Miloslao Welebudici. Detriko Slatinicci. Item Miquarto Nenkowici. Predborio Nascalsce. Blasio clienti Nauisocei. Klimete Scrrihlebee. Zezeme et Milote fratri eius Hocen. Wizrece. ita ut diuiso nemore cum sepulchrariis faciant sibi noualia. Nacasso Nalgote et nemus. Nalubhane. Johanni Vmostka Oslowi Wlocoti. Olesna. Voyslao Vgerci. Conrado Goreni Napronowe. Et quia omnium habere memoriam pocius est diuinitatis quam humanitatis ut ultime uoluntatis mee disposicio perpetuum robur obtineat firmitatis. testamentum meum feci in scriptis redegi. faciens illud mei sigilli munimine roborari. Dominum eciam electum Pragensem rogaui. ut suum appenderet sigillum. Testes autem qui rogati a me in disposicione huius facti fuerunt. sunt isti. Dominus Martinus prepositus Sacensis. Clemens archidiaconus Bolezlawiensis. Dominus Berhardus Subd(iaconus) curie Romane. Pragenses canonici. Conradus Abbas de Opatow. Abbas de Ossek. Abbas de Milewsk. Abbas de Sedlec. Hroznata comes de Podebrad. Boguslaus. Vnka. Wok. Matheus. Castolow. Henricus. Zezema. Milota. Stognew. Benes. Nicolaus archidiaconus. Vogslaus canonici Pragenses. Anno dominice incarnacionis Millesimo XXVII. facta sunt hec et confirmata. hora prima.

Ex originali in c. r. bibliotheca Pragensi. — Excusum incorrectius dedi Dobner Monumenta IV. pag. 259.

CLXXIX.

Olakarus, qui et Přemysl, Boemiae rex, Petro, rectori provinciae Bilowensis, civitatem Gamnice dum construeret, dat licentiam vendendi monasterio Lucensi circuitum Lowětjn cum certis suis libertatibus. Act. Pragae, 1227.

In Nomine. Sancte et indiuidue Trinitatis. Amen. Ottacarus. qui et Premizl dei gracia Boemie Rex. Volentes immo firmiter precipientes. ea

que a nobis et ad honorem nostrum prouide disponuntur rata haberi et firma. atque ab omnibus inuiolabiliter obseruari. nec debere processu temporis per quemquam hominum immutari. Notum facimus uniuersis. tam presentibus quam futuris. quod cum fidelis noster minister *Petrus rector prouincie Betouensis. ciuitatem in Jamnic cepisset edificare muro forti.* nec haberet sumptus sufficientes ad ipsam perficiendam. nos ei dedimus liberam licentiam circuitum quemdam nomine *Louetin* quem a nobis suo fideli seruicio promeruerat. domino Floriano abbati de *Luca* et toti conuentui uenumdandi. ita quod idem dominus abbas. et sui successores in aquis que ibidem fluunt Ihlawa scilicet et crupi ubicumque uelit. possit ad quemcumque locum eedem aque deriuentur piscinas et molendina licite collocare. omnium fluminum ibidem labentium ripas hereditario iure possidendo. Hanc etiam eidem abbati et suis successoribus de nostra gracia in eodem circuitu dedimus libertatem. ut quicumque fur inter suos homines. quos in ipso eodem circuitu collocauerit fuerit deprehensus. collum domino terre et suis beneficiariis assignet. bona uero furis claustro integre et sine cauillatione aliqua statuimus assignari. Et ut hec omnia rata et stabilia perpetuo perseuerent. nec per quemquam hominum imposterum immutentur. presens priuilegium sibi et suis successoribus pro testimonio fecimus exhiberi. Actum Prage. Anno incarnationis dominice Millesimo CC. XXVII. Indictione XV. Testes. Johannes Episcopus pragensis. Hermannus prepositus Lutomericensis. Vipertus prepositus Znoymensis. Zauise Judex curie regis Boemie. albertus subpincerna. albertus subcamerarius. Henricus et Vitko filii uitkonis. Woc filius Borute. Zuest. Wirs purgravius et Bohuse castellanus de Znoym. Radozlav Magister uenatorum. Bartus iudex de Betov.

Ex originali monasterii Lucensis cum sigillo illaeso; sign. H. 3.

CLXXX.

Otakarus, qui et Přemysl, Boemiae rex, donat Petro, rectori provinciae Bitowensis, pro sumtibus in construenda civitate Gamnice impensis quasdam adjacentes villas cum aurifodinis et proventu metallorum de montibus circa Gamnice. Actum Pragae, 1227.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Amen. Ottacarus, qui et Premizl, dei gracia Boemie Rex. Volentes, immo firmiter precipientes,

ea, que a nobis et ad honorem nostrum prouide disponuntur, rata haberi et firma, atque ab omnibus inuiolabiliter obseruari, nec debere processu temporis per quemquam hominum immutari: Notum facimus vniuersis tam presentibus quam futuris, quod, cum fidelis noster minister *Petrus, rector prouincie Betouiensis, ad perficiendam ciuitatem in Jamnic, quam cepisset muro forti edificare,* non habens sumptus sufficientes, circuitum quendam, qui uulgariter *Louetin* nuncupatur, quem a nobis suo fideli seruicio promeruerat, domino Floriano, abbati de *Luca,* et toti conuentui ibidem, de nostro fauente assensu cum omni iure et pertinenciis uendidisset, nos ipsi in recompensam tantorum sumptuum de nostra gracia speciali, qua eundem fidelem ministrum nostrum prosequimur, villam nostram *Boianouice* totam, *Hostakouice* dimidiam et curiam in *Vnenice* villa cum omni proprietate dedimus et concedimus iure hereditario perpetuo possidendam. Insuper de libera nostra uoluntate et auctoritate regia confirmamus eidem fideli nostro suisque heredibus usum et urburam aurifodinarum, que nunc ibidem in circuitu ciuitatis Jamnic sunt, atque in futurum fuerint ibidem reperte, omnemque prouentum de montibus ibidem, siue sit in auro, argento, plumbo, ferro aliisque metallis, fauorabiliter admittimus libere et hereditarie percipiendum nunc et in futurum. Inhibemus itaque et mandamus magistro montium de Igla, et uniuersis magistris, urbariis et iuratis montanorum per Bohemiam et Morauiam, ut prefatum fidelem nostrum Petrum suosque successores contra omnes iuris, sibi a nobis benigne concessi, violatores defendant fideliter et tueantur, sub fauoris nostri regii obtentu. Et ut hec omnia rata et stabilia perpetuo perseuerent, nec per quemquam hominum imposterum immutentur, presens priuilegium scribi, et ipsi suisque heredibus pro testimonio fecimus exhiberi. Actum Prage. Anno incarnationis dominice M. CC. XXVII. Indictione XV. Testes: Johannes, episcopus Pragensis. Hermannus, prepositus Lutomiricensis. Vipertus, prepositus Znoymensis. Zauise, iudex curie regis Boemie. Albertus subpincerna. Albertus subcamerarius. Henricus et Vitko, filii uitkonis. Woc, filius Borute. Zuest. Wrs, purgrauius, et Bohuse, castellanus de Znoym. Radozlaus, magister uenatorum. Bartus, iudex de Betow.

E copia sec. XIV. in archivo monasterii Lucensis.

CLXXXI.

Otakarus et Wenceslaus reges sub attestatione episcoporum Pragensis et Olomucensis profitentur, reges Boemiae ab archiepiscopo Moguntino esse coronandos. Dt. Pragae, 1228.

In nomine domini, amen. Odacharus et Wencezlaus reges incliti. Vniversis Christi fidelibus presens scriptum intuentibus salutem in perpetuum. Confitemur et publice protestamur, quod tam nos, quam omnes successores nostri, consecrationem regalem et diadematis impositionem de sacrosancte sedis Moguntine Archiepiscopo, terre nostre Metropolitano in perpetuum tenemur recipere. Si vero idem Archiepiscopus requisitus, se pro motu animi sui subtraxerit alteri episcopo, quem nos uel successores nostri postulauerint, vicem suam ad exequendum committet. Vt autem hoc ratum et inconvulsum permaneat, hanc paginam de consensu venerabilium et dilectorum Pragensis et Olomucensis episcoporum et supanorum nostrorum, appensione sigillorum nostrorum roboravimus. Data Prage, anno dominice incarnationis MCCXXVIII. indictione prima.

Gudenus Codex dipl. Moguntinus I. pag. 500. — Item minus correcte Goldastus in Appendice 34. Balbinus et alii.

CLXXXII.

Otakarus, Boemorum rex, cum Wenceslao filio in regem tunc temporis consecrato monasterio Teplensi bona ablata resarcit ad monitionem Siegfriedi archiepiscopi Moguntini, et episcoporum Johannis Pragensis, et Roberti Olomucensis. Acta in Strahow, 1228.

O(takarus) dei gratia Boemorum rex. una cum suo primogenito Venzeslao in regem eiusdem terre tunc temporis consecrato tam presentibus quam futuris. salutem in omnium saluatore. Quoniam nostre ac uniuersorum sortes mortalium sunt in manu dei et quid nobis crastina dies pariat ignoramus. cum vita hominum ac memoria labantur cum tempore labente. et sicut aque cito defluant. nos animarum nostrarum saluti prouidere cupientes. uniuersis presentem. lecturis paginam notum esse volumus

ac declaramus. quod nos. O. dei gratia rex. cum filio nostro. W. tunc temporis in regem consecrato. ad monitionem venerabilis patris nostri S. Maguntini archiepiscopi. ac dominorum et patrum nostrorum. Johannis et Roberti. Pragensis et Olomoncensis episcoporum. qua liberalitate ecclesie Teplensi villam que dicitur Cramolim. contulimus in perpetuum possidendam pro bonis quibusdam que eidem ecclesie abstulimus tam in ipsa villa Lutumeric. quam circa villam eandem. Et ne de donatione nostra de cetero dubitetur a quoquam. presentem litteram sigillorum nostrorum caractere duximus roborandam. Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XXVIII. in Stragov. coram venerabili patre nostro Maguntino archiepiscopo et dominis Pragensi (et Olomucensi) episcopis. ac aliis pluribus testibus. quorum nomina sunt hec. Arnoldus prepositus Wissegradensis. Herimannus prepositus Lutumericensis. Albertus abbas Placensis. Johannes archidiaconus Curimensis. Zdisselaus canonicus Olomucensis. Boruta. Zsuest et frater eius Sibodo. Brezislaus et duo filii eius. Brezislaus et Zihirninus. Heinricus et Withko. filii Withkonis. Zsuatozlaus. Wocko de Moravia. Albertus subcamerarius. Beneda de Zuessam. Zstresemirus filius Johannis. Cuno de Cunove. Ego Sifridus Maguntinus archiepiscopus facto prescripto interfui. et sigillum meum apponens roboraui. Ego Robertus Olomucensis episcopus huic facto interfui et sigillum meum appôsui. Ego Johannes Pragensis episcopus affui et sigillum meum apposui.

Ex originali monasterii Teplensis in analectis F. Palacky; sigilla avulsa desiderantur.

CLXXXIII.

Robertus, episcopus Olomucensis, decidit litem inter abbatem Lucensem et Martinum plebanum de Rohatec super decimis et juribus parochialibus. Dt. in Modřice in festo b. Mathiae, 1228.

Notum esse uolumus vuiuersis. quod nos Robertus dei gratia Olomucensis Episcopus. Martinum plebanum de *Rohother* pro causa que uertebatur inter ipsum et dilectum filium nostrum Abbatem de *Lucha* super decimis et quibusdam iuribus parochialibus in villis videlicet *Jazouic. Zlubiz. Mazouiz. Branzodiz* frequenter ad presentiam nostram citauimus. qui ali-

quando comparens coram nobis lite abiit contestata super decimis et iuribus memoratis. Iterato itaque peremtorie eidem Martino precepimus ut ueniret per se uel per responsalem idoneum dicto Abbati responsurus. Ipse autem nec per se uenit. nec procuratorem pro se misit. Ideoque ipsum reputantes contumacem parcentes laboribus et expensis dicti Abbatis. possessionem rerum petitarum Abbati de Lucha nomine ipsius ecclesie sue adiudicamus. et ipsum in possessionem mittimus. prohibentes sub pena excommunicationis ne quis eundem super predictis audeat molestare. Precepimus etiam dicto M. plebano ut fruges quas in principio litis de consensu utriusque partis usque ad finem cause posuimus in sequestro. infra unius mensis spatium abbati restituat et assignet. Quod si facere contempserit ex tunc excommunicationis sententie sit subiectus. Condempnamus etiam dictum M. Abbati in expensis quas occasione huius litis se fecisse probauerit idem abbas. Quod autem sententiam damus pro abbate nos monet quia ecclesia de Rohather non est limitata et monasterium de Lucha. decimas et alia iura ex ipsius fundationis exordio possedit diucius et percepit. Data in Modrice anno gratie M. CC. XXVIII. Quinta feria post Reminiscere in festo beati Mathie apostoli. Pontificatus nostri anno XXVII.

Ex originali monasterii Lucensis; sign. C. 4. — Sigillum est avulsum.

CLXXXIV.

Gregorius papa IX. praeposito Neuburgensi mandat, ut Joanni clerico praebendam in ecclesia Olomucensi restitui procuret. Dt. Romae III. Nonas Aprilis, 1228.

Gregorius episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis . . preposito et . . decano Nimburgensi salutem et apostolicam benedictionem. Dilectus filius Johannes clericus, natus nobilis viri Jacobi de arloco ciuis Romani, nobis exposuit, quod bone memorie C(onradus) Portuensis episcopus tunc in partibus illis apostolice sedis legatus, prebendam sibi in ecclesia *Olomucensi* concessit, quam nos eidem clerico postmodum duximus confirmandam, ac venerabilis frater noster . . episcopus Olomucensis annuam pensionem trium marcarum in supplementum dicte prebende propter tenui-

tatem ipsius eidem clerico ad preces dicti legati concessit; et licet pensionem eandem sibi promiserit liberaliter se annis singulis soluturum, de ipsa tamen nichil fuit ei per biennium persolutum. Unde eisdem episcopo et capitulo nostris damus litteris in mandatis, ut exhibeant eidem clerico tam prebende dicte fructus, quam pensionem anni preteriti et presentis, ac deinceps procuratori eius suo nomine de prebenda et pensione predictis respondere procurent. Quo circa dilectioni vestre per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatenus, si dicti episcopus et capitulum mandatum nostrum neglexerint adimplere, vos eos ad id auctoritate nostra sublato appellationis impedimento cogatis. Ceterum sciatis, quod . . . abbatem sancte crucis Cisterciensis ordinis Patauiensis dyocesis per litteras nostras rogauimus, ut predicta illius nomine recipiat annuatim, et fideliter transmittat eidem. Datum Rome aput sanctum Petrum III. Nonas Aprilis. Pontificatus nostri anno secundo.

Fischer Schicksale von Kl. Neuburg Urk. Buch pag. 184.

CLXXXV.

Přemysl, qui et Otakarus, rex Boemorum, confirmat fundationem monasterii Oslowanensis, a nobili matrona Heilwide factam, et libertates, quibus monasterium Welehrad fruitur, concedit. Dt. Oslowan VII. Idus Novembris, 1228.

In nomine sancte trinitatis et indiuidue unitatis. Ego Premizl qui et othacarus tercius rex Boemorum. *Cenobio in valle s. Marie* constituto. et in eo degentibus in perpetuum. Cum regalem deceat excellenciam uenerari. et promouere sanctam in omnibus ecclesiam. congruum nostre uisum fuit clemencie id iniciari et exequi quod nostre serenitati cederet ad meritum. et sancte matris ecclesie transiret ad prouectum. Ibi enim recte locantur beneficia. ubi crescunt merita. Ibi decenter impertitur gracia. ubi cum premiis cumulatur gloria. Nouerint itaque tam presentes quam futuri. nos quoddam monasterium monialium Cisterciensis ordinis. a quadam nobili matrona nostra domina *Helwidi* ex consensu nostro et approbacione

venerabilis patris nostri Roberti Olomucensis episcopi. in regno nostro et episcopatu eius constructum. et in brunnensi prouincia constitutum. quod *Ozlawan* vulgo uocatur. cuius nomen ipsius immutatum est in *Vallem sancte Marie* auctoritate venerabilis patris nostri Roberti Olomucensis episcopi ad peticionem prefate matrone. et quorundam baronum nostrorum. in nostram tutelam et protectionem sicut merito debemus recepisse. cum omnibus ibi commanentibus. videlicet sanctimonialibus et earum ministris. earumque prediis et possessionibus. siue acquisitis siue acquirendis. Cui monasterio eandem dedimus libertatem quam dedimus Welgradensi cenobio. Cisterciensis ordinis. a nostra benignitate et inclite memorie fratris nostri Wladizlay quondam marchionis morauie inpensis et expensis fundato et constructo. Libertas autem hec est quam a pietate nostra statuimus et sanccimus firmiter obseruari. scilicet omnes villas et possessiones quas ecclesia illa possidet uel possessura est ubicunque site sint in regno nostro siue in Boemia siue in Morauia. ab omni onere tributorum. vectigalium. collectarum aliarumque exactionum. siue in quatuordecim ad principem uel beneficiarios spectantibus quocunque modo nominentur esse absolutas. Adicientes ut nullus principum successorum nostrorum uel baronum nobis uel eis subiectorum. pro castrorum edificatione uel reedificatione uel aliqua ingruenti expedicione. homines prefati cenobii audeat inquietare. Jus autem quod datur pro capite eis concedimus. hoc de fure statuentes si in eorum habitat possessionibus. et deprehensus fuerit in furto manifesto. uel de aliquo occulto accusetur. videlicet quod ad iudicium ferri candentis uel aque uel uomeres calcandos uel duelli et conuincatur in aliquo istorum in iudicio seculari. eidem monasterio bona furis siue rei integraliter remaneant. Jvdices autem quorum interest. faciant de eo quod eis iustum uidebitur. Si autem homines eiusdem cenobii coram iudicibus nostris culpabiles inueniantur. nec in nobis nec iudicibus nostris curialibus uel beneficiariis aliquid inde utilitatis proueniat. sed aput idem cenobium culpe perseueret satisfactio nisi in eo in quo tenetur satisfacere aduersario. Ceterum ut omnia breuiter conprehendamus. omnem utilitatem que spectat ad usus nostros uel successorum nostrorum uel beneficiarios nostros a nobis infeudatos. eis remittimus. ut plena et perfecta gaudeant libertate. et ut nullus eis nouas condiciones contra statuta nostra audeat inponere. et hoc

ideo fecimus. quia quanto est fragilior et tenerior sexus muliebris diuinis mancipatus officiis. tanto amplioris regie magnificencie debet uallari beneficiis. et muniri presidiis. Statuimus etiam ut nullus camerarius intret villas monasterii ad aliquem citandum uel ad aliquid ibi faciendum. sed significet procuratori domus illius cui commissa fuerit procuracio in temporalibus. ut eos citari faciat. qui sunt citandi. quatinus die et loco determinato eos coram iudicibus statuat. quorum interest causas et negocia regni nostri tractare et diffinire. Si quis autem alicui persone religiose. infra septa monasterii constitute manus iniecerit uiolentas ad aliquam ibi dehonestandam capite puniatur. et pro emunitate lesa monasterio decem marcas auri componat. nisi quoad sentenciam capitis aliud nostre uisum fuerit clemencie. Si uero quis irruperit claustrum monasterii ibi aliquid iniuste rapiendo. ablata restituat. atque in cameram nostram et successorum nostrorum decem marcas auri componat. uel secundum quod uisum fuerit nostre serenitati satisfaciat. Insuper statuimus. ut quicunque nobilium uel potentum in prefati monasterii curiis uel uillis pernoctando uel intrando eidem extiterint iniuriosi. bannum nostrum in decem marcis componant. et ei dampna illata in duplum restituant. Huius autem libertatis a nobis concesse. et regali munificencia donate. prefato monasterio heredes nostros tutores constituimus et defensores. et precipue *filium nostrum Wenzezlaum in regem consecratum. et fratrem eius Premizl marchionem morauie.* Hoc sanccientes ut huius priuilegii uiolatores in cameram nostram et successorum nostrorum decem marcas auri componant. Insuper rogauimus venerabilem patrem nostrum *Robertum.* Olomucensem episcopum. in presentia filii nostri Premizl marchionis morauie. necnon baronum nostrorum. ut omnes qui prefati cenobii uiolarent emunitatem. qui eciam tunc temporis ecclesiam consecrauit. cui nos cum illustri coniuge nostra *Constancia* et filio nostro Premizl antedicto interfuimus excommunicaret. Addentes eciam. ut homines prefati cenobii per thelonea transeuntes in rebus que spectant ad opus uel usus ecclesie ad eam in necessitatibus eius deferendis uel transducendis. sint a pedagiis et theloneis absoluti. Mercatores uero soluant quod sui iuris est. Hoc eciam omnibus esse uolumus manifestum quod sine offensa nostri erit. si prescriptus episcopus et eius successores. nostrarum constitucionum. in hac pagina et in priuilegio Welgradensi contentarum. secundum eccle-

siastica iura punierint transgressores. Possessiones autem quas ad presens possident sunt hec. *Ozlawan cum suis specialibus pertinenciis. Gnanleizdorf. cum omnibus suis pertinenciis. Martiniz cum suis. Leccowiz cum suis. Babiz cum suis. Chelesiz cum suis. Milocowiz cum suis Vsecowiz cum suis. Vinee quedam in luca site. Ecclesia de zelub. Et ius patronatus ecclesie sancti Jacobi in Brunna.* Vt autem hec omnia rata et inconcussa perpetuo permaneant. hanc nostre serenitatis paginam nostro sigillo fecimus communiri. et rogauimus reuerendum patrem nostrum Robertum Olomucensem episcopum. quod in huius rei testimonium suum sigillum adponeret. Huius autem concessionis quoad libertates ecclesie antedictas. a nostra regia maiestate prolate. baro noster Leo camerarius Olomucensis in presencia multorum tam clericorum quam laicorum regni nostri fuit promulgator. et libertatem prefati monasterii a nobis concessam sollempniter pronunciauit. Cuius rei testes hii. Albertus abbas Welgradensis. Hugo et Hartmannus monachi eiusdem cisterciensis ordinis. Arnoldus abbas Trebecensis. Petrus et Paulus monachi eiusdem. Petrus abbas Gradicensis cum quibusdam fratribus suis. Florianus prepositus cvnicensis. Hermannus prepositus Luthomericensis. Lucas prior. Petrus. Sdico premonstratensis ordinis. Esau et Henricus canonici Olomucenses. Zdizlaus. Thomas. Hilarius. Fridericus capellani curie nostre. Conradus notarius noster in brunna. Nobiles autem et barones nostri sunt hii. Leo camerarius Olomucensis. Marcuardus frater benes. Theodericus Hrutowiz. Stephanus de Medlow. Bohuzlaus de Wranow. Ratibor. Wrse camerarius. Hartlibus castellanus Znoymensis. Wilhelmus cum fratre suo. Milis. Rabota. Martinus. Zpitata. Ben castellanus betovensis. Welen. Bares. Riwin. Voizlaus. et frater eius. Taz iunior. Adwie. Proztey. Othazlaus. Mathias. Woluramnus. Sdizlaus. Strachota. Theodericus. Rvbinus. Chuno procuratores nostri Znoymensis. Brunnensis et Olomucensis prouinciarum. et alii quam plures. Insuper nouerint vniuersi quod denunciacio antedicta facta per Leonem baronem nostrum super prefatis libertatibus a nostra maiestate concessis cenobio sepedicto. auctoritate nostra et mandato nostro fuit promulgata. Facta autem sunt hec anno ab incarnatione domini M. CC. vicesimo VIII. Regni nostri anno XXXIII. VII. Idus Nouembris. Indictione I. in loco. qui vulgariter appellatur Ozlawan in quo idem monasterium fundatum est et

constructum. Data per manum notarii nostri Hermanni prepositi Luthomericensis. VII. Idus Nouembris.

Ex originali confirmatione Wenceslai regis ab anno 1232. in curia Brunensi.

CLXXXVI.

Premysl, qui et Otakarus, rex Boemorum, confirmat fundationem monasterii Welehradensis a fratre suo Wladislao, quondam marchione Moraviae, factam, latissime descriptis ejusdem possessionibus et libertatibus. Datum Welehrad V. Kal. Decembris, 1228.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Ego Primizel qui et Otthakarus tercius Rex Boemorum monasterio Welegradensi. Cysterciensis ordinis et ministris dei ibi degentibus in perpetuum. Cum Regalem deceat excellentiam venerari et promouere sanctam in omnibus ecclesiam. nostre uisum fuit clementie id iniciari et exequi quod nostre serenitati cederet ad meritum. et sancte matris ecclesie transiret ad profectum. Ibi enim recte locantur beneficia. ubi crescunt merita. Ibi decenter impertitur gracia. ubi cum premiis cumulatur gloria. Nouerint itaque tam presentes quam futuri. nos ex consilio fratris nostri et petitione *Wladizlai* quondam illustris Marchionis Morauie. nec non et reuerentissimi patris nostri Ruperti. Episcopi Ollomucensis assensu. domum Cysterciensis ordinis *Welegrade* construxisse. et prout tunc temporis potuimus ditasse eandem. ut seruis dei ibi degentibus. cottidianus inde proueniat uictus et uestitus. necnon eciam in nostram et successorum nostrorum tutelam et protectionem sicut merito debemus. eandem recepisse. cum omnibus ibi commanentibus eorumque prediis et possessionibus. siue acquisitis siue eciam acquirendis. et a nostra benignitate nennon inclite memorie fratris nostri antedicti impensis et expensis fundato et edificato. hanc libertatem donasse. Libertas autem hec est quam a pietate nostra statuimus et sanccimus firmiter obseruari. scilicet ut omnes uillas et possessiones quas modo ecclesia ista possidet uel postea est possessura. ubicunque in Regno nostro site sunt. siue in Boemia siue in Morauia. ab omni onere tributorum. redigalium collectarum. aliarumque exactionum. siue in quatuordecim ad principem uel beneficiarios spectantibus.

quocunque modo nominentur. esse absolutas. Adicientes ut nullus principum successorum nostrorum uel baronum nobis uel eis subiectorum pro castrorum edificatione uel reedificatione uel aliqua ingruenti expeditione homines prefati monasterii audeat inquietare. Jus autem quod datur pro capite eis concedimus. Hoc eciam de fure statuentes. si in eorum habitat possessionibus et deprehensus fuerit. in furto manifesto uel aliquo occulto accusetur. videlicet quoad iudicium ferri candentis. uel aque. uel uomeres calcandos. uel duelli. et conuincatur in aliquo istorum in iudicio seculari. eidem monasterio bona furis siue rei integraliter remaneant. Judices autem quorum interest faciant de eo quod eis iustum uidebitur. Si autem homines eiusdem monasterii coram iudicibus nostris culpabiles inueniantur. nec nobis nec iudicibus nostris curialibus uel beneficiariis aliquid inde utilitatis proueniat. sed aput iddem cenobium culpe perseueret satisfactio. nisi in eo in quo tenetur satisfacere aduersario. Ceterum ut omnia breuiter comprehendamus omnem utilitatem que spectat ad usus nostros uel successorum nostrorum uel beneficiarios nostros. a nobis infeudatos. ei remittimus. ut plena et perfecta gaudeat libertate. Et ut nullus ei nouas conditiones contra nostra statuta audeat imponere. uel eius iura immutare. Statuimus eciam ut nullus camerarius intret uillas monasterii ad aliquem citandum. uel ad aliquid ibi faciendum. sed significet procuratori domus illius cui abbas cum fratribus commisit procurationem in temporalibus. ut eos citari faciat qui sunt citandi. quatenus die et loco determinato eos coram iudice statuat. quorum interest causas et negocia regni nostri tractare et diffinire. Si quis uero alicui persone religiose infra septa monasterii constitute manus iniecerit uiolentas. ad aliquem ibi dehonestandum. uel aliquid inde abstulerit ausu temerario. manifeste. bannum nostrum quo ad XXX. marcas componat. et monasterio dampnis suis resarcitis. in totidem satisfaciat. Prohibemus eciam ne uenatores nostri uel caniductores in abacia uel eorum uillis sine abbatis et fratrum consensu. pernoctent uel aliquid ibi inferant violentie. et hoc sub pena X. librarum monete prouincialis. nisi abbati placuerit et fratribus eis aliquid in uictualibus inpendere. Id eciam addentes quod si exstiterint eis iniuriosi. liceat eis ipsos sine offensa nostra de domibus et possessionibus uiolenter expellere. Insuper statuimus quod quicunque nobilium uel potentum in prefati monasterii curiis uel uillis

pernoctare (sic) uel intrando eidem exstiterint iniuriosi. bannum nostrum in X. marcis componant et eidem monasterio dampna illata in duplum restituant. Adicimus eciam ut homines prefati cenobii per thelonea transeuntes. in rebus que spectant ad opus uel usus ecclesie ad eam in necessitatibus eius deferendis uel transducendis. sint a pedagiis et theloneis absoluti. Mercatores uero soluant quod sui iuris est. Huius autem libertatis a nobis concesse et regali munificentia donate. prefate domus heredes nostros et successores tutores constituimus et defensores. et precipue filium nostrum *Wencezlaum* in Regem consecratum et fratrem eius *Premizhel* filium nostrum Marchionem Morauie. hos sanctientes ut huius priuilegii uiolatores in cameram nostram et successorum nostrorum X. marcas auri componant. Insuper rogauimus venerabilem patrem nostrum Rupertum episcopum Olomucensem in presentia filii nostri Premizel Marchionis Morauie nec non baronum nostrorum ut omnes qui prefati monasterii uiolarent emunitatem et libertatem eidem nostra Regia munificentia collatam. qui tunc temporis eandem ecclesiam consecrauit. cui consecrationi nos cum illustri coniuge nostra *Constantia* et filio nostro Premizel sepe dicto presentialiter interfuimus. excommunicaret. Quod et factum est ab eodem. et hoc eciam omnibus uolumus esse manifestum quod sine offensa nostra erit. si prescriptus episcopus et eius successores nostrarum constitutionum in hac pagina contentarum secundum ecclesiastica iura punierint transgressores. Mete autem circuitus Welegrade infra subscripta intersignia locorum protenduntur scilicet riuulus Bezca. qui fluit ad septentrionem. Ad occidentem lapis qui dicitur kralau stul. de hinc mons qui nominatur Zchala postea ambiens siluam vgezd et Polisowiz et sic per insulam tendens in morauam. Infra predictas metas et in omnibus siluis quas huic domui contulimus in morauia et in omnibus aquis liberam habeant potestatem. ut nullus in pascuis in piscatione. et venatione eos inquietare presumat. sed nec venator aliquid sibi uendicet iuris. Verum omnem utilitatem vndecunque prouenientem. cenobium illud libere et absolute possideat. Possessiones uero eiusdem cenobii sunt hee. *Welegrad ciuilas primo Modoburgus. Coztelen. Nenakewiz. Polisowiz. Borschiz. Vgezd. Zlechowe. Secschæ. Capella in Zpitlingniv. Vschænowiz. In Babiz ad duo aratra. Mareliz. Poppowiz superius et Poppowiz inferius. Knesopole. Briezl. Chvalchowiz.*

Zdeboriz in provincia Oppaviensi cum nemore adiacente et omnibus attinentibus uersus occidentem usque in torrentem qui dicitur morawize. Syrodki. Nuoluosdi. Juxta Brunam et ortulani vinee. Cwenowiz. Brieschane. Britteluche. Massitz. Pottworiz. Vneschowiz. Corsitz cum monte ubi site sunt vinee. Curiam in Podwin. Due curie in Oppauia. Curia in Brvnna. Nempschiz. Ottradiz. Zettokowiz. Mistrin. Parissowiz. Tuorchowe. Biescha. Thesshane. Barice. Trapleiz. Jarosschowe. Wasan. Domankowiz. Molendinum in Vnischowe et domus que soluunt tres marcas annuatim. Passlawiz ad duo aratra. Brizowitz in provincia Znoymensi. curia et molendinum. Ecclesia sancti Johannis iuxta Weligrade cum agris suis. iuxta Welika ad uillam unam. Biscopiz. Tupez. Zablazan et vsnowitz cum suis appendiciis. Vt autem hec omnia rata et inconcussa perpetuo maneant. hanc serenitatis nostre paginam nostro sigillo fecimus communiri. et rogauimus reuerendum patrem nostrum Rupertum Olomucensem episcopum ut in huius rei testimonium sigillum suum appenderet quod facturum se promisit. Cuius rei testes sunt. Dominus Jacobus Nitriensis episcopus. Heinricus Zwetlensis. Sigbertus Placensis. Arnoldus Trebecensis. Petrus Gradicensis abbates. Theodricus Olomucensis Bohuta bolezlaviensis. Hermannus lvtomericensis prepositi. Radozlaus et Esav archidiaconi et canonici. Stizlaus. Gerhardus. Heinricus Alexius et Gregorius canonici Olomucenses. Stizlaus Brvonensis prepositus. Waltherus pathaviensis canonicus. Bartholomeus canonicus Olomucensis. Thiemo canonicus bolezlaviensis. Cvnradus scriba Regis in Brvnna. Zlawich et Gerhardus capellani episcopi Olomucensis. Comes Cvonradus de hardeke. Heinricus de Kyowe. Theodericus de vehtowe et hruto filius eius. Wrso camerarius Znoymensis. Bohuzlaus castellanus de fræn. Stephanus de medelowe cum filio suo woytech. Diwis castellanus de græce. Holasche castellanus olomucensis. Petrus filius Wlaztiborii. Henricus de Gozenberene. Johannes Lozoz. Ratiborius. Pardvz. Martinus. Welen. verchozlaus. Miligh Cerreo dapifer et Scaztelov frater eius. Benco. Wocco camerarius. Bvdiwoy filius Ben. Zemizla. Wiez. Victor. Bludo. Nedamirus. Jurich. camerarius Regine. Mileta. Otezlaus miles domini episcopi Olomucensis. Hogerus dapifer. Mirozlaus pincerna. Woytech marscalcus. Witigo. Nienech. mathias et frater eius Bigno. Mracota. Henricus. Bribizlaus. Pertherus et quam plures alii. Acta sunt

hec publice anno ab incarnatione domini. M. CC. XXVIII. mense Nouembri. Indictione I. in consecracione ipsius ecclesie que sunt V. Kalendas decenbris. Regni nostri anno XXXIII. Datum autem per manum Hermanni prepositi Lvthomericensis notarii nostri antedicti. presidente eidem cenobio domino Alberto venerando.

Ex originali cum tribus sigillis adpendentibus in archivo ejusdem monasterii; sign. A. 2. — Secundum originale, cum in plurimis a primo differat, mox in sequenti ad verbum inseritur. — Tertium vero autographum in c. r. archivo aulico Vindobonae est depositum. — Excusum mendose apud Sommersberg.

In nomine sancte trinitatis et indiuidue unitatis. Ego Premizl qui et Othacarus tercius Rex Boemorum Monasterio Welligradensi. *Cisterciensis ordinis. et ministris dei ibi degentibus inperpetuum. Cum regalem deceat excellentiam venerari et promouere sanctam in omnibus ecclesiam congruum nostre uisum fuit clementie id iniciari et exequi quod nostre serenitati cederet ad meritum et sancte matris ecclesie transiret ad proiectum. Ibi enim recte locantur beneficia vbi crescunt merita. Ibi decenter inpertitur gratia vbi cum premiis cumulatur gloria. Nouerint itaque tam presentes quam futuri nos ex consilio fratris nostri et petitione* Wladizlay condam illustris marchionis Morauie *necnon et reuerentissimi patris nostri Roberti. episcopi Olomucensis assensu. domum Cisterciensis ordinis in* Weligrade *construxisse. et prout tunc temporis potuimus eandem ditasse. ut seruis dei ibi degentibus cotidianus inde proueniat uictus et uestitus. nec non etiam in nostram et successorum nostrorum tutelam et protectionem. sicut merito debemus eandem recepisse cum omnibus ibi commanentibas eorumque prediis et possessionibus. siue acquisitis. siue etiam acquirendis. et a nostra benignitate necnon inclite memorie fratris nostri antedicti inpensis et expensis. fundato et edificato. hanc libertatem donasse. Libertas autem hec est. quam a pietate nostra statuimus et sanccimus firmiter obseruari scilicet omnes villas et possessiones quas modo ecclesia ista possidet uel postea est possessura. ubicunque in regno nostro site sunt. siue in Boemia. siue in Morauia. ab omni onere tributorum. vectigalium. collectarum. aliarumque exactionum. siue in quatuordecim. ad principem uel beneficiarios spectantibus*

quocumque modo nominentur esse absolutas. Adicientes ut nullus principum successorum nostrorum uel baronum nobis uel eis subiectorum pro castrorum edificatione. uel reedificatione. uel aliqua ingruenti expeditione. homines prefati monasterii audeat inquietare. Jus autem quod datur pro capite eis concedimus hoc de fure statuentes. Si in eorum habitat possessionibus et deprehensus fuerit in furto manifesto. uel de aliquo occulto accusetur. videlicet quo ad iudicium ferri candentis. uel aque. uel uomeres calcandos. uel duelli. et conuincatur in aliquo istorum in iudicio seculari. eidem monasterio bona furis siue rei integraliter remaneant. Judices autem quorum interest faciant de eo quod eis iustum uidebitur. Si autem homines eiusdem monasterii coram iudicibus nostris culpabiles inueniantur. nec nobis. nec iudicibus nostris curialibus uel beneficiariis. aliquid inde utilitatis proueniat. Sed apud idem cenobium culpe perseueret satisfactio. nisi in eo in quo tenetur satisfacere aduersario. Ceterum ut omnia breuiter comprehendamus omnem utilitatem que spectat ad usus nostros. uel successorum nostrorum. uel beneficiarios nostros a nobis infeudatos. ei remittimus. ut plena et perfecta gaudeat libertate. et ut nullus ei nouas condiciones contra nostra statuta audeat imponere. uel eius iura mutare. Statuimus etiam ut nullus camerarius intret uillas monasterii. ad aliquem citandum. uel ad aliquid ibi faciendum. sed significet procuratori domus illius. cui abbas cum fratribus comisit procurationem in temporalibus. ut eos citari faciat qui sunt citandi. qualinus die et loco determinato eos coram iudicibus statuat. quorum interest causas et negocia regni nostri tractare et diffinire. Si quis uero alicui persone religiose infra septa monasterii constitute. manus iniecerit uiolentas ad aliquem ibi deonestandum. uel aliquid inde abstulerit ausu temerario. manifeste bannum nostrum quo ad XXX marcas componat. et monasterio dampnis suis resarcitis. intotidem satisfaciat. Prohibemus etiam ne uenatores nostri uel caniductores in abbacia uel eorum uillis sine abbatis et fratrum consensu pernoctent. uel aliquid ibi inferant uiolentie. et hoc sub pena decem librarum monete prouincialis nisi placuerit abbati et fratribus eis aliquid gratie in uictualibus inpendere. Id etiam addentes quod si exstiterint eis iniuriosi. liceat eis ipsos sine offensa nostra. de domibus et possessionibus suis uiolenter expellere. Insuper statuimus quod quicumque nobilium uel potentum. in prefati monasterii curiis uel uillis

pernoctando. uel intrando eidem exstiterint iniuriosi. bannum nostrum in decem marcis componant. et eidem monasterio dampna illata in duplum restituant. Adiecimus etiam ut homines prefati cenobii per telonea transeuntes. in rebus que spectant ad opus uel usus ecclesie. ad eam in necessitatibus eius deferendis uel transducendis. sint a pedagiis et teloneis absoluti. Mercatores vero soluant quod sui iuris est. Huius autem libertatis a nobis concesse et regali munificencia donate prefate domus heredes nostros et successores tutores constituimus et defensores. et precipue filium nostrum Wenczlaum in regem consecratum. et fratrem eius Bremizl. filium nostrum Marchionem Morauie. *Hoc sanccientes ut huius priuilegii uiolatores in cameram nostram et successorum nostrorum X. marcas auri componant. Insuper rogauimus uenerabilem patrem nostrum Robertum Olomucensem episcopum inpresencia filii nostri Bremizl Marchionis morauie. necnon baronum nostrorum ut omnes qui prefati monasterii violarent emunitatem et libertatem. eidem nostra regia munificencia collatam qui etiam tunc temporis ecclesiam eandem consecrauit. cui consecrationi nos cum illustri coniuge nostra Constantia et filio nostro Bremizl sepe dicto presencialiter interfuimus. excommunicaret. Quod et factum est ab eodem. Et hoc etiam omnibus volumus esse manifestum. quod sine offensa nostra erit si prescriptus episcopus et eius successores nostrarum constitutionum in hac pagina contentarum. secundum ecclesiastica iura punierint transgressores. Mete autem circuitus Weligrade infra subscripta intersignia locorum protenduntur scilicet riuulus Bezka qui fluit ad septentrionem. Ad occidentem lapis qui dicitur* kralawstol. *dehinc mons qui nominatur zhcala. postmodum ambigens siluam vgezd et Polisowiz. et sic per insulam tendens in morauam. Infra predictas metas in omnibus siluis quas huic domui contulimus in Morauia et omnibus aquis liberam habeant potestatem ut nullus in pascuis piscatione. et venacione eos presumat inquietare. Sed nec venator aliquid iuris sibi vendicet. verum omnem vtilitatem vndecunque prouenientem cenobium illud libere et absolute possideat. Possessiones vero eiusdem cenobii sunt hee* Welihrad ciuitas primo. Modoburgus. Costelen. Nenakvniz. Polisowiz. Borschici. Vgezd. Zlechow. Setschæ. Capella Spitignev. Vschænowiz. In Babiz ad duo aratra. Maretiz. Popowiz. superius et Popowiz inferius. Knesepole. Briezt. Khwalkowiz. Zdeboriz. Sirodki. Nalusche

iuxta Brunnam et ortulani et vinee. Zwenowiz. Brieschenæ. Brikkluk. Massiz. Potworowiz. Vneschowiz. Scorschiz. cum monte ubi site sunt vinee. Curiam in Bodewin. due curie in Opauia. Curia in Brunna. Nemschice. Othradiz. Zetocowiz. Tessæne. Barice. Trapleiz. Jæroschowe. Wasan. Demankowiz. Mistrin. Parisshowiz. Tovrcowe. Bischæ. Molendinum in Vnisowe et domus alique que soluunt tres marcas annuatim. Passzlawiz. ad duo aratra. Brizowiz. In prouincia Znoymensi curia et molendinum. Ecclesia sancti Johannis iuxta Welihrad cum agris suis. Juxta Welika. ad villam unam. Bizcoupiz. Tupezzi. Partem Zablazan et partem in Babiz. Et hec omnia cum suis appendiciis. *Vt autem hec omnia rata et inconcussa perpetuo permaneant hanc nostre serenitatis paginam nostro sigillo fecimus communiri. et rogauimus reuerendum patrem nostrum Robertum Olomucensem episcopum. ut in huius rei testimonium sigillum suum appenderet. quod et fecit. Cuius rei testes sunt. Dominus Jacobus Nitriensis episcopus. Heinricus Zwetilensis. Sigbertus Placensis Arnoldus Trebecensis. Petrus Gradicensis abbates. Theodricus Olomucensis. Boutha Bolezlauensis. Hermannus Lvthomericensis prepositi. Radozlaus et Esau archidiaconi. et canonici Olomucenses. Sdizlaus. Gerhardus. Heinricus. Alexius et Gregorius. canonici Olomucenses. Sdezlaus Brunnensis prepositus. Waltherus canonicus Patauiensis. Bartholomeus. canonicus Wissegradensis. Themo. canonicus Bolezlauensis. Cunradus scriba regis in Brunne. Slauic et Gerhardus capellani domini episcopi Olomucensis. Comes Cunradus de Hardekke. Heinricus de Kyow. Theodricus de vetow. et Hrvlo. filius eius. Wersho. camerarius Znoimensis. Bovzlaus castellanus de Vranov. Stephanus de medelow. cum filio suo Voithech. Dewiz. castellanus de grece. Holache. castellanus Olomucensis. Semizlaus. Nunez. Victor. Bludo. Olomucenses. Petrus filius Vlastiborii. Heinricus de Bozen. Verene. Johannes Lozoz. Rathiborius. Bardvz. Martinus. Welen. Vrecoslaus. Milizce. Cerro. dapifer. et Chastalow frater eius. Wocco. camerarius. Bovdiuoje filius domini Ben. Nedamirus. Pardvz. Jvrich. camerarius regine. Milata. Othezlavus miles domini episcopi Olomucensis. Hogerus dapifer. Mirozlaus. pincerna. Voic. Podeconig. Chece. Vilco. Nienech. Mathias et frater eius Bieno. Benco. Mracota. Heinricus. Ywanus. Livboldus. Wlceco. Prebizlaus. Berhtherus. Cvnradus et quam plures alii. tam clerici quam laici. Acta*

autem sunt hec publice anno ab incarnacione domini M. CC. XXVIII. mense Nouembri. Indictione prima. in consecratione ipsius ecclesie que fuit. V. Kalendas decembris. Regni nostri anno. XXXIII. Data autem per manum Hermanni prepositi Luthomericensis notharii nostri. V. Kalendas Decembris. Regni nostri anno XXXIII. presidente eidem cenobio domino Alberto abbate wenerando. †.

Ex originali altero archivi ejusdem monasterii; sign. G. 3. in registratura c. r. Gubernii. —

CLXXXVII.

Otakarus, qui et Přemysl, rex Boemiae, confirmat et auget possessiones et immunitates monasterii Opatowicensis in remedium animae filii sui Wladislai, recolendae memoriae marchionis Moraviae. Actum Pragae, **1228.**

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Amen. Ottacarus, qui et Premisl dei gracia tercius rex Bohemie omnibus in perpetuum. Contingit plerumque, donationes legitimas factaque mortalium solempniter celebrata labente tempore immutari, nisi scripto memorie commendentur; littera enim viuit, et actio littere sagaciter commendata. Notum siquidem facimus uniuersis tam presentibus quam posteris, quod *ob remedium anime dilectissimi filii nostri Wladislai, recolende memorie illustris marchionis Morauie,* cum grato assensu nostre carissime coniugis *Constancie,* nec non primogeniti filii nostri *Wenceslai* in regem coronati gratuita voluntate, villam Stolan cum omnibus attinenciis suis monasterio sancti Laurencii in Opatouicz et fratribus ibidem domino deo deuote famulantibus contulimus iure hereditario possidendam. Item Chruppi dimidiam villam, et in Wtelno ad aratrum, et duos hospites Luchinici de Mylbezy. Przeulessie cum omnibus appendiciis suis. Policzie dedimus eidem monasterio nostro Opatouicensi et omnium nostrorum ob remedium animarum predecessorum. Herzen emimus pro pecunia ecclesie prenotate. Copisci in prouincia Luthomislensi, oblatam pro anima Stephani ministri fidelis et iudei baptizati, pro villa Dolany apud Mykus nobilem nostrum fecimus commutari. Item villam Mesilesiez apud Hroznatam de Podyebrad pro villa Skalicze sita in Swosoburno

fecimus commutari. Item Coyata filius Hrabysse villam Matharsov pro anima sua obtulit; et idem Coyata vir nobilis villam Slacouitz pro anima Petri filii Ratiborii sepedicto monasterio sancti Laurentii attribuit coram nobis. Item Czasta vir nobilis et prouidens saluti anime sue villam Drziczie domui sancti Laurentii obtulit. Mattheus, coquus noster, Wilkowigie de mea licencia addidit. Item Czaslavv supparius villam Czernogedii dedit. Zdeslavv filius Zeloluth Wessele iam sepe dicte ecclesie s. Laurentii dedit, ad quam accepit sepulturam. Otto et filius eius Stoyhnyevv Hlavveczko obtulerunt. Item prefate ecclesie venerabilis Cunradus abbas cum fratribus villam Placzimicz apud Johannem filium Jarohniew in nostra presencia pecunia comparauerunt. Item idem abbas apud Perardum Lutha iuxta Placzimicz pro XV. marcis argenti emit publice et aperte. Preterea nos rex Wenceslaus saluti anime nostre imposterum prouidendo Lhutam, nomine Prehrad, et molendinum in Luce indulsimus locari ad instanciam et peticionem eiusdem Cunradi abbatis venerabilis atque fratrum. Insuper siluam nostram, ville Missilesicz adiacentem, dedimus ex mera nostra liberalitate. Ibi enim decenter locantur beneficia, ubi crescunt merita. Propter prauorum hominum calumpnias et iniurias emersuras omnibus prescriptis nostris, et certorum bonorum nostrorum donacionibus seu emptionibus preter pontes reformandos plenariam ab omnibus exactionibus libertatem concessimus, videlicet ut pauperes ex omnibus prenotatis villis castellanorum siue beneficiariorum iudicio non astent, nisi velint propria voluntate, sed coram nobis et nostris successoribus iudicentur, et penam per sentenciam adiudicatam nulli alteri, nisi domino suo abbati et eius fratribus soluant secundum ius consuetudinis adinuente. De eo, quod vulgariter dicitur narok siue svvod, et de eo, quando aliquis interficitur, quod vvlgariter hlavva vocatur, et inde, quod narez sonat, iam supradictarum villarum incole sint perpetuo liberi et immunes. Et ut he nostre probaciones et aliorum virorum proborum oblaciones seu empciones antescripte, per nos confirmate solempniter et aperte, robur habeant firmitatis, nec debeant imposterum commutari, sed stabiliter perseuerent, presens priuilegium monasterii sancti Laurentii in Opatovvicz fecimus exhiberi, nostrorum sigillorum atque nostri sanctissimi patroni Wenceslai robore communitum. Actum Prage anno dominice incarnacionis MCCXXVIII. Indictione XI. Eodem

anno rex Wenceslaus militari gladio est accinctus, et a venerabili sacre Mogunciensis sedis Syffrido archiepiscopo extitit coronatus. Datum per manus Arnoldi cancellarii et prepositi Wischegradensis, Hermanni prepositi Luthomericensis notarii regie aule.

E copia monasterii aboliti Aulae reginae Brunensis. — Excusum dedit Piter in Thesauro abscond. pag. 195.

CLXXXVIII.

Wenceslaus, rex Boemorum, concedit hominibus monasterii Litomyšlensis in remedium animae fratris sui Wladislai, quondam marchionis Moraviae, exemtionem a jurisdictione laicali et in aliis. 1228.

In nomine sancte et indiuidue et perpetue trinitatis. Wenceslaus dei gracia Rex boemorum omnibus ad quos presens pagina deuenerit. salutem et fidei pietatem. Cum inter mundanas actiones. ea sola salubris ac meritoria permaneat. que diuine retributionis et obtinende perpetue beatitudinis gracia celebratur. alie omnes more liquentis aque cum tempore transeunt et labuntur. nichil secum temporalis delectationis retinentes preter peccata. que talibus generantur. hanc igitur considerationem animo reuoluentes. animaduertimus. qualiter bona monasterii Luthomislensis possent ad statum pristinum reformari. que per discordiam nobilium terre in tantum consumpta fuerant et distracta. ut etiam fratres ibidem diuinum officium peragentes. uictum et uestitum penitus non haberent. Nos itaque temporibus nostris bona claustralia dolentes taliter deperire. pro salute anime dilecti fratris nostri bone memorie. Marchionis Morauie. nomine Wadizlai. et pro remedio peccatorum nostrorum statuimus. et imperpetuum inuiolabiliter confirmamus. ut homines iam dicti monasterii hanc habeant libertatem. si in culpam inciderint. siue aliquis in uillis ecclesie eiusdem casu miserabili ab alio suffocetur. quod uulgariter hlaua dicitur. seu aliquo pro latrocinio incusetur. quod Boemice narok uocatur. siue etiam aliquando hac seruitute fuerint obligati. quod narez materna lingua nominatur. uel si quis hominum prefate ecclesie suspensus fuerint. quod wizelche Boemice dicitur. ab omnibus hiis ipsos penitus decernimus absolutos. arbitrio domini abbatis

relinquentes. ut pro hiis et aliis culpis homines suos pena debita puniat. in usus monasterii quicquid ex culpa prouenerit conuertendo. Ut autem nostra relaxatio et constitutio robur obtineat ueritatis. presentem paginam testibus subscriptis nostri sigilli caractere fecimus consignari. Acta sunt autem hec coram nostris fidelibus uidelicet. Witkone antiquo filio Witkonis. Wata subcamerario. et Bouzlao fratre eius. Zbrazlao subpincerna. Zlaunicho subdapifero. Drislao marsalcho. Jurik noscone. Petro milhozti filio. Ztrezimiro caluo. Milata de Morauia. Daleborio filio daleborii. Voyzlao canonico de Zaska. Magistro abdone. Petro capellano de nehanic. et aliis multis. Datum anno dominice incarnationis M. CC. XX. VIII. concurrente VI. Regni nostri anno primo. Amen.

E duobus originalibus ejusdem monasterii, quorum primum cum duobus sigillis appensis in registratura c. r. Gubernii Moravici, alterum in museo adservatur.

CLXXXIX.

Constantia, regina Boemorum, civitatem Hodonjn (Göding) secundum jus Teutonicorum locat, eique jura et libertates elargitur. 1228.

C(onstantia) dei gracia Bohemorum Regina, vniuersis Christi fidelibus presentem paginam inspecturis salutem in vero salutari. Sciant presentes et posteri, quod cum villicum nostrum Petrum fures et latrones et alii malefici interfecissent in *Godingen* super regale ciuileque ius nostrum conuocauimus viros honestos Theutonicos, et locauimus in ciuitate nostra tali iure: vt nulli dominio subditi essent, nec ulli seruirent, nisi michi et filiis meis. Item talem potestatem eis etiam tradidimus, quod nullus iudex dominaretur eis, nisi quem ipsi voluntarie eligerent. Et hec iura censualia sunt XXX denarii de laneo, de subside agrum habente XII denarii, de subside agro carente VI. Quicunque braxauerit ceruisiam, XII de qualibet braxatione. In lite cum aliquis se defendendo affugerit ad propriam domum, si aliquem occiderit, tenetur mortuus talem culpam soluere. Infra Rastam unam nullus presumat cerèuisiam braxare, et si quis presumpserit, abiudicatus est bonis suis et collo suo. Fur siue falsarius, si inuentus

fuerit, non alias nisi ibidem suffocetur. Et si quis aliquem interfecerit, caput pro capite ponderetur. Quicumque temerarius intrauerit domum alicuius et aliquem occiderit, soluat in domo VI solidos, et extra VI. Et si velit dampnificare aliquem violenter, soluat iterum VI solidos in domo, et extra VI. Si alapam dederit, manu careat, aut V talenta soluat, et iudici LXXII. Infra miliare faber, textor, calcifex aut qualiscunque artifex non compareat, nisi in eadem ciuitate. Molendinum soluat VIII modios siliginis, et IV tritici, et III solidos denariorum. Si non sufficit molendinum reddere ista, que prediximus, pendeat in gracia regine et in consilio ciuium. Item molendinum debet habere XX iugera agri et III subsides et piscatorem. Mercatores domos habentes nullum theloneum soluant, sed in transitu aque dimidium. Item kletska, sicca ligna, libere herbasque habeant, excepta viridi quercu. Pastor cum grege vadat libere in eadem silua. Insuper nulli iudicio subiaceant pro uita et bonis, qui meruerint, nisi in eadem ciuitate. Et illi, qui Petrum occiderunt, omnium habeant inimicitiam, et pro malefactoribus habeantur. Omnis homo in via pergens infra Rastam, pacem habeat de manu mea et filiorum meorum, qui pergendo querit forum. Ciuibus nostris in eadem ciuitate talem libertatem damus, quod nullum theloneum soluant per totam terram Morauie et Bohemie. Hanc etiam libertatem eis concedimus, quod nullum tributum soluant infra X annos. Huius rei testes sunt: Pardus, Twridse, Zudomir, Bun, Ninco. Capellani predilecti: Schedron, Marquardus. Datum anno domini Millesimo CC.XXVIII.

Ex originali confirmatione Joannis regis in tabulario civitatis ejusdem.

CXC.

Kazimjrus, dux Opoliensis, transfert monasterium ordinis Praemonstratensis de Rybnjk in Božjdom, ejusque possessiones confirmat. Datum in Opol, 1228.

In nomine patris et filii et spiritus sancti Amen. Nos Casimirus dei gratia dux Oppoliensis, filius ducis Mesconis, quondam bone memorie, notum facimus universis, tam presentibus quam futuris, quod ex instinctu dei pro remedio nostrorum peccaminum, ac salute animarum nostrorum

predecessorum, claustrum predicti conventus, quod antea per dominam Ludmillam pie recordationis matrem nostram, in Ribnick fuerat fundatum, de petitione et consensu sepe dicti conventus in Bozidom transferentes omnes donationes tam in hereditatibus, quam in libertatibus, iam sepe fate domui litteras nostras quoque his superaddentes de baronum nostrorum consilio confirmavimus. Primum ipsum Ribnick pro Czarnowans commutantes, exceptis tabernis et capella cum sorte sua in Falenik que pro suis usibus detinuerunt. Storogoston Most quoque cum omnibus suis proventibus Knesichen Krawarr, Wreblino, Bedrichowici, Walchi, Gracholuba, Stradunia, Susda, Brosci, Raduna, Sdazna, Dobrzen, Dzelnoza, Grudina, Lapcowici, Orrizen, Puncow, Radozevíci, Dedoboici, Dzelhonem, cum suis sortibus et molendino, et Lgatam que vocatur Munco. Istas omnes villas supra dictas tam a nobis quam a nostris predecessoribus, seu baronibus collatas, placuit nobis de nostra libertate mera cum pleno iure nostri dominii, perpetua libertate donare. Ita quod homines sub iurisdictione eorum, in predictis villis manentes, a nemine penitus provocentur, vel iudicentur nisi tantum a preposito domus dei, vel si causa talis fuerit, vel excessus, coram ipso duce provocati stare tenebuntur responsuri. Ita tamen quod ibi iudicatum fuerit, omnis penalis solutio domui cedet ratione iuris dominii. Item excipimus sepe nominatos homines ipsorum ab omni seruitute iuris Polonici, ut est Stan, Stroza, Powos, Przewod, qualitercumque Bobrownici, Psare, ad castra etiam edificanda, siue reparanda, seu alias munitiones construendas ire non tenebuntur, ab omni quoque expeditione eos absolvimus, excepto eo duntaxat, si forte exercitus subito super terram nostram occupandam (quod absit) ingrueret. Ut autem hec nostra donatio per presens scriptum robur obtineat firmitatis, hanc paginam, ne ab aliquo quocumque modo posset violari, sigilli nostri munimine eandem fecimus roborari, subscribentes nomina testium, qui nostre huic donationi presentes fuerunt. Videlicet dominus Sebastianus cancellarius, comites Macheslano, Wernerus, Joannes Clementis, Sbrozlavius, Scleslavius, Jaslzo, Streclz, Petrus Laurentius, Goslavius, Joannes de Rudno, Joannes Sibochie, et alii quam plures. Acta autem sunt hec in Oppol. Anno ab incarnatione domini millesimo ducentesimo vigesimo octavo.

Hugo — Annales Praemonstrat. I. CCCCLXXIX.

CXCI.

Otakarus, rex Boemorum, confert monasterio Oslowanensi jus patronatus ecclesiae s. Jacobi Brunae. Dt. VIII. Idus Decembris, 1228.

Ego Ottakarus, qui et Primizl, dei gratia rex Boemorum, omnibus hanc chartam inspecturis. Nouerint tam presentes quam futuri, quod nos ad petitionem matrone nostre nomine *Heiluidis de Znoym* e consensu uenerabilis patris nostri Roberti, Olomucensis episcopi, ius patronatus *sancti Jacobi in Brunna* de consueta liberalitate cenobio *vallis sancte Marie in Ozlauan* libere et absolute in perpetuam elemosinam contulimus, eandem libertatem concedentes, quam ipsi cenobio cum omnibus suis pertinentiis, secundum quod in priuilegiis eiusdem domus continetur, omnibus contradictoribus perpetuum silentium imponentes. Et ut hec donatio nostra perpetua firmitate roboretur, eam sigilli nostri munimine fecimus communiri. Et in testimonium huius donationis nostre reuerendissimus pater noster Robertus, Olomucensis episcopus, sigillum suum apposuit. Huius autem donationis a nobis facte hii testes fuerunt: Baro noster Marquardus frater Benes. Conradus notarius Brunensis. Henricus canonicus Olomucensis. Datum per manum notarii nostri Hermanni, prepositi Lutomericensis. Octauo Idus Decembris. Regni nostri anno XXXIII. Testes enim plures, qui fuerunt presentes, sunt hii: Nedamirus frater Werse. Hartlibus de Znoym. Miles Theodricus. Rector eiusdem ecclesie. Ego dei gratia episcopus Olomucensis Robertus in huius donationis testimonium sigillum meum apposui.

E confirmatione Theoderici, episcopi Olomucensis 1298. in curia Brunensi; lad. K.

CXCII.

Otakarus rex et Constantia regina confirmant et augent possessiones praepositurae s. Hippolyti in Hradišť (Pöltenberg) apud Znoymam. Actum apud Znoymam III. Idus Martii, 1229.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Otacarus qui et Premizl dei gratia Boemorum rex et Constantia eadem gratia regina Boemorum et *ducissa Morauorum* . . . ad petitionem Wiberti prepositi et scribe

domini regis omnes possessiones et libertates ecclesie *s. Ypoliti in castro Gradisc* sicut ex antiquissima fundatione et ex pia collatione quondam fratris nostri dilectissimi *Wladizlay* marchionis Morauie felicis memorie habere dignoscitur . . . confirmauimus. adicientes de gratia speciali ad prefati Wiberti meritorum exigentiam ivs montium in *Kovernich* et predium in *Godonich* iure hereditario ad eandem prepositurum spectaturum etc. . . Actum apud Znoymam anno dominice incarnationis MCCXXIX. III Idus Martii.

E codice Tischnowicensi Ms.

CXCIII.

Otakarus, Boemiae rex, et Constantia regina conferunt monasterio s. Benedicti juxta Brunam (in Luh) praedium Rudolti in Manice. Actum et datum in Bruna, Idibus Martii, 1229.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Ottacarus qui et Premizl dei gratia rex Boemorum. Ne ea que a nobis pie disponuntur atque rationabiliter ordinantur et maxime circa loca religiosorum deo famulantium humiliter et deuote. possint per quemquam hominum processu temporis immutari. sed perpetuo inconuulsa permaneant atque firmitate gaudeant. Notum sit uniuersis tam presentibus quam futuris. quod cum *in amplianda ciuitate nostra Brunnensi* essemus intenti. hortos quosdam secus fundum figulorum una cum curia cambiuimus cum fratribus ordinis s. Benedicti ante prefatam ciuitatem in cenobio manentibus. et dedimus ipsis in manus abbatis de Trebech nomine Zvest totidem ortulanos *na Luze* et duos mansos ad ecclesiam *s. Martini* spectantes et curias Cate figuli et Bohus sagittarii ad nos pertinentes iure perpetuo hereditarie possidendas. Presenti vero tempore ad intercessionem nostre karissime coniugis domine Constantie. ut fratribus ad augmentum cultus diuini succurreremus eorumque orationum participes fieremus. superaddidimus de gratie specialis et regie munificentie . . . predium Rudolti in *Maniz* iuxta Brunnam ad nos hereditarie devolutum et tale factum utpote pium et honestum huius scripti tenore . . . firmissima regia auctoritate firmauimus. Ad huius itaque nostre

commutationis et donationis perpetuam memoriam et inuiolabile firmamentum presens priuilegium conscribi fecimus et sigilli nostri munimine roborari. Nomina autem testium sunt hec . . . Actum et datum in Brunna anno incarnationis dominice M. CC. XXIX. Idibus Martii. Traditum vero in manus Arnoldi abbatis de Trebech.

E codice Tischnowicensi Ms.

CXCIV.

Otakarus, qui et Přemysl, Boemorum rex, jura županorum et nobilium omnium atque vulgo totius provinciae Brunensis, ut a Conrado duce, ab aliis aut a se ipso sunt statuta, ratihabet et observari mandat. Actum in Bruna XVI. Kalendas Aprilis, 1229.

C†. In nomine sancte et indiuidue trinitatis amen. Otacarus qui et primuzl dei gratia boemorum rex suppanis et omnibus nobilibus atque uulgo prouincie brennensis perpetuo. Equitati est consentaneum et regie conueniens excellentie pariter et honori. modis omnibus ad hoc intendere atque niti. ut nemo contra iuris ordinem aggrauetur. sed iura omnia conseruentur unicuique penitus inconuulsa. Juris enim obseruantia. et temporalis honoris gloria conseruatur. et anime a deo in celesti patria premium tribuetur. Ne autem ea iura que prius a nostris predecessoribus ut a bone memorie duce Conrado. et ab aliis postmodum aut a nobis in tota brennensi prouincia sunt statuta. processu temporis per quemquam hominum possint immutari. sed perpetuo stabilia permaneant atque firma. Nouerit tam presens etas quam eius sequens posteritas quod nos habito diligenti tractatu cum fidelibus nostris suppanis Boemis pariter et Morauis uolentes ab omnibus perpetuo inuiolabiliter obseruari. Jura statuimus in hunc modum. Omnes hereditates quas uiri nobiles tam maiores quam minores tempore ducis Conradi sine querela iuste et pacifice huc usque possederunt. in bona tranquillitate pacis ammodo possideant. Item nullus camerarius citet aliquem nisi certo cum testimonio eorum quorum interest et nominatim quilibet eorum debet ducere castellani nuncium. et alium iudicis. insuper duos probos uiros de circumsedentibus uillis. et si camerarius uadit ipse secundus

aut tercius sine nunciis beneficiatorum. si interficitur nichil de eo respondeatur. Si fuerit fur apud aliquem nobilem uel apud aliquem cuius est uilla et dederit eum curie. omnia bona sua sint. et collum eius in potestatem principis detur. Insuper si fur capitur in aliquo loco et suspenditur. omnia sua principis sunt preter fruges que adhuc remanserunt in agro. Item quod dicitur narok hoc non debet esse nisi ubi constet sub certo testimonio sua bona amisisse. nisi acciderit in silua uel in aliquo loco secreto uel alicui hospiti et antequam admittatur debet notificari curie. quorum interest scilicet iudici. castellano cum ceteris. Quando aliquis pauper uenit de propria re conquerendo pallium sibi nullatenus deponatur. Nullus zok aliquem accuset nisi certo sub testimonio uicinorum constet de dampno. et si fuerit zok conuictus testimonio fori communis lapidetur. Quando aliquis iudicium aque debet subire nullus eum in aquam dimittat nisi sacerdos et eius cooperator. si deus iuuerit eum iudici det duos denarios et sacerdoti XIIII. si nudauerit se et iudicium noluerit subire. soluat capellano. VII. denarios et uetule duos. Si aliquis nobilis uir et non druho super se habuerit narok. puer pro ipso subeat iudicium. et si non fuerit adiutus soluat pro eo C.C. denarios. Quando ducitur quod dicitur zuod debet adesse castellani nuncius. iudicis. et uillici. et camerarii. et unus uel duo de uicinatu illo et ultra tres non ducatur sed in tercio remaneat. et si conuictus fuerit. C.C. in cameram regis reddat denarios. et illi qui dicitur powod satisfaciat. Siquis equos. equas. uel boues. uel uaccas. uel aliqua maiora subtraxerit. quantitas dampni estimetur sub certa fide et sacramento eorum quibus iurisdicio est commissa. et secundum hoc accusatores admittantur. Item fures cum sociis et fautoribus eorum pari pena puniantur. Si substrahuntur alique res pallium aut aliquid tale hoc curie non notificetur. sed si bos uel iumentum subtrahitur curie notificetur. Et quando aliquis uulneratur de foro ueniendo uel alibi notificetur curie. Item quando aliquis nobilis capitur in furto et suspenditur et non habet prolem hereditas ipsius regi cedat. et si aliquis capitur in manifesto furto uxor eius habeat terciam partem. Quicumque nobilis. uel rusticus occiderit aliquem. C.C. denarios soluat curie. et alias recedat et querat gratiam et uxor sua in pace sedeat et indempnis. Si quis non habuerit filium uel filios et habuerit filias ad illas deueniat hereditas equaliter. et

si non fuerint. hereditas deueniat ad proximos heredes. Si alicui subtrahuntur iumenta aut famuli apes furantur debet subire iudicium ferri scilicet uomeres. Insuper si quis spoliatus fuerit per wiboy incuset quos uult. et de hirdozt nominet quos uult et antique consuetudines conseruentur. Quisquis theloneum pertransierit a thelonario licentia non obtenta neque theloneo persoluto non aliter puniatur nisi ius thelonei duplicabit. et preter hoc pro pena soluet LX. denarios. Si quis equum proprium currum aliquem trahentem recognouerit. non plus quam LX. denarios. pro curru et rebus in eo existentibus iudici persoluat. Item siquis equum apud aliquem inuenerit uulneratum. non equum uendicet sibi iudex. nisi solummodo LX. denariis sit contentus. Item siquis citatus fuerit et obtinuerit ius suum in iudicio neque wrez neque pohonze. sed solummodo denarios duos persoluat. quod pomocne uulgariter appellatur. Item ad clamorem communem qui nestoyte uulgariter nominatur nullus currere teneatur nisi de propria uoluntate hoc facere uoluerit. Item siquis super rebus propriis mobilibus siue immobilibus in iudicio conuenitur. eadem bona de quibus fit questio neque iudex neque domini terre uillicus sibi uendicet possidenda. sed idem qui super eisdem bonis conuenitur eadem bona pacifice possideat. donec eadem questio per sentenciam decidatur. Item si uestigia rei furtiue secus aliquam uillam deperierint. eadem uilla occasione eiusdem furti nullatenus puniatur. Preterea nullus de illis qui custodiunt siluam. debet spoliare aliquem in uia uel in foro. nisi tunc illum spoliet quando inuenit arborem secantem. Ad hoc iudex nunquam iudicet in CCC. denariis nisi LX. Insuper nunquam iudex. debet iudicare solus nisi presente castellano aut aliquibus nobilibus. et quando uillicus iudicat. non debet ire ad capiendum consilium de iudicio sed iudicet sedens cum militibus. Item quando tempus est ire ad iudicandum. et omnes sunt. et uillicus non uult uenire. iudex iudicet cum militibus. et de mane semper et nunquam hora uespertina a iudice et uillico iudicium habeatur. Quando aliquis interficitur in uia siue homo militis. siue iudicis siue uillici fuerit. confusio magna inde fit. solent apponi denarii aurum et argentum. ille quis accusat et dominus. debet iurare super sancta sanctorum. Pro debito siquis citatus fuerit. et in primo termino non astiterit iudicio. uendatur. nisi legittimum probare possit inpedimentum. Insuper nullus de hominibus nobilium qui uadit in

aliqua uel in propria legatione siue ad forum. nunquam in nouo nisi in antiquo theloneo soluat. Item ad iudicium nullus accedat nisi de domo secundum ius primo citetur. Insuper si uillicus regis sine iudicio aliquem inpignorauerit. rex suo iure corrigat. si uillicus camerarii marcam auri soluat. si dominus. beneficio careat. Preterea duellum quod in uulgari dicitur kiy. non habeant nisi ad extraneos. In hiis omnibus excipimus priuilegia religiosorum uirorum a principibus eis concessa. et iura clericorum cum dotibus ecclesiarum quibus reguntur secundum ius canonicum. Ad huius igitur institutionis imitationem et debitam secundum iuris ordinem obseruationem assurgimus. et ne in eis que prescripta sunt. ueritati falsitas ualeat nouercari. et ne aliquo uideantur scrupulo posse obfuscari. nostra qua debemus potentia sanximus. et nostri testimonio sigilli munimus et priuilegiamus per eum qui nos iusticia et ueritate filio suo priuilegiauit. Actum in brenna. Anno gratie. M. CC. XXIX. XVI. kalendas aprilis.

Ex originali in registratura c. r. Gubernii. Sigillum avulsum desideratur. — Excusum minus correcte in libello: Jura primaeva Moraviae.

CXCV.

Otakarus, qui et Přemysl, Boemiae rex, homines villae Střelice a jurisdictione beneficiariorum eximit, et mandat, ut a judice Brunensi judicentur. Actum apud Brunam, XV. Kal. Aprilis, 1229.

Ottacarus. qui et Premizl dei gratia rex Boemorum omnibus beneficiariis camerariis et aliis officialibus nostris in perpetuum. Mandamus et sub obtentu regie nostre gratie uobis districte precipiendo inhibemus. quatinus homines ville *Strelih* nullo modo siue pernoctatione. siue exactione. siue vocatione ad iudicium molestetis aut aggrauetis. sed potius eosdem secundum tenorem nostrarum litterarum quas super hoc iudici nostro de Brunna dedimus specialiter. conseruetis et defendatis. in quo priuilegio signanter est expressum ut solum modo a iudice. qui pro tempore fuerit in ciuitate Brunnensi iudicentur. Si quis autem contra hanc constitutionem venire temptauerit X marcas in cameram nostram componat . . . Datum apud Brunnam anno gratie M. CC. XXIX. XV. Kalendas Aprilis.

E codice Tischnowicensi Ms.

CXCVI.

Otakarus, qui et Přemysl, Boemiae rex, judici Olomucensi mandat, ut homines de Lazka et de Hodolany secundum jura Olomucensis civitatis judicet. Actum in Bruna, XV. Kal. Aprilis, 1228.

Ottacarus qui et Primizl dei gratia rex Boemorum . . . iudici nostro de *Olomuc* in perpetuum. Mandamus tibi et districtius precipimus quatinus homines de *Lasech* et de *Hodolany* non aliter iudicare presumas quam secundum iura antiqua ciuitatis Olomucensis. que a bone memorie patruo nostro *Wladimiro duce quondam Olomucensi* in eadem ciuitate sunt statuta et secundum que prefati homines hactenus iudicari consueuerunt. non obstante priuilegio felicis memorie fratris nostri *Wladizlai* marchionis Morauie in quo prefate ciuitati Olomucensi de nostro consensu usum *iuris Teutonicorum quod Meigdeburgense* vulgariter nuncupatur, liberaliter concesserat. Constituimus igitur dilectum filium nostrum *Premizl, marchionem Morauie* huius nostre constitutionis defensorem ... Actum in Brunna anno domini M. CC. XXIX. XV. Kalendas Aprilis.

Copia in archivo Olomucensis curiae.

CXCVII.

Constantia, Boemorum regina, monialibus in Kaunice tres vineas in Medlow a nobili Woglěch emtas confert. Dt. in Bruna, 1229.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Innotescat omnibus tam presentibus quam futuris quod ego *Constantia* dei gratia Boemorum regina cupiens in remedium anime mee particeps fieri orationum dilectarum in Christo sororum inclusarum in monasterio quod constructum esse dinoscitur in *Chuniz.* ordinis Premonstratensis ipsis contuli iure perpetue possessionis tres vineas quas mea comparaui pecunia apud nobilem uirum Voyteh in Mediloue. comparatasque in manus Floriani prepositi prefati monasterii resignaui. quatinus in usus prefatarum sororum in perpetuum conuertantur. Datum in Brunna anno domini M. CC. XXIX.

E codice Tischnowicensi Ms.

CXCVIII.

Gregorius papa IX. confirmat monasterio Tynĕcensi possessiones nec non decimas in circuitu Kozel et Rybnjk. Dt. Perusii, VII. Kal. Junii, 1229.

Gregorius episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filiis Luitfrido abbati monasterii Tynecensis cunctisque fratribus, tam presentibus, quam futuris regularem vitam professis, in perpetuam rei memoriam. Religiosam vitam eligentibus, apostolicum convenit adesse presidium, ne forte cuiuslibet temeritatis incursus, aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacre religionis infringat. Ea propter dilecti in domino filii! vestris iustis postulationibus clementer annuimus et monasterium S. Petri de Tynica in quo diuino estis mancipati obsequio. Sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti priuilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum et B. Benedicti regulam in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascunque possessiones, quecunque bona idem monasterium in presentia iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis prestante domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus permaneant. In quibus hec proprius duximus exprimenda vocabilis. Locum ipsum, in quo prefatum monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis: villas cum ecclesiis, hominibus, decimis, mellificiis, tabernis venationibus, iuribus, piscationibus, tributis — et cum aliis pertinentiis: — — — — Villam de Orlowa, Dubrawa, Koczobenz, Cierlitzko, maiori Gorzice, Uchilsko, Ostrawa, Wierzbica, Zablocie, Zukow, Lachanty, et Golkowice. Decimas de sortibus in Kozle pertinentibus ad castellaturam de Raczibarz circa Rybnik, quas venerabilis frater noster Laurentius Vratislaviensis episcopus de assensu capituli sui monasterio vestro pia liberalitate concessit prout in literis inde confectis plenius continetur. Duas tabernas et ius fori in Bytom. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatum monasterium perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integre conserventur eorum, pro quorum gubernatione, et sustentatione concessa

sunt usibus profutura, salua sedis apostolice auctoritate et diecesani episcopi iustitia. Si que igitur in futurum ecclesiastica, secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi erratum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reumque se divino existere iudicio de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine dei et domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus sit pax domini nostri Jesu Christi quatenus et hic fructum bone actionis percipiant et apud strictum iudicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Ego Gregorius catholice ecclesie episcopus. Ego Thomas tit. s. Sabine Presbyter cardinalis. Ego Singebaldus tit. s. Laurentii in Lucina Presbyter cardinalis. Ego Stephanus s. Marie trans Tiberim tit. s. Calixti Presbyter cardinalis. Ego Otho ss. Sergii et Bach. diaconus cardinalis. Ego Romanus s. Marie in Cosmedin diaconus cardinalis. Ego Egidius ss. Cosme et Damiani diaconus cardinalis. Ego Petrus s. Georgii ad vellum aureum diaconus cardinalis. Ego Reginaldus s. Eustachii diaconus cardinalis. Datum Perusie per manum Machantini S. R. C. vicecancellarii septimo Calendas Junii, indictione secunda, incarnationis dominice anno M. CC. XXIX. Pontificatus vero nostri anno tertio.

Hormayr's Archiv Jahrgang 1820.

CXCIX.

Gregorius papa IX. episcopo Cracoviensi atque praepositis Pragensi et Cracoviensi committit controversiam episcopi Olomucensis cum Wratislaviensi super limitibus suarum dioecesum de „Golesisco" (Holasicensi provincia) decidendam. Dt. Perusii VII. Idus Junii, 1229.

Gregorius episcopus seruus seruorum dei. Venerabili fratri .. episcopo Cracouiensi, et dilectis filiis .. Pragensi et .. s. Michaelis Cracouiensi prepositis salutem et apostolicam benedictionem. Venerabilis frater noster . . *Olomucensis* episcopus transmissa nobis petitione monstrauit, quod cum olim venerabilis frater noster . . *Wratislauiensis* episcopus contra eum super limitibus diocesum suarum ad . . abbatem de Buch et eius coniudices

apostolicas literas impetrasset, idem Olomucensis ab eis ex sufficienti grauamine ad apostolicam Sedem appellans, super hoc ad . . abbatem de Cella et eius collegas ab eadem literas impetrauit; quorum iudicium cum idem Wratislauiensis per friuole appellationis diffugium declinasset, a nobis ad . . decanum Misnensem et eius coniudices per falsi suggestionem comitti obtinuit causam ipsam. A quibus idem Olomucensis sentiens indebite se grauari, eo quod testes partis aduerse ante litis ingressum, ipso non citato nec se per contumaciam absentante, contra iustitiam receperunt, nostram audientiam appellauit. Unde petebat, ut reuocato in irritum, quicquid per dictum decanum Misnensem et eius collegas fuerat temere attemptatum, processum abbatis de Cella et collegarum ius faceremus executioni mandari. Cum autem impetrate super hiis litere legerentur, magister Aston scriptor noster Wratislauiensis canonicus procurator episcopi Wratislauiensis prefati eis in communi audientia contradicens, coram dilecto filio nostro S. tit. s. Marie trans Tiberim presbytero cardinali sibi et Henrico canonico Olomucensi procuratori Olomucensis prefati a nobis auditore concesso, proposuit ex aduerso, quod cum causa que inter . . episcopum Wratislauiensem eundem et nominatum Olomucensem episcopum super limitibus suarum diocesum de Golesisco vertitur, olim dilecto filio abbate de Buch et suis coniudicibus a Sede apostolica comissa fuisset, dicti iudices Wratislauiensem ipsum propter aduerse partis contumaciam manifestam in possessionem rerum petitarum in iudicio causa custodie induxerunt. Prefatus uero Olomucensis episcopus se ab eis legitime appellasse confingens, ad . . abbatem s. Marie de Cella et . . Magdeburgensem et . . Patauiensem prepositos super hoc literas apostolicas impetrauit. Nominato autem Patauiensi preposito committente magistro Alberto clerico uices suas, quia dictus abbas de Cella cum ipso clerico absente preposito Magdeburgensi iam dicto, nec se per literas vel nuntium excusante, ad testium receptionem minus canonicam procedendo, et ipsorum depositionibus minime publicatis, processum iudicum premissorum de ipso non cognito contra iustitiam reuocauit, procurator eiusdem Wratislauiensis vocem ad nos appellationis emittens, ad . . decanum et scolasticum Misnensem et B. canonicum Cicensem Nuhemburgensis diocesis super hiis a nobis sub certa forma literas impetrauit. Qui de iudicum utrorumque processu legitime cognoscentes, processu abbatis de Cella et

clerici premissorum penitus irritato, eundem Wratislauiensem in dictam possessionem rerum ipsarum reduci sententialiter decreuerunt; a quorum sententia ex parte Olomucensis prefati, ut sic saltem tenere posset iam dictum negotium diutius in suspenso, fuit iterum nostram audientiam appellatum. Quare sepefatus Wratislauiensis episcopus humiliter postulabat, ut ne propter huiusmodi diffugia impediri diutius valeat negotium memorati processus, prouidere super hoc de benignitate sedis apostolice dignaremur. Licet autem super premissis omnibus fuisset a procuratoribus antedictis coram auditore prefato diutius disceptatum, quia tamen per ea, que fuere proposita coram ipso, nobis non potuit de meritis cause liquere, causam eandem de procuratorum ipsorum assensu vestro duximus examini committendam, discretioni vestre per apostolica scripta mandantes, quatenus de omnium iudicum premissorum processu legitime cognoscatis, et illum vel illos, quos vel quem de iure videritis admittendos, reliquo vel reliquis penitus irritatis, facientes (sic) per censuram ecclesiasticam firmiter obseruari. Ad litis contestationem infra quatuor mensium spatium post citationem factam a vobis, ad quod si necesse fuerit partes auctoritate nostra sub cuiusuis contradictionis et appellationis obstaculo compelli volumus et mandamus, legitime procedatis, ad decisionem negotii si de partium voluntate processerit ratione preuia processuri. Alioquin causam ipsam sufficienter instructam ad apostolice Sedis remittatis examen, prefigentes partibus terminum competentem, quo per se vel procuratores idoneos nostro se conspectui representent, iustam dante domino sententiam recepture. Si vero ad litis contestationem procedi non poterit iuxta quod superius est expressum, nec (sic) per tergiuersationem alicuius fiat huiusmodi questio immortalis, prefigatis partibus terminum competentem, quo litem contestature ac in eadem causa sicut iustum fuerit processure per se vel procuratores idoneos compareant coram nobis. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam appellatione cessante compellatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes his exequendis potueritis interesse, tu frater episcope cum eorum altero ea nihilominus exequaris. Datum Perusii VII. idus Junii, pontificatus nostri anno tertio.

E Regesto Gregorii IX. anni III. epist. 20. in tabulariis Vaticanis.

CC.

Gregorius papa IX. archiepiscopis et episcopis, regibus et principibus (inter quos et regi Boemiae et episcopo Pragensi) flagitia, quibus „F(ridericus) dictus imperator fidem nominis Christiani confudit et prodidit," nota facit. Datum Perusii XV. Kalendas Augusti; pontificatus anno tertio. (1229.)

Palacky's Reise pag. 24. — e Regesto Gregorii IX. anni III. epist. 38.

CCI.

Wolframus de Schenkenberg monasterio Oslowanensi decimas integras in Mützmans (Vzmans) confert. S. d. (ante 1230.)

In nomine patris et filii et spiritus sancti. amen. Vniuersa negocia mandata litteris ex earum trahvnt memoria firmamentum. Notum sit igitur tam presentibus quam futuris quod ego Wolframvs dictus picerna de schenkenberg decimas in *vzmans* integraliter clavstro in ozla et ibidem deo seruientibus pro amore dei et eius genitricis Marie uiua uoce libera contuli uoluntate. ita quod in perpetuum ibidem deo famvlantes pro remedio anime mee meorumque progenitorum diuinam clementiam dignentur iugiter inuocare. Vt autem huiusmodi donationem filii mei uel eorum posteritas nvllo avsu temerario ualeant reuocare litterarum memorie commendaui et testium nominibus subscriptorum et sigilli mei munimine roboraui testes autem svnt hii Wilhelmus et marquardus filii mei. Chvnradus babergensis canonicus et plebanus de iacobav. hildebrandus plebanus de wolframeskirchen et alii quam plures.

Ex originali cum sigillo illaeso ejusdem monasterii in registr. c. r. Gubernii.

CCII.

Arnoldus, abbas Třebíčensis, oppignorat monasterio Oslowanensi villam Řewušjn S. d. (cc. 1230.)

Cum carnis successio sit prona posteritas et rerum temporalium mora consueuit obliuionem generare. necessarium est vt acta mortalium scriptis

et testibns ydoneis annotentur. Inde est quod ego Arnoldus abbas cum scire et consensu fratrum Trebecensis monasterii — cum haberemus pecuniam necesse et iam accepimus ab Ozlauiensi monasterio LXXV. marcas condicionaliter uillam quandam *Revssin* assignantes vt predictam pecuniam in tempore statuto solueremus compromittentes. quod si eandem pecuniam non solueremus eadem uilla Ozlauiensi cenobio cederet . . . Testes autem coram quibus hec acta sunt . . . Malko. Petrus . . . Sdik. Zlauko. Johannes. Cayn . . . Budis. Radomil. Vincencius . . . et ceteri fratres.

Ex originali mutilo in curia Brunensi; lad. K. n. 93.

CCIII.

Esau, archidiaconus Přerowiensis et canonicus Olomucensis, coram Dietrico, priore fratrum praedicatorum, et Valentino, guardiano fratrum minorum in Olomuc, de consensu fratris sui Abrahami, abbatis Gradicensis monasterii, cedit conventui Gradicensi de eremo et silva Střelna. Pridie Nonas Februarii, 1230.

Anno domini Millesimo Ducentesimo trigesimo pridie nonas Februarii. Ego Esau, archidiaconus Prerouensis et canonicus Olomucensis, eger nunc corpore, mente uero sanus, coram uobis, dilecti in Christo fratres et domini, uidelicet: Prior Ditrice, et frater Zbramir, ordinis fratrum predicatorum: Guardiane Valentine, et Rudolphe, ordinis fratrum minorum in Olomucz, Gaudenti, capellane domini marchionis, frater Matthee, canonice ecclesie Gradicensis, Petre, notari dicti loci abbatis, et coram uobis omnibus, qui ad me specialiter hodie conuocati conuenistis, de consensu fratris mei uterini *Abrahami, canonici et abbatis Gradicensis*, ordinis Premonstratensis, qui est una mecum nunc superstes, cedo conuentui et ecclesie *Gradicensi* de eremo et tota sylua, que uulgariter *Strelna* nuncupatur, cum omnibus his, que ad eam pertinent, que triginta annis et amplius cum meis fratribus tenui nomine sue ecclesie. In qua eremo et sylua dictus frater meus Abraham, habitum gestando ordinis Premonstratensis, mansit ferme triginta annis. Cedo modo denuo supradicte ecclesie coram uobis omnibus, sicut prius cesseram coram baronibus, uidelicet: Beneda, magistro venatorum,

Johanne iudice, Petro uillico, beneficiariis Olomucensibus, et Nezamysl, Onsone, filio Bicenonis, et alio Onsone, filio Bludonis. In cuius rei certitudinem sigillum meum appono huic littere, et uos fratres, uidelicet priorem fratrum predicatorum, et guardianum fratrum minorum rogo, ut etiam huic littere sigilla uestra appendatis, et super ordinatione, quam presens pagina continet, testimonium dignemini perhibere, quandocumque fueritis requisiti.

Ex Annalibus Gradicensibus Mss. in registr. c. r. Gubernii; et ex aliis apographis ejusdem monasterii.

CCIV.

Gregorius papa IX. mandat archiepiscopo Moguntino ejusque suffraganeis, ut monasterium Oslowanense contra malefactores tueantur. Dt. Laterani, VII. Idus Junii, 1230.

Gregorius episcopus seruus seruorum dei. Uenerabilibus fratribus . . archiepiscopo Maguntinensi et suffraganeis eius et dilectis filiis abbatibus. prioribus. prepositis. decanis. archidiaconis. et aliis ecclesiarum prelatis per Maguntinam prouinciam constitutis presentes litteras inspecturis. salutem et apostolicam benedictionem. Non absque dolore cordis. et plurima turbatione didicimus. quod ita in plerisque partibus ecclesiastica censura dissoluitur. et canonice sententie seueritas eneruatur. ut religiose persone et hec maxime que per sedis apostolice priuilegia maiori donate sunt libertate. passim a malefactoribus suis iniurias sustineant et rapinas. dum uix inuenitur qui congrua illis protectione subueniat. et pro fouenda pauperum innocentia se murum defensionis opponat. Specialiter autem dilecte in christo filie . . abbatissa et sorores monasterii in Ozlauan cisterciensis ordinis Olomucensis diocesis tam de frequentibus iniuriis. quam de ipso cotidiano defectu iustitie conquerentes. vniuersitatem uestram litteris petierunt apostolicis excitari. ut ita uidelicet eis in tribulationibus suis contra malefactores earum prompta debeatis magnanimitate consurgere. quod ab angustiis quas sustinent et pressuris. uestro possint presidio respirare. Ideoque vniuersitati uestre. per apostolica scripta mandamus atque precipimus. quatinus illos qui possessiones uel res seu domos earum uel

hominum suorum irreuerenter inuaserint. aut ea iniuste detinuerint que predictis sororibus ex testamento decedentium relinquuntur. seu in ipsas sorores uel earum aliquam contra apostolice sedis indulta sententiam excommunicationis aut interdicti presumpserint promulgare. uel decimas laborum de possessionibus habitis ante concilium generale quas propriis sumptibus excolunt. seu de nutrimentis animalium ipsarum spretis apostolice sedis priuilegiis extorquere. monitione premissa si laici fuerint publice candelis accensis singuli uestrum in diocesibus et ecclesiis uestris. excommunicationis sententia percellatis. Si uero clerici uel canonici regulares seu monachi fuerint. eos appellatione remota ab officio et beneficio suspendatis. neutram relaxaturi sententiam. donec predictis sororibus plenarie satisfaciant. et tam clerici seculares quam laici. qui pro uiolenta manuum iniectione in sorores ipsas uel earum aliquam anathematis uinculo fuerint innodati. cum diocesani episcopi litteris ad sedem apostolicam uenientes. ab eodem uinculo mereantur absolui. Datum Laterani VII. Idus Junii. Pontificatus nostri anno quarto.

Ex originali in curia civitatis Brunensis.

CCV.

Gregorius papa IX. fundationem monasterii Oslowanensis confirmat, sub s. Petri protectionem suscipit, et privilegiis locupletat. Dt. Laterani III. Nonas Julii, 1230.

Gregorius episcopus servus servorum Dei. Dilectis in Christo filiabus . . . abbatisse monasterii in Ozlawan, eius sororibus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse presidium, ne forte cuiuslibet temeritatis incursus eas a proposito revocet. Ea propter dilecte in Christo filie vestris postulationibus clementer annuimus, et monasterium sancte Dei genitricis et virginis Marie in Ozlawan, in quo diuino mancipate estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et presentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Dei et beati Benedicti regulam atque institu-

cionem Cisterciensium fratrum in eodem monasterio institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascunque possessiones, quecunque bona idem monasterium impresentiarum iuste ac canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largicione regum vel principum, oblacione fidelium, seu aliis iustis modis prestante domino poterit adipisci, firma vobis et eis que vobis successerint et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum, in quo prefatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis. Babiz cum pertinenciis suis. Lechcowicz cum pertinentiis suis. Glanlvistorff cum pertinentiis suis. Narmicz cum pertinentiis suis. Shceleschicz cum pertinenciis suis. Milochowicz cum pertinenciis suis. Vsechowicz cum pertinenciis suis. Hrudsich cum pertinenciis suis. Vineas in Luca sitas, possessiones de Zelub cum pertinenciis suis et ius patronatus ecclesie sancti Jacobi in Bruna, cum pratis, vineis, terris, nemoribus, usuagiis et pascuis in bosco et plano, in aquis, molendinis, in viis et semitis et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis. Sane laborum vestrorum de possessionibus, habitis ante concilium generale, ac etiam novalium, que propriis sumptibus colitis sive de hortis, virgultis et piscacionibus vestris, vel de vestrorum animalium nutrimentis nullus a vobis decimas exigere, vel extorquere presumat. Liceat quoque vobis personas liberas et absolutas e seculo fugientes ad conversionem recipere, ac eas absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli sororum vestrarum post factam in monasterio vestro professionem fas sit sine abbatisse sue licencia de eodem loco discedere, discedentem vero absque communium litterarum vestrarum cautione, nullus audeat retinere. Illud districtius inhibentes, ne terras seu quodlibet beneficium ecclesie vestre collatum liceat alicui personaliter dari, sive alio modo alienari absque tocius conventus consensu vel maioris aut sanioris partis ipsius. Si que vero donationes vel alienaciones aliter quam dictum est, facte fuerint, eas irritas esse censemus. Insuper auctoritate apostolica inhibemus, ne ullus episcopus vel quelibet alia persona ad synodos vel conventus forenses vos ire, uel iudicio seculari de vestra propria substancia vel possessionibus vestris subiacere compellat, nec ad domos vestras causa ordines celebrandi, causas tractandi, vel aliquos conventus publicos convocandi venire presumat, nec

regularem abbatisse vestre electionem impediat, aut de instituenda vel removenda ea, que pro tempore fuerit, contra statuta Cisterciensis ordinis se aliquatenus intromittat. Pro consecracionibus vero altarium vel ecclesiarum vestrarum, sive pro oleo sancto, vel quolibet alio ecclesiastico sacramento nullus a vobis sub obtentu consuetudinis vel alio modo quidquam audeat extorquere, sed hec omnia gratis vobis episcopus diocesanus impendat. Alioquin liceat vobis, quemcunque malueritis catholicum adire antistitem graciam et communionem apostolice sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate vobis, quod postulatur, impendat. Quod si sedes diocesani episcopi forte vacaverit, interim omnia ecclesiastica sacramenta a vicinis episcopis accipere et absque contradictione possitis, sic tamen, ut ex hoc imposterum proprio episcopo nullum preiudicium generetur. Quia vero interdum proprii episcopi copiam non habetis, si quem episcopum Romane sedis, ut diximus, graciam et communionem habentem, et de quo plenam noticiam habeatis per vos transire contigerit, ab eo benedictiones vasorum et vestium, consecraciones altarium, et benedictiones monialium auctoritate sedis apostolice recipere valeatis. Porro si episcopi vel alii ecclesiarum rectores in monasterium vestrum, vel personas inibi constitutas suspensionis, excommunicacionis, interdicti sententias promulgaverint, sive in mercenarios vestros pro eo, quod decimas sicut dictum est non persolvitis, sive aliqua occasione eorum, que ab apostolica benignitate vobis indulta sunt, seu benefactores vestros pro eo, quod aliqua vobis beneficia, vel obsequia ex charitate prestiterint, vel ad laborandum adiuverint, in illis diebus, in quibus vos laboratis, et alii feriantur, eandem sentenciam protulerint, ipsam tanquam contra apostolice sedis indulta prolatam decernimus irritandam. Nec litere ille firmitatem habeant, quas tacito nomine Cisterciensis ordinis et contra tenorem apostolicorum privilegiorum constiterit impetrari. Cum autem generale interdictum terre fuerit, liceat vobis nihilominus in vestro monasterio exclusis excommunicatis et interdictis audire et facere divina officia celebrare. Paci quoque et tranquillitati vestre paterna imposterum sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere, vel interficere, seu violenciam audeat exercere. Preterea omnes libertates, immunitates a pre-

decessoribus nostris Romanis pontificibus ordini vestro concessas, nec non libertates et exemptiones secularium exactionum a regibus et principibus vel aliis fidelibus racionabiliter vobis indultas auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatum monasterium temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexacionibus fatigare, sed omnia integra conserventur earum, pro quarum gubernacione ac sustentacione concessa sunt, usibus omnibus profutura salva sedis apostolice auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitucionis paginam sciens, contra eam temere venire temptaverit, secundo, terciove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte subiaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax domini nostri Jesu Christi, quatinus et hic fructum bone actionis recipiant et apud districtum iudicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Amen. Amen. † Ego Gregorius catholice ecclesie episcopus subscripsi. † Ego Johannes S. Praxedis presbyter cardinalis ss. † Ego Bartholomeus S. Pudenciane presbyter cardinalis tt. pastoris ss. † Ego Guifredus tt. S. Marci presbyter cardinalis ss. † Ego Sigembaldus S. Laurencii in Lucina presbyter cardinalis ss. † Ego Stephanus S. Marie trans Tiberim tt. Calixti presbyter cardinalis ss. † Ego Jacobus Tusculanus episcopus ss. † Ego Octavianus SS. Sergii et Bachi diaconus cardinalis ss. † Ego Raynerius s. Marie in Cosmidin diaconus cardinalis ss. † Ego Romanus s. Angeli diaconus cardinalis ss. † Ego Egidius SS. Cosme et Damiani diaconus cardinalis ss. † Ego Petrus s. Georgii ad velum aureum diaconus cardinalis ss. † Ego Raynaldus s. Eustachii diaconus cardinalis ss. Datum Laterani per manum Martini sancte Romane ecclesie vice-cancellarii III. Nonas Julii, indictione II. Incarnacionis dominice anno MCCXXX. Pontificatus uero domini pape VIIII. anno quarto.

Apographum in Monastico in archivo monasterii Rayhradensis minus correctum emendavi e bulla Tischnowicensi anni 1235.

CCVI.

Gregorius papa IX. „universis Christi fidelibus per Magdeburgensem et Bremensem provincias, Poloniam, Pomeraniam, *Moraviam*, Suraniam, Holisantiam et Gothlandiam constitutis" literas dat monitorias ad subsidia contra Prutenos duci Mazoviae et fratribus hospitalis s. Mariae Teutonicorum praestanda. Datum Anagniae, Idus Septembris; pontificatus anno quarto. (1230.)

Palacky's Reise pag. 24. — e Regesto Gregorii IX. anni IV. epist. 61.

CCVII.

Fridericus imperator regem Boemiae ad compescendam ducis Austriae temeritatem provocat. 1230.

Inviti trahimur ad tuam et aliorum notitiam principum adversus Henricum ducem Austriae materiam publicae quaestionis afferre: cuius levitas ducta motibus inconsultis adeo processit in publicum, et eius temeritas contra honorem nostrum et imperii dignitatem verbo et opere attentata nos tam graviter provocavit, quod transire non possumus ulterius incorrectos suae levitatis excessus. Re vera quia dileximus patrem suum, merito paterni servitii cordi nobis est et curae, in eundem ducem et filium eius favorem paternae dilectionis effundere, et affectionem nostram iuxta suum commodum et honorem ostendere cum effectu. Itaque cum apud Ravennam curiam indixerimus celebrandam, vocavimus ipsum sicut caeteros principes, ut veniret, proponentes eum amore paterno recipere ac fovere. Sed maiori parte principum in multis laboribus et expensis venientibus a remotis ipse, qui opportunius venire poterat, suum denegavit accessum. Deinde nobis transeuntibus Aquilegiam, cum eum ibidem videre vellemus, vocatus venire pueriliter recusavit. Quod et nos habentes respectum ad paterna servitia dissimulare voluimus aetatis suae moribus adscribentes. Quin potius ut eo non recederemus inviso, contulimus nos personaliter ad terram suam Portae novae, quam habebat in Foro Julii. Et ibi moram trahentes misimus pro eodem, ut si molestum sibi fuerit in civitatibus nostri imperii

nos vidisse, ad terram suam pro nobis accedere non vitaret. Quem venientem venerabili affectione recepimus satagentes, ei verbo et opere complacere. Tantam insuper sibi gratiam facientes, quod pro sopienda lite, quam in exactione dotis suae filius noster Conradus contra eum iure et viribus attentabat, octo millia marcharum promisimus exhibenda: non ommittentes ei satisfacere de pulchris equis et aliis donariis, ac libentissime procurare parati, quae suis grata essent affectibus et accepta, ut eum redderemus nostris aspectibus gratiorem. Nuper autem in Alamanniam venientes, quia de ipso fiduciam habebamus, non dubitavimus, personam nostram in terram suam Stiriae committere, ut ei daretur maior de nostra gratia praesumtio, ac ipse ad nostra beneplacita se magis obsequiosum et benevolum exhiberet. Idem vero, cum essemus in eadem terra sua, non erubuit duo millia marcharum a nobis exigere pro guerra tibi et illustri regi Hungariae facienda. Quas quia sibi non dedimus, dixit, se nobis nunquam ut antea serviturum: ut quadam violentia non agnosceret dominum, coram quo tam improbe loqueretur. Non tamen propter hoc moti nos fuimus, sed patienter iuvenilem eius dissimulavimus levitatem habentes nihilominus in proposito sua commoda promovere. Indicta etiam Moguntiae curia generali convocavimus eum ad eandem curiam termino constituto, prout generaliter et specialiter singuli principum fuerant evocati. Qui cum praefixo termino convenissent, idem dux nedum venire contumaciter recusavit: quin potius cum campestri exercitu absque nostra licentia vel assensu terram regis Ungariae hostiliter et violenter ingressus adeo tantum principem provocavit, quod expeditione facta imperii fines intravit, non sine iniuria nostra et imperii laesione, humilians eum ad sua beneplacita, et mandata. Interim etiam non contentus quod conterminum sibi regem turbaverat, principes imperii, videlicet te regem Bohemiae, venerabiles Magdeburgensem, Pataviensem, Ratisponensem, Brandenburgensem, et Frigiensem episcopos, Bavariae ducem, et *Moraviae marchionem* non dubitavit offendere, auferens eis iura et reditus, quae in Austriae et Stiriae ducatibus possidebant. Ad cuius debitam ultionem tanta moles principum irruisset, nisi quod pacem imperii turbare vitantes nobis et imperio detulerunt, saepe coram nobis specialiter per literas et nuncios non leves querimonias deponentes. Delatae sunt etiam querelae multiplices coram nobis pro parte

hominum terrae suae, quod iustitiam et iudicium de terra sua proscripserit, et cum iniquitate foedus iniens prorsus abiecerit aequitatem. Viduis et orphanis, quos iure fovere debuerat, molestus existens, divites opprimens, pauperes conculcans, humilians nobiles, et destruens populares, diversis flagitiis afficiens subditos, nullam adversus eos aliam causam habens, nisi quod pium sibi esse credit et licitum, quidquid libet. Ministeriales et alios infeudatos, quos ab imperio tenet, tanto graviori persequitur voluntate, quanto in odium nostrum et imperii afflictos immaniter ab ipso percepimus, et quanto de ipsis cogimur dubitare. Data igitur per eum effroeni licentia luxui, et mente ipsius in omnem viam malitiae turpiter inquinata, deflorat virgines, et facit a suis complicibus deflorari, matronas venerabiles dehonestat, auferens filias patribus, viris mulieres per violentiam. Et utinam his contentus non excogitaret in patrum animas et virorum: in quorum necem diversas species mortis exaggerat, quibus trucidat miserabilius innocentes. Pro quorum ineffabili malorum cumulo mota fuit saepe nostrae praeeminentia dignitatis. Sed nos paterni servitii memores voluimus cum levitate procedere, intendentes a via mala virum impium revocare. Quapropter monuimus eum, benigne rogavimus, ut ad colloquium praeteritae curiae praeterita hyeme indictae Augustae veniret. Ibi de restitutione status sui et ipso comparando cum praedictis principibus atque tecum, et abolenda infamia supradicta eum alloqui et cum eo disponere volebamus, provisa ei iuxta requisitionem et velle suum securitate conductus de personis, quas et quot voluit exegisse: illam eidem gratiam exhibentes, quod quia dubitabat pro huiusmodi querimoniis diu morari, promisimus ei per nuncios suos, quod moram et reditum ad suam permitteremus voluntatem, et quod eum super obiectis ad iustitiam nullatenus cogeremus, etiamsi deberemus offensis principum satisfacere per nos ipsos. Deinde quia apud Augustam curiam venire noluit, supplicantibus nobis pro iterata citatione sua dilecto principe nostro venerabili archiepiscopo Salzburgensi et aliis nunciis suis et acceptantibus, ut apud Agamiensem nostram provinciam citaretur, indiximus sibi eundem locum et terminum competentem, in quo apud Agamiam ad nostram praesentiam se conferret, ibidem de bono statu et integritate famae suae disponere cupientes. Ipse vero cum non posset vulneratae conscientiae suae nefanda contegere, etsi saepius exposuit se

venturum, semper illusit, et potentiam nostram in superbia et abusione contemnens datus in sensum reprobum et penitus effectus ingratus caepit contra personam nostram verbo et opere machinari: ut praeter insidias, quas in captione dudum filii nostri *Henrici* in itinere manifeste paraverat cum Mediolanensibus et aliis inimicis nostris, contra honorem nostrum et imperii moliretur. Sed et nequiter contra animam nostram excogitans misit nuncios suos ad seniorem Montanae, qui dicitur Assassinus, promittens ei pecuniam infinitam, ut nostram laederet maiestatem. Alio etiam spiritu suae fatuitatis inductus, quod nobis est valde molestum, non est veritus attentare sanctissimum in Christo patrem nostrum summum pontificem, ut sibi esset favorabilis, inducere satagendo. Praeterea nuncios nostros in securitate sua et conductu receptos spoliari mandavit. Xenia quoque per ducem Rossiae nobis transmissa nunciis eius in contumeliam et iniuriam nostram fecit auferri. Castra autem, quae Ratisbonensis quondam advocatus nobis et imperio in sua morte legavit, non est veritus occupare. Nec omisit cuncta praesumere, quae nobis essent et imperio nocumento. Qui cum nec deum timeat, sicut dicit, nec terrenum velit dominum revereri, reverentiam non observans nobilem dominam matrem suam, suis bonis omnibus spoliatam, de terra sua turpiter effugavit, et si manum in eam mittere potuisset, uber eius infelix homo praecidere minabatur. Et nisi ad te dilectum principem nostrum et affinem habuisset confugium, cum consilio tuo postmodum ad praesentiam nostram accedens, non haberet, ubi caput tantae nobilitatis domina reclinaret. Quae lachrymis apud deum et nos clamore continuo querula non cessat, iustitiam sibi adversus tam improbum filium implorare. Nec possumus silentio praeterire, qualiter marchionem Misnensem sibi sorore sua nuptui tradita et in terra sua nuptiis celebratis aggressus est eos in lecto et surgere non permisit, donec eos in manibus eius omnem dotem et ius, de quibus tenebatur eis pro maritagio, respondere oportuit necessario remisisse, contra securitatem sibi promissam, quod nullam deberet eis petitionem facere vel remissionem aliquam postulare. Metu insuper incusso ministerialibus suis, quod nullus evaderet, nisi quidquid petierit compleretur: ut sibi et aliis suis intimis persecutor et tirannus communi omnium iudicio censeretur. Quibus omnibus lacessiti, cum tanta sit ipsius iniquitas, quod non possit veniam promereri,

ad tot querimonias principum in nostra praesentia replicatas, ad querelas et lachrymas matris suae petentis de nostra sede iudicium, ad lachrymosas voces nobilium, et popularium, orphanorum, et viduarum, et omnium inhabitantium terram suam coram deo et nobis clamantium contra eum, attendentes insuper offensas nostras et imperii per eum nequiter attentatas, ad condignam correctionem eiusdem exigente iustitia duximus exurgendum, responsuri stulto secundum stultitiam suam, ne sapiens sibi videatur: sed discat per seipsum, qualiter deum timere debeat ac nos et imperium, teneatur omnibus modis revereri. Quae omnia tibi et aliis principibus nostris duximus exponenda, ut rei certitudo ad eius exterminium pateat universis.

E Petri de Vineis Epistolis lib. III. n. V. edit. Basil. Iselianae — Hanthaler in Fastis Campililien. I. 832.

CCVIII.

Gregorius papa IX. archiepiscopo Salzburgensi et episcopo Ratisponensi imperialis aulae cancellario mandat, ut a praelatis et principibus imperii *(inter principes primus nominatur rex Boemiae)* cautionem recipere procurent nomine imperatoris Friderici pro pace inter ipsum et ecclesiam compactata apud s. Germanum (1230. 23. Julii). Datum Laterani XVII. Kalendas Februarii, pontificatus anno quarto (1231.)

Palacky's Reise pag. 25. — e Regesto Gregorii IX. anni IV. epist. 96.

CCIX.

Gregorius papa IX. confirmat decisionem litis inter abbatem Lucensem et Adam presbyterum super ecclesiis s. Nicolai et s. Michaëlis Znoymae. Datum Laterani XV. Kalendas Februarii, 1231.

Gregorius episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis abbati et conuentui monasterii de *Luca* Premonstratensis ordinis, salutem et apostolicam benedictionem. Ea, que iudicio vel concordia terminantur, firma debent

et illibata consistere; ac ne in recidiue contentionis scrupulum relabantur, apostolico conuenit presidio communiri. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod cum olim inter uos ex parte vna, et *Adam*, presbyterum ecclesie *s. Michaëlis in Znoym*, Olomucensis diocesis ex altera, coram abbate de Jerus et coniudicibus suis a sede apostolica delegatis super iure parochiali ecclesie *s. Nicolai* ad eorum monasterium pertinente, sepulturis, decimis et rebus aliis questio verteretur; tandem inter uos et eundem presbyterum mediantibus predictis iudicibus amicabilis super his compositio intervenit, quam apostolico roborari munimine postulastis. Nos igitur precibus uestris benignum impercientes assensum compositionem ipsam, sicut sine prauitate prouide facta est et sponte ab vtraque parte recepta, et hactenus pacifice observata, nec non in litteris predictorum iudicum confectis exinde dicitur plenius contineri, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Laterani XV. Kalendas Februarii. Pontificatus nostri anno IV.

E copia in archivo ejusdem monasterii.

CCX.

Gregorius papa IX. Constantiam, reginam Boemiae, et bona in Moravia, ad eam ratione dotalitii pertinentia, sub protectionem suscipit apostolicae sedis. Dt. Laterani, IV. Idus Aprilis, 1231.

Gregorius episcopus seruus seruorum dei. Constantie illustri regine Bohemie salutem et spostolicam benedictionem. Etsi sedes apostolica, cui licet immeriti presidemus, tamquam uniuersalis mater omnibus aperiat viscera pietatis, non tamen omnes equali affectu prosequitur, sed maiori prerogatiua personas illas diligit et honorat, quas in deuotione reperit promptiores. Inde est quod nos attendentes deuotionem, quam ad sacrosanctam Romanam ecclesiam matrem tuam et personam nostram dinosceris

habere sinceram, et preter commune debitum pastoralis officii, quo curam et sollicitudinem tenemur gerere singulorum specialem, serenitati tue gratiam exhibentes, personam tuam cum omnibus bonis, que in presentiarum rationabiliter possides, aut in futurum iustis modis prestante domino poteris adipisci, sub protectione suscipimus apostolice Sedis et nostra; specialiter autem *Brecyzlauiensem, Pribizlauiz, Conowiz, Godenin, Bisenz et Budewigez* prouincias, quas ad te ratione dotalitii asseris pertinere, sicut eas iuste possides et quiete, auctoritate tibi apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostre protectionis et confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Laterani IV. idus Aprilis; pontificatus nostri anno quinto.

E Regesto Gregorii IX. anni V. epist. 18. in tabulariis Vaticanis.

CCXI.

Gregorius papa IX. confirmat omnes possessiones et libertates monasterii Daubrawnicensis. Dt. Reatae XIV. Kal. Julii, 1231.

Gregorius episcopus seruus seruorum dei. Dilectis in Christo filiabus . . abbatisse ac sororibus inclusis monasterio *sancti Francisci* in Morauia constituti. Salutem et apostolicam benedictionem. Sacrosancta Romana ecclesia deuotos et humiles filios ex assuete pietatis officio propensius diligere consueuit. et ne prauorum hominum molestiis agitentur. eos tanquam pia mater sue protectionis munimine confouere. Eapropter dilecte in Christo filie uestris postulationibus grato concurrentes assensu. personas uestras et locum in quo diuino estis obsequio mancipate cum omnibus bonis. que in presentiarum rationabiliter possidet. aut in futurum iustis modis prestante domino poterit adipisci sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem possessiones et alia bona uestra. sicut ea omnia iuste ac pacifice possidetis. uobis et per uos monasterio uestro auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre protectionis

et confirmationis infringere uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit. indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Reate XIIII Kalendas Julii. pontificatus nostri anno quinto.

Ex originali in curia Brunensi; lad. J. n. 5.

CCXII.

Fridericus, Romanorum imperator, Wenceslaum, filium Otakari, investit in regnum Boemiae. Dt. Melfiae, mense Julio, 1231.

C. In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Fridericus secundus diuina fauente clementia Romanorum imperator semper Augustus. Jerusalem et Sicilie rex. Tum imperiale fastigium sua rutilat dignitate. ac potentie sue sceptra clarificat. cum ad reges et principes. suo subiectos imperio. sue radios claritatis effundit. et ipsis paterna regna munifica largitione confirmat. Hinc est igitur quod per presentem Augustalem paginam notum esse volumus tam modernis quam posteris uniuersis. quod cum olim uiuente dilecto principe nostro Odakaro illustri Boemorum Rege. recepto a dilecto principe et affine nostro *Watizlao iuniori Rege* filio eius homagio iuxta morem concesserimus ei tamquam primo genito de innata liberalitate nostra regnum Boemie post eiusdem patris sui obitum ab imperio possidendum. attendentes ad presens. rege predicto O. patre ipsius rebus humanis exempto. qualiter ipse dum vixit. nobis illustri Romanorum regi. Henrico carissimo filio nostro. et Imperio deuotus extiterit. et memoratus filius eius Watizlaus Rex iunior paterne deuotionis erga nos. dictum regem filium nostrum et Imperium imitator et successor existat. atque iugiter grata et ardua seruicia exhibet. et in antea exhibere poterit gratiora. nec non etiam ob maioris dilectionis gratiam. qua suo incremento tenemur. cum illustrem reginam . C. dilectam consobriam nostram habeat feliciter in consortem. concessionis dudum habite munera liberaliter prosequentes. Regnum Boemie cum omni honore ac dignitate. ciuitatibus. castris villis. et terris eidem regno pertinentibus. et cum omni iure quo dictus rex pater eius idem regnum rationabiliter noscitur possedisse. imperialis auctoritatis munimine

confirmamus prefato Watizlao iuniori regi. tenendum et possidendum sicut tenere debet a nobis et imperio. presentis priuilegii auctoritate mandantes. quatinus nullus princeps. dux. marchio. comes. legatus. nullaque sublimis persona vel humilis. ecclesiastica vel mundana. contra presentis confirmationis nostre diualem paginam venire presumat. quod qui presumpserit. pena mille librarum auri se compositurum agnoscat. quarum medietatem curie nostre. et reliquam parti passe iniuriam se nouerit soluturum. Ad huius itaque nostre confirmationis memoriam et robur perpetuo ſvaliturum presens priuilegium fieri. et bulla aurea typaris nostre maiestatis impressa iussimus communiri. Huius autem rei testes sunt. Lando Reginus. Ja. Capuanus. et Marinus Barensis archiepiscopi familiares et fideles nostri ... Salernitanus et Pe. Brundusinus archiepiscopi. R. Melfiensis et P. Rauellensis episcopi. frater Hermannus magister hospitalis sancte Marie Theotonicorum in Jerusalem. Pebardus de Arneysten legatus in Ytalia . . . langrauius de Luckimber. comes Perardus de Saumes. Fridericus de Karo. et Conradus de Smidiluelt. Manfridus marchio Lanzensis. Th. comes Acerrarum. Riccardus marescalcus. Riccardus camerarius. Henricus magne imperialis curie magister iusticiarius et alii quam plures. Signum domini nostri Friderici secundi dei gratia inuictissimi Romanorum imperatoris semper Augusti. Jerusalem et Sicilie regis. Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo primo. mense Julii. quarte indictionis. Imperante domino nostro Friderico dei gratia illustrissimo Romanorum imperatore semper Augusto. Jerusalem et Sicilie rege. anno imperii eius undecimo. regni Jerusalem sexto. regni vero Sicilie tricesimo quarto. feliciter. amen. Datum in ciuitate Melfie. anno mense et indictione pretitulatis.

Ex originali cum bulla aurea appensa in c. r. archivo aulico Vindobonae. — Excusum apud Goldastum in appendice 15. et alios.

CCXIII.

Robertus, episcopus Olomucensis, monasterio Oslowanensi confirmat jus patronatus ecclesiae s. Jacobi Brunae, collatum quondam a rege Přemysl.

Dl. in Modricz, 1231.

In nomine sancte trinitatis. et indiuidue vnitatis. Nos dei gracia Rubertus. Olomucensis episcopus abbatisse. et toti sacro conuentui in *valle*

sancte Marie. que vulgo dicitur Ozlauan. deo seruientibus inperpetuum. Cum antiquorum matura et decocta prudencia gesta temporum suorum consueuerit scriptis mandare. eo quod gestarum rerum memoria esset tenax. et firma. nos eorum imitantes uestigia statuimus quedam necessaria claustro vallis sancte Marie in scriptis redigere. et precipue illa que quodam tempore in nostra presencia sunt diffinita. Nouerit itaque tam presens etas. quam futura posteritas. quod illustris memorie III. Rex Bohemorum *Premizl* nomine. ad peticionem nostram et aliorum bonorum virorum pro remedio anime sue. et inclite recordacionis *Wladizlay.* fratris sui. quondam marchionis morauie. ivs patronatus in ecclesia *sancti iacobi.* que est sita in Burgo *Brunensi.* cum omnibus appendiciis suis. contulit claustro quod vulgo uocatur Ozlauan. ad usus inibi deo seruiencium. Super qua donatione eis suum dedit priuilegium. suo sigillo munitum. que ecclesia illos deberet habere limites. quos tempore fratris sui Wladizlay consueuerat habere. videlicet quod omnes teutonici. et gallici. prefate ecclesie cum decimatione. et omni iure ecclesiastico debeant subiacere. Nos autem illi ecclesie concessimus ius parrochiale. quoad baptismum et sepulturam. et cetera sacramenta. que spectant ad ius parrochiale. quia illa ecclesia temporibus nostris fundata. et a nobis in expensis abbatisse prenominate consecrata. Ecclesia avtem *sancti Nicolay.* que iacet infra terminos ecclesie sancti iacobi. non debet habere sepulturam. nec baptismum. nec huiusmodi sacramenta parrochialia. Sed quia ciues circa illam manentes. maxime erant romani. et linguam morauorum uel teutonicorum non intelligebant. ideo auctoritate nostra facta fuit capella sancti nicolay. et a nobis consecrata. et dedimus eis romanum sacerdotem. qui eorum linquas intelligeret. et confessiones audiret. et haberet diurnam vtilitatem. qualiscumque posset fieri de oblationibus eorum. et siquid vellent ei boni specialiter facere hoc suum esset. Et hoc fecimus cum consensu et consilio capituli nostri. Sacerdos autem in ecclesia sancti Jacobi non debet institui. nisi ad presentationem domine abbatisse. et conuentus illius ecclesie. salua vbique auctoritate diocesani episcopi et archidiaconi. ita ut eorum iuri in nullo detrahatur. Nec sacerdos debet institui ad ecclesiam sancti Nicolay. nisi saluo iure sancti Jacobi ecclesie. et ab ipsa debet institui. Testes autem huius donationis et confirmationis sunt hii. Arnolphus trebecensis. Conradus

Zaberdouicensis. Otto Lutomislensis abbates. Ambrosius prepositus Cunicensis. Mauritius de Lubes. Luduicus et Simon de Weligrad monachi ordinis cisterciensis. Dominus nicolaus. archidiaconus Brunensis. Conradus notarius brunensis. Et alii quam plures. Datum in Modriz. anno ab incarnatione domini M. CC. XXXI.

Ex originali in curia Brunensi.; lad. K. n. 2.

CCXIV.

Wenceslaus, rex Boemorum, monasterio Welehradensi confirmat literas patris sui Otakari ab anno 1228. Dt. in Welehrad XV. Kal. Februarii, 1232.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Amen. Ego Wenzeslaus dei gracia Rex Boemorum IIII. monasterio *Willegradensi* Cisterciensis ordinis et fratribus ibi deo seruientibus inperpetuum. Cum regalis potestas debeat esse clemens et munifica et precipue sanctarum ecclesiarum prouidere libertati et securitati, venerande antiquitatis decernimus imitari vestigia et monasteria magnificentissime memorie auorum et proauorum nostrorum constructa, insuperque celebris memorie patris nostri *Premizle* et inclite recordacionis patrui nostri *Wladizlay* abbaciam ab eis fundatam, dotatam et ditatam, cura diligentissima manutenere, fouere et tueri et iura ipsi abbacie afflua liberalitate concessa perpetualiter conseruare, in quantum diuina nobis concedit auctoritas et nostra perspicacior prouidencia sacrosanctis ecclesiis valet consulere. Inspeximus autem priuilegia excellentissimi patris nostri et insuper preclari patrui nostri, ideoque quicquid ab eis iuris et libertatis concessum monasterio Willegradensi in eorum priuilegiis, eidem monasterio abprobamus et confirmamus. Et ne quis dubitet, quid in priuilegio patris nostri contineatur, uerbo ad uerbum fecimus in hac carta exprimi, vt nullius animus, cum ex autentico nostro certam rerum habeat noticiam, possit aliqua suspicione turbari, quando nostre liberalissime uoluntatis cognoscatur circa abbaciam Willegradensem plena deuocio et continua defensio. Priuilegium gloriosissimi patris nostri incipit sic: *In nomine etc. (Vide n. CLXXXVI.)* Hic est expressus integraliter

tenor priuilegii patris nostri illustris memorie regis Premisle, qui et Othacarus cognominabatur. Quem tenorem nos auctoritate nostra confirmamus, et etiam, vbicunque possumus, eidem monasterio plenius et firmius volumus prouidere, secundum quod conuenit magnifice potestati nostre. Testes quidem huius nostre confirmacionis et accedentis in priuilegio patris nostri consensus sunt hii, qui ad hoc uocati sunt et in quorum presencia hec acta sunt, scilicet in capitulo Willegradensi, ubi nostre potestatis plena accessit auctoritas. Nomina autem testium sunt hec: Heinricus abbas Placensis cum monachis Lupoldo et Heinrico. Rivvinus abbas Gredicensis cum monacho Sebastiano. Bohuslaus filius Zlauconis. Heinricus filius Witiconis. Swatoslaus. Nycolaus filius Bohute. Watha subcamerarius. Jaroslaus subdapifer et Zbraslaus subpincerna. Sulizlaus filius Zvesth. Strezimirus. Ahna filius Milhost. Daleborus. Mladota filius Bohusse. Guntherus de Budissin Boemi. Moraui Petrus comes. Slawa. Sudomirus. Pardus. Semislaus. Johannes. Andreas. Gerardus. Wilehelmus pincerna et Lupoldus frater eius. Gebehardus. Que vt omnia rata permaneant, hanc nostre serenitatis paginam sigilli munimine fecimus roborare. Datum in Willegrade anno ab incarnacione domini MCCXXXII. XV. Kalendas Februarii, per manum Johannis notarii nostri, Lutomericensis canonici, presidente domino Alberto abbate reuerendo.

Ex originali in c. r. archivo aulico Vindobonae. — Aliud exemplar autographum adservatur in arch. ejusdem monasterii sign. A. 3. — Apographum in cod. Welehradensi Ms. fol. 6.

CCXV.

Wenceslaus, rex Boemorum, confirmat fundationem et dotationem monasterii Welehradensis factam a patre suo Přemysl Otakaro et patruo Wladislao, marchione Moraviae, et varias libertates eidem monasterio concedit.

Dt. in Welehrad XV. Kal. Februarii, 1232.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Amen. Ego Wenzezlaus dei gracia rex Boemorum IIII. monasterio *Welehradensi* Cysterciensis ordinis et fratribus ibi deo seruientibus. Cum regalis potestas debeat

clemens et munifica et precipue sanctarum ecclesiarum prouidere
ati et securitati, venerande antiquitatis decreuimus imitari uestigia et
steria magnificentissime memorie auorum et proauorum nostrorum con-
ta, insuperque celebris memorie patris nostri *Premizle* et inclite re-
cionis patrui nostri *Wladizlay* abbaciam ab eis fundatam, dotatam et
m cura diligentissima manutenere, fouere, et tueri et iura ipsi abba-
ffua libertate concessa perpetualiter conseruare, in quantum diuina
concedit auctoritas et nostra perspicacior prouidencia sacrosanctis
siis ualet consulere. Inspeximus autem priuilegia excellentissimi patris
i et insuper preclari patrui nostri, ideoque quicquid est ab eis iuris
ertatis concessum monasterio Welehradensi in eorum priuilegiis eidem
sterio approbamus, confirmamus et augmentamus. Noscat igitur tam
ns hominum etas, quam successura posteritas, quod nos specialis
gatiua dilectionis claustrum Welegradense conplectentes principaliter
medium anime nostre et assecutionem felicitatis eterne, omnium quo-
predecessorum nostrorum animabus salubriter prouidendo, vniuersa
egia patris nostri Premizil, qui et Ottakarus, felicis memorie serenis-
boemorum regis tercii, patrui nichilominus nostri Wladizlay recorda-
s pie, fratris eciam nostri uterini, *quondam marchionum Morauie* et
instrumenta, que super donacione vel empcione quocunque pacto,
e contractu haut scribendi modo ex parte episcoporum, clericorum,
um, militum, aduenarum Welegradensis assecuta est ecclesia, de
ad uerbum, de clausula ad clausulam, de articulo ad articulum iuxta
em et formam priuilegiorum et instrumentorum perpetualiter duximus
manda; perpetuantes eidem omnes donaciones et gracias simulque et
ates, que sibi ex parte omnium nostrorum predecessorum et con-
uineorum pariter inpense sunt. Adicientes, vt in quacunque ciuitate,
foro, theloneo, seu alio loco nostre potestatis, equus et aliud animal,
unque censeatur vocabulo, deprehensum aut detentum fuerit, veluti
nter ablatum aut furto subtractum, eodem precio redimatur, quo se
s emisse profitentur. Si uero in remedium decedencium collatum
, idem precipimus obseruari. In rei geste euidenciam et robur per-
m presens priuilegium sigilli nostri karactere consignantes. Testes,
uic actioni interfuerunt, nominetenus subscribendo: Heinricus abbas

Placensis. Rivvinus abbas Gredicensis. Bohuzlaus filius Zlauconis. Heinricus filius Witiconis. Szuatozlaus. Nycolaus filius Bohute. Wata subcamerarius. Jarozlaus subdapifer. Zbraslaus subpincerna. Zulizlaus filius Zvesth. Strezimirus. Ahna filius Milhost. Daleborus. Mladota filius Bohusse. Guntherus de budissin Boemi; Morani: Petrus comes, Slawa. Zudomirus. Parduz. Semizlaus. Johannes. Andreas. Gerardus. Willehelmus pincerna. et Liupoldus frater eius. Gerardus. Datum in Welegrade anno ab incarnacione domini MCCXXXII. XV. Kal. Februarii, per manum Johannis notarii nostri, Lutomericensis canonici. Presidente domino Alberto abbate reuerendo. Hoc sancientes, vt priuilegiorum nostrorum violatores in cameram nostram et successorum nostrorum decem marcas auri componant.

Originale in c. r. aulico archivo Vindobonae cum sigillo appenso genuino quidem et illaeso, sed filis sericeis delabentibus inepte applicato; diploma ipsum secundum computum F. Palacky est sublestum, quum characterem seculi XIII. cc. medii prae se ferat; tenor vero diplomatis impugnari non potest. — Apographum in codice Welehradensi Ms. fol. 13.

CCXVI.

Wenceslaus, rex Boemorum, emtionem villae Boleluc confirmat Radoslao, archidiacono Olomucensi, cc. 1232.

W(enceslaus) dei gracia rex Boemorum omnibus, ad quos littere iste peruenerint, salutem in eo, qui est salus omnium. Notum sit vniuersis et singulis litteras presentes inspecturis, quod cum medietatem ville, que vocatur *boleluch* a nobili viro *Bohuzlao* filio *Proliuen Radozlaus archidiaconus Olomucensis* cum omnibus appendiciis emisset, videlicet pratis, siluis, aquis, taberna, molendino cum terra ad benefficium venatoris pertinente, ad nos humiliter accedens peciit, quatenus regia munificencia suam emcionem liberaliter confirmaremus, ne inposterum ab aliquo vel aliquibus questio moueatur, et ne factum obliuionis desidia sepeliatur, nos ad preces ministri Barnabe et fratrum eius videlicet Hermanni, Engilscalci, Cunradi de Brunna inclinati ob deuocionis predicti archidiaconi obsequium regia auctoritate confirmamus et sigilli nostri munimine roboramus, dantes ei potestatem vendendi claustris, vel cognatis vel cuicunque voluerit conferendi. Huius autem sollempnis confirmacionis testes sunt isti: Preborius

cum filiis. Wocco de thowachow cum hominibus suis. Wocco subcamerarius. Thomas. Victor. Moises archidiaconus. Johannes. Martinus. Iasco miles . . .

Apographum in codice Welehradensi Ms. sec. XV. fol. 42.

CCXVII.

Gregorius papa IX. ministris et fratribus ordinis Praedicatorum in regno *Boemiae* constitutis praedicationis officium contra Prutenos injungit, ac *Bohemos*, qui Hierosolymitanum iter voverant, commutato voto adversus Prutenos signa attollere imperat. Dt. Reate X. Kalendas Februarii, pontificatus anno V. (1232.)

Raynald XIII. p. 426; — Palacky's Reise p. 25. — e Regesto Gregorii IX. anni V. epist. 168.

CCXVIII.

Wenceslaus, rex Boemiae, confirmat monasterio Oslovanensi literas fundationis a. 1228. datas. Dt. in Znoym, VII. Idus Augusti, 1232.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Ego Wencezlaus rex boemorum qvartus. Monasterio *Vallis sancte Marie* qvod wlgo uocatur *Ozlowan.* et deo ibidem seruientibus inperpetuum. Cvm regalis potestas debeat esse clemens et munifica. et precipue sanctarum ecclesiarum prouidere libertati. et securitati. venerande antiquitatis decreuimus imitari uestigia. et monasteria de consensu et uoluntate magnifici patris nostri *Premizl* in regno nostro constructa. specialiter autem abbaciam sanctimonialium vallis s. Marie in Ozlawan cisterciensis ordinis a quadam nobili matrona nostra domina Helwidi constructam. cura diligentissima manutenere fouere et tueri. et iura ac libertates ipsius abbacie. a prefato venerando patre nostro afflua liberalitate concessa. prout in ipsius priuilegio continetur perpetualiter conseruare. Et ne quis dubitet. qvin nostre liberalissime uoluntatis cognoscat circa prefatam abbaciam plena deuocio et continua defensio. quicquid in priuilegio gloriosissimi patris nostri continetur. uerbo ad uerbum in hac

carta fecimus annotari. quod sic incipit. *In nomine sancte trinitatis et indiuidue unitatis. Ego Premizl qui et othacarus tercius rex Boemorum . . . (Vide n. CLXXXV.)* Hic est expressus integraliter tenor priuilegii patris nostri illustris memorie Premizl. qui et Othacarus cognominabatur. Quem tenorem nos auctoritate nostra confirmamus. et eciam ubicunque possumus eidem monasterio plenius et firmius uolumus prouidere. secundum quod conuenit magnifice potestati nostre. Testes autem huius confirmacionis sunt hii. Albertus abbas Welgradensis. cum Walchuno et Jacobo monachis ordinis cisterciensis. Wiçpertus de sancto ypolito. Cunradus notarius brunnensis. Henricus filius Witiconis. Bohuzlaus de Vranow. Hruto de Betowe. Hartlibus. Wilhelmus. et frater suus Livpoldus. Henricus filius Pribrami. Lvtoborius. Branizlaus. Bohusch. znoemenses. Theodericus procurator Znoemensis prouincie. et alii quam plures. Datum in Znoim. per manum Johannis notarii nostri. Lvthomericenses canonici. Anno ab incarnatione domini M. CC. XXXII. VII. Idvs Augusti.

Ex originali in curia Brunensi; lad. K.

CCXIX.

Přemysl, marchio Moraviae, capellano suo Gregorio terram duorum camerariorum in ipsius villa Lodenice et silvam adjacentem confert. Dl. in Znoym, mense Novembri, 1232.

In nomine domini amen. Premisl Dei gracia marchio Morauie. Omnibus ad quos presens scriptum peruenerit. Cum in signum prouidencie principalis facta et statuta nostra littere, que baculus est memorie, committere debeamus: Notum facimus vniuersis, quod nos fideli capellano nostro *Gregorio* digna retribucione ipsius seruicio nobis exhibito principaliter recompensare volentes terram duorum camerariorum in ipsius villa nomine *Lodeniche* existencium et siluam adiacentem pro ipsius commodo ampliori contulimus hereditarie possidenda, precepta ewangelii attendentes: dignus est operarius mercede sua. Quum autem quorumlibet hominum statuta et facta processu temporis euanescere consueuerunt, ad huiusmodi errorem repellendum et dubietatem importunam hanc nostram donacionem

presenti littere inserentes nostri sigilli appensione imperpetuum confirmamus. Hii sunt testes. Wocco Olomucensis camerarius. Semizlaus. Priborius iudex Olomucensis. Zlauata. Zpitata venatores Olomucenses. Wokko subcamerarius. Cyrh subdapifer. Idik subpincerna. Bludo filius Bludonis. Bludo filius Onsonis. Bohuzlaus filius Prothiuen. Beneda marscalcus. Beneda. Woina filii Woine. Sudomirus filius Sudomiri. Pabianus. Woina filii Luder. Bocko filius Gerardi. Nahrad filius Weliz. Zbizlaus. Predbor filii Miloslai. Ratibor. Tworimir filii Budizlai. Bun. Jurik. Buz filii Priborii. Zauisse nepos Semizlai. Bose. Bohuta. Brecizlaus. Neplah filii Neplah. Vlastibor. Gilye filii Jankonis. Predbor filius Ratmirii. Ceren. Jacssa. Luder filii Scripen. Luczlaus filius Nedamiri. et alii quam plures. Datum in Znoym per manus Bartholomei dilecti prothonotarii nostri anno dominice incarnacionis M. CC. XXXII. mense Nouembris.

Apographum in codice privilegiorum membran. n. I. sec. XIV. f. 23. in arch. capituli Olomucensis.

CCXX.

Testamentum Roberti, episcopi Olomucensis, continens fundationem praepositurae Olomucensis, aliasque pias ordinationes. S. d. (1232.)

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Ego Robertus Olomucensis episcopus. Ea, que debent habere firmitatem et rite sunt ordinata merito debent in scriptis redigi, ne cuiusquam inuidia fraude uel violencia valeant immutari. Nouerint itaque tam presentes quam futuri, quod *preposituram in Olomuc* instituimus, cui ad refeccionem fratrum tres villas assignauimus: villam, que vocatur *Dub*, cum duobus aratris. *Dluhoniz* cum aratro. *Ottegriby* cum aliquantis aluearíis apum, redditus *capelle de Cromezir*. Exceptis hiis, que ad sacerdotem inibi seruientem secundum quod antiquitus ordinatum fuit pertinebant, cum aliis quibusdam rebus in Olomucz molendino et quibusdam curiis. Addidimus eciam ei decimam vinee noue, quam plantauimus in *Pustimir*. Quedam eciam addidit ei rex, secundum quod continetur in priuilegio regis, in quo libertas Olomucensis ecclesie continetur, quod dominus papa confirmauit. Ecclesie in *Pustimir* dedimus ad aratrum

et dimidium in ipsa uilla et terram ad aratrum in *Drissiz* et totam terram quam habuimus in *Schelchdol,* decimam trium aratrorum et prouentum nostrum in omnibus vendicionibus et censu et caseorum et quaduordecim denariorum. Vineam eciam, quam emimus cum arboribus infra sepem eiusdem vinee contentis. Insuper addidimus ei ducentos numos de censu nostro ibi accipiendo, quia duos ordinauimus sacerdotes, ad quorum vsus ista spectare debent; et qualibet septimana due misse debent dici exceptis aliis, vna pro peccatis et altera pro defunctis, nisi infirmitas eorum prepedierit uel grauis superuenerit necessitas, et tantum, quod obmissum fuerit, debet suppleri. Ad lumen ecclesie Olomucensis dedimus qualibet septimana triginta numos, ut sancti, qui lucent in luce perpetua, nostri luminis honorentur collacione. Vt autem cresceret seruicium in ecclesia Olomucensi prebendam ordinauimus in hunc modum: Villam *Tucep* totam cum aratro et molendino prepositure et obediencie fratrum, pro qua reficiuntur in aduentu et in quadragesima, dedimus, medietatem prepositure et medietatem obediencie. Ne sit eis graue nouum pascere canonicum, nouo canonico assignauimus loco prebende duodecim denarios qualibet septimana de thaberna medonis in *Cromezir* et terram spectantem ad episcopatum in *Guzssow* de redditibus, quos canonici percipiunt, ante tempora ista nichil debet habere, quoadusque ei ex consensu fratrum ita prouideamus, ut bene fieri possit. Quicunque tenet uel tenuerit istam prebendam, debet succedere in primam vacantem et tunc integre omnia cum fratribus percipere. Prebenda vero illa post hoc debet alii conferri, vt probetur, qualis vite futurus sit, et sic consensu fratrum succedat in prima vacante et hoc in perpetuum. Prepositus et obedienciarius de villa prenominata debent dare duo prandia fratribus, et illis diebus, quando dantur prandia, vna missa dicatur pro peccatis et alia de sancto Johanne Euangelista et fratres pariter conueniant. Terram episcopatus nostri in *Rathay* et aliam, quam ibidem acquisiuimus, cum quinque marcis dedimus ecclesie Olomucensi. Inde sunt cottidiane misse pro defunctis ordinate in ecclesia. De Rathay debent dari tria prandia fratribus in tribus diebus, in quibus debent dici tres misse, vna pro animabus omnium fidelium defunctorum episcoporum et canonicorum illius ecclesie et anima patris et matris nostre dicetur, alia missa pro peccatis, quam diu nos uiuimus, que post vitam nostram debet

commutari in missam anniuersarii nostri. Tercia dicatur in honore sancte Crucis solempniter. Si quid vero fratres possunt inde plus vti, vtantur. Pro marchionissa ordinata est vna refeccio in die sancti Johannis euangeliste, alia refeccio semel in anno. Et tunc debet dici missa pro peccatis, quam diu ipsa uiuit. Post mortem vero eius debet commutari in missam anniuersarii eius. Memoria patris et matris eius debet esse in ecclesia illa et hoc pro illis terris, quas contulit Olomucensi ecclesie. Quicquid continetur in priuilegio abbatis de Wellegrad a nobis concesso et sigillo nostro munito, vel in abbatis de Luca, vel in abbatis de Luthomissl uel in abbatis de Gradissch, tantum de decima de Nackel, uel in priuilegio dominarum iuxta sanctum Petrum a nobis dato cum canonicorum testimonio totum sit ratum. Vt autem hec omnia rata permaneant, hanc paginam nostro sigillo fecimus muniri et huius nostri facti transgressores excommunicauimus. Si quis vero successorum nostrorum dicat, facile fuit ei conferre ea, que non acquisiuit, in recompensacionem collatorum respondeant pro nobis possessiones empte et recuperate, redditus episcopatus multiplicati, adaucta et emendata edificia que omnia pre se sine nostra voce nostri laboris ferant testimonium. Altare quoddam sancte Katharine consecrauimus in ecclesia beati Petri, cui dedimus thabernam quandam in *Prerow* et terram vnam ad aratrum in *Beztruzicz* et decimam duorum aratrorum in *Jarogneuiz* circa Cromezir; pro hac collacione debent solui prandium fratribus et clericis in festo ipsius virginis, et fratres debet ibi conuenire et vesperas et vigilias et cetera diuina officia solempniter celebrare. Ecclesiam Olomucensem, quam vir sancte memorie Sdiko edificauit, nos post incendium sicut hodie apparet reparauimus. Cuius patronis corpus et animam et iter nostrum commisimus. amen.

Apographum in codice privilegiorum chartaceo n. II. sec. XIV. f. 84. in arch. capituli Olomucensis.

CCXXI.

Constantia, regina Boemiae, cum filio Přemysl, marchione Moraviae, donant monasterio ad s. Petrum Olomucii terram in Drozdowice. Actum in Olomuc, XII. Kal. Februarii, 1233.

In nomine sancte trinitatis. Notum sit uniuersis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis quod Ego *Constancia dei gratia Regina Boemiae et Premizl filius meus eadem gracia Marchio Moravie* mecum. pro remedio animarum nostrarum et predecessorum nostrorum deuotis uirginibus circa ecclesiam *sancti Petri in Olomuz* Christo famulantibus terram ad castrum Gradecense pertinentem in willa que dicitur *Drozdowic.* contulimus iure hereditario in perpetuum pacifice possidendam. Pauperibus super fundum earundem in predicta willa residentibus eandem quam wille Olomucensi Episcopatui antiquitus collate habent plene et absolute indulgentes libertatem. Hec autem fecimus Alberto nobili viro qui tunc Castrum Gradecense tenebat et ad quem ratione castri dicta terra pertinebat existente presente et huic nostre collacioni beniuolum prebente consensum et fauorem. Et ut nostra elemosina stabilis et rata permaneat. presentem cartam sigillorum nostrorum munimine fecimus roborari. Huius rei testes sunt. Woch camerarius. Holach purcrauius. Prebor iudex. Ones. Semizlaus. Spitata. Slauata. Mztata castellani Olomucenses. Johannes decanus. Radozlaus. archidiaconus Olomucensis. Moyses archidiaconus Brecizlauiensis. Nicolaus archidiaconus Brunensis. Alexius. Henricus. canonici Olomucenses. Actum in Olomuz. XII. Kalendas Februarii. anno dominice incarnacionis Millesimo CC. XXX. III.

Ex originali in archivo capituli Olomucensis.

CCXXII.

Constantia, regina Boemiae, et Přemysl, marchio Moraviae, confirmant civibus de Freudenthal privilegium Otakari ab anno 1213. Acta in Olomuc, mense Januario, 1233.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Ego Constantia dei gratia regina Boemie et *Premizl* filius meus eadem gratia *marchio Morauie.*

notum facimus vniuersis tam modernis quam futuris ad quos presens pagina peruenerit. quod exhibita nobis humilis petitio dilectorum ciuium de *Ureudendal* continebat. quatenus priuilegium felicis recordationis *Premizl.* regis Bohemorum mariti et patris nostri karissimi. eisdem ciuibus concessum de innate clementie gratia confirmare dignaremur. cuius quidem priuilegii tenor conscriptus est in hec verba . *Premizl dei gratia . . (Vide n. LX.)* Et ut hec omnia et singula in hoc priuilegio per articulos specialiter expressa tempore vite nostre rata et inconuulsa prefatis ciuibus permaneant hanc nostre confirmationis paginam sigillorum nostrorum munimine iussimus roborari. Huius rei testes sunt hii. Woch camerarius. Holach purcrauius. Prebor iudex Olomucenses. Beneda marsalcus. Sezema pincerna domini Marchionis. Victor. Blud. Voitech de Medlov. Oztoy. Johannes decanus. Radozlaus archidiaconus. Moyses archidiaconus Brecizlauensis. Esav archidiaconus Prerovensis. Nicholaus archidiaconus Brunnensis. Henricus canonici Olomucenses. Gregorius capellanus noster. Acta sunt hec in Olomuz. mense Januario anno dominice incarnationis Millesimo CC. XXXIII. indictione sexta.

E codice Ms. Tischnowicensi sec. XIV.

CCXXIII.

Constantia, regina Boemiae, et Přemysl, marchio Moraviae, confirmant monasterio Siloensi literas Waceslaw ducis ab anno 1174. super praedio Stannern et silva Borek. Acta in Olomuc, mense Januario, 1233.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Ego Constantia dei gratia regina Boemie et Premizl filius meus eadem gratia marchio Morauie. notum facimus vniuersis tam presentibus quam futuris quod ad petitionem abbatis *Siloensis* nomine Hermanni litteras quondam *Waczlai ducis* super commutatione prediorum in terre nostre ditione facta nobis humiliter exhibitas in huius scripti tenorem transcribi fecimus in hec verba. *In nomine domini ... ego Wacezlaus dux Morauiensis ... 1174 — (Vide Tom. I. n. CCCXIII.)* — Et ut hec omnia et singula in hiis litteris per articulos specialiter expressa omni euo rata et inconuulsa fratribus prefati

monasterii permaneant hanc nostre confirmationis paginam sigillorum nostrorum munimine iussimus roborari. Huius rei testes sunt hii. Woch camerarius. Holach purcrauius. Prebor iudex Olomucenses. Beneda marsalcus. Sezema pincerna domini Marchionis. Victor. Blud. Voitech de Medlov. Oztoy. Johannes decanus. Radozlaus archidiaconus. Moyses archidiaconus Brecizlauensis. Esav archidiaconus Prerovensis. Nicholaus archidiaconus Brunnensis. Henricus canonici Olomucenses. Gregorius capellanus noster. Acta sunt hec in Olomuz. mense Januario anno dominice incarnationis Millesimo CC. XXXIII. indictione sexta.

Ex eodem codice Tischnowicensi.

CCXXIV.

In nomine sancte et indiuidue Trinitatis. Amen. Nouerint igitur posteri et presentes, quod, quia serenissima mater nostra *Constantia*, regina Boemie, pro remedio anime sue pariter et nostre, concepit fundare monasterium dominarum Prage in ecclesia, que dicitur S. Petri in vico Teutonicorum: nos Dei gracia Wenceslaus, rex Boemie, cupientes matris nostre desiderium promouere, concedimus eidem et donamus circuitum Withsin... Datum Prage, anno incarnationis dominice M. CC. XXXIII. Indictione VI. VIII. Idus Februarii, per manum Arnoldi Cancellarii.

Millauer — Der deutsche Ritterorden in Böhmen pag. 91.

CCXXV.

Nos Constantia, Dei gratia regina Bohemie, coniux quondam bone memorie regis Ottocari, circuitum Withsin . . . quem Wenceslaus filius noster, gloriosus rex Bohemie, nobis donauit monasterio Teplensi vendidimus cum pertinentiis omnibus . . . Solutionis autem series sic processit: concepimus siquidem, Prage in ecclesia, que dicitur S. Petri, in qua fratres hospitalis S. Marie de domo teutonica morabantur, locare Cisterciensis ordinis moniales: ad quarum alimoniam, ab eisdem fratribus, villam Glupetin cum suis pertinentiis, et quedam bona alia comparauimus pro mille et quin-

gentis marcis: et in sexcentis marcis abbatem ad conuentum Teplensis ecclesie, ipsis fratribus delegauimus debitores. Verum quia in ecclesia S. Petri Prage domine religiose ordinis Cisterciensis commode non poterant commorari: *ipsis in Morauia, in loco, qui Tusnowic dicitur, competentem constituimus mansionem*: bona vero, que a predictis hospitalariis emeramus, videlicet Glupetin cum suis pertinentiis, S. Francisci contulimus hospitali. Memorati autem abbas et conuentus, predictis fratribus has villas, Bichcovici, Vezel, Ugezdez, curiam in Lutomiric, Perna, cum vineis et aliis pertinentiis; pro quadringentis marcis exposuerunt: et insuper in puro argento, ducentas marcas eisdem plenarie persoluerunt. Ut autem ... Acta autem sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XXXIII. Indictione VI. VIII. Idus Februarii. Data Prage in claustro S. Georgii.

Millauer — ibidem pag. 92.

CCXXVI.

Nos Wenceslaus — quod mater nostra Constantia, illustris regina Boemie, D. Abbati Johanni de Tepla, nostra voluntate annuente, circuitum Withsin, Utheri, Oleschowic, Leschen, Posho, Drewohrisi, Starawez, Dobrawoda, Nemschize, Hyrztowo, Brachometi, Otroschin, Dizowe, Botruzowo, Qualizi, Bohuslawe cum omnibus suis attinentiis, pro DC marcis argenti vendidit hereditario iure possidendum: ut cenobium S. Petri Prage in vico Teutonicorum, a fratribus domus teutonice pro MD marcis comparatum posset exsoluere. Testes autem huius rei sunt hii: Venerabiles viri: Abbas Bernhardus de Buch, Abbas Petrus de Strahow, Abbas Hermannus Siloensis, Arnoldus cancellarius regie aule, Wissehradensis prepositus: Gerhardus, canonicus eiusdem ecclesie: Johannes, notarius: Wilhelmus, notarius: Henricus de novo castro: Wacco, subcamerarius: Bohuzlaus, frater eius: Henricus, filius Zmyl: Zawische, filius Witegonis: Nostup de Frinberg: Neulaz, filius Radislai: Budislaus, filius Jaroslai, Zulezlaus: Zlawnik: Yposch: Przibislaus cum fratre Brunone: Przibislaus, filius Spe: Zbrazlaus, subpincerna: Gallus, filius Marquardi: Fridericus, filius Naserad: Witha de Stankowic: Cunradus da Walkenberg: Nothat, Campanosius,

et Lambinus, fratres: de domo teutonicorum, Volkmarus: et iterum Volkmarus: Mladota: Gozwin: Hermannus: et alii quam plures. Ut autem ... Facta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XXXIII. Indictione VI. VIII. Idus Februarii. Datum Prage, per manum Arnoldi cancellarii.

Millauer — ibidem pag. 94.

CCXXVII.

Gregorius papa IX. monasterio Daubrawnicensi indulgentias elargitur. Datum Anagniae, VII. Kalendas Martii, 1233.

Gregorius episcopus seruus seruorum dei. Vniuersis Christi fidelibus per Olomucensem diocesim constitutis. Salutem et apostolicam benedictionem. Qvoniam ut ait apostolus omnes stabimus ante tribunal Christi recepturi prout in corpore gessimus siue bonum fuerit siue malum. oportet nos diem messionis extreme misericordie operibus preuenire. ac eternorum intuitu seminare in terris quod reddente domino cum multiplicato fructu recolligere debeamus in celis firmam spem fiduciamque tenentes. quoniam qui parce seminat parce et metet. et qui seminat in benedictionibus de benedictionibus et metet uitam eternam. Cum igitur in sanctorum festiuitatibus debeant ecclesias uisitare fideles. si cupiunt apud deum eorum suffragiis adiunari. vniuersitatem uestram monemus et hortamur in domino. quatenus *ecclesiam sancti Francisci de Dubraunic* in eius festo ipsius petituri suffragium. et pias sororibus loci eiusdem que in paupertate suam sufficientiam posuerunt elemosynas largituri cum deuotione debita uisitetis. ut per hec et alia bona que domino inspirante feceritis. ad eterne possitis felicitatis gaudia peruenire. Nos enim de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi. omnibus in festo ipso corde contrito et humiliato accedentibus ad ecclesiam supradictam. viginti dies de iniuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus. Datum Anagnie VII. Kalendas Martii. pontificatus nostri anno sexto.

Ex originali in curia Brunensi; lad. J. n. 6.

CCXXVIII.

Gregorius papa IX. episcopo Olomucensi mandat, ut Daubrawnicense monasterium adversus molestatores tueatur. Dt. Anagniae, VII. Kalendas Martii, 1233.

Gregorius papa nonus, non absque dolore cordis, et plurima turbatione didicit, quod ita in plerisque partibus ecclesiastica censura dissolvitur, et canonicae sententiae severitas enervatur, ut viri religiosi, et hi maxime, qui per sedis apostolicae privilegia majori donati sunt libertate, passim a malefactoribus suis injurias sustineant et rapinas, dum vix invenitur, qui congrua illis protectione subveniat, et pro fovenda pauperum innocentia se murum defensionis opponat. Specialiter autem abbatissa et moniales monasterii de *Daubrawnik*, pauperum inclusarum Olomucensis dioecesis, tam de frequentibus injuriis, quam de ipso cotidiano justitiae conquerentes, literis petierunt apostolicis excitari, ut ita videlicet eis in tribulationibus suis, contra malefactores earum, a quocumque prompta magnanimitate succurratur, quod ab angustiis quas sustinent et pressuris tuto possint praesidio respirare. Eapropter papa idem Gregorius venerabili fratri episcopo Olomucensi et dilectis filiis abbatibus, prioribus, praepositis, archidiaconis, decanis et aliis ecclesiarum praelatis per Olomucensem dioecesim constitutis mandat atque praecipit: quatenus illos, qui possessiones vel res, aut domos praedictarum monialium irreverenter invaserint, aut ea injuste detinuerint, quae praedictis monialibus ex testamento decidentium relinquuntur, seu in ipsas vel ipsarum aliquam contra apostolicae sedis indulta sententiam excommunicationis aut interdicti praesumpserint promulgare, vel decimas novalium quae propriis sumptibus excolunt, seu nutrimentis animalium ipsarum spretis apostolicae sedis privilegiis extorquere, monitione praemissa, si laici fuerint, publice candelis accensis, singuli illorum in parochiis suis, excommunicationis sententia percellant, si vero clerici vel canonici regulares seu monachi fuerint, eos appellatione remota ab officio et beneficio suspendant, neutram relaxaturi sententiam, donec praedictis monialibus in Daubravnik plenarie satisfaciant, et tam laici quam clerici seculares, qui per violentam manuum injectionem in moniales ipsas anathematis vinculo fuerint innodati cum dioecesani episcopi litteris ad sedem apostolicam venientes,

ab eodem vinculo mereantur absolvi. Datum Anagniae, septimo Calendas Martii, pontificatus sui anno sexto.

Ex Annalibus monasterii S. Thomae Brunae ab anno 1769. Mss. communicavit R. D. Abbas, Cyrillus Napp.

CCXXIX.

Přemysl, marchio Moraviae, monasterio Lucensi jus patronatus ecclesie in Přimětice confert. Dt. in Znoym, IV. Nonas Aprilis, 1233.

In Nomine Sancte trinitatis. amen. Premilz miseracione diuina Marchio morauie omnibus Christi fidelibus in perpetuum. Cum inter cetera uirtutum insignia quadam excellencia speciali preluceant caritatis opera ipsis primum religio debet intendere christiana per que multitudo graciarum feliciter adaugetur. ac post exilium huius mundi peregrinantibus celestis regni patria salubriter aperitur. Omnes itaque modernos ac posteros scripti huius consideracionem et copiam habituros presencium exibitione uolumus edoceri. quoniam pro remedio anime nostre ius patronatus ecclesie de uilla nostra que *Primetic* uulgariter nuncupatur. Monasterio de *Luca* cum omni iure ad nos spectante contulimus tam hilariter quam libenter. ut uiri religiosi domino famulantes ibidem. releuata ipsorum indigencia sustentatione gaudeant ampliori. nosque oracionibus eorumdem sperate consolacionis beneficia consequentes. adepta remissione peccaminum perfrui possimus consortio beatorum. Vt autem donacio prememorata. quam affectuose ac devote in pios usus et iustas causas duximus conuertendam. rata et inuiolabilis cursu temporum perpetuo perseueret. ob resecandum tocius ambiguitatis scrupulum obuiandumque malitie hominum seu ignorancie presentem paginam sigilli nostri munimine fecimus insigniri. subscriptionem testium nichilominus adhibentes quorum nomina sunt in sequentibus subarata. Bohuzlaus filius Zlauconis. Pribizlaus sororinus Jarosonis. Albertus de Sliuan. Pribizlaus Dyrsizlaus filii percos. Ctibor. Beneda de Bethov. Semizlaus. Wilhalmus camerarius. Ben. Burggrauius de Znoim. Wyrs. Ratibor. Arclebus. Bohobud. Hrut. Lupoldus pincerna. Bohuse. Prostey. Lutobor. Lupus. Ostoy. Dethelec. Henricus. Pribrami. Branizlav. Beneda Marsalcus Marchionis.

Marquardus dapifer. Sezema pincerna. Bocko. Micul. Johannes Bahuse. filii Prozimiri. Wipertus prepositus. Marquardus. Thymo Symon Thomas Victor. Milos. petrus Wilhalmus Fisicus Gregorius Nicolaus Helyas Bartholomeus. Acta sunt hec Anno dominice incarnacionis M. CC. XXX. III. Indictione V. datum Znoyem per manus Hilarii notarii. IIII. Nonas aprilis.

Ex originali ejusdem monasterii; sign. F. 3. cum sigillo servato appenso, cujus insigne est aquila.

CCXXX.

Joannes quidam Sybothae disponens de praediis suis metae intra Polonos et Moravos statuendae mentionem facit. Dt. in Pransyna in die s. Viti, 1233.

In nomine domini amen. Ego Johannes Sybothe sciens horam mortis incertam esse et malens distribucionem rerum mearum in uita mea facere quam post mortem meam alieno arbitrio relinquere faciendam. de rebus meis ita finaliter disposui duobus filiis patrui mei videlicet Semyano et Ottoni relinquo duas uillas quas ultimas locaui in densa silua circa metas. Item cum socrus mea et vxor mea bene meruerint apud me necessitati earum quam diu vixerint tenear prouidere. si super vixerint michi ambe uel vna. relinquo eis uel ei uillam meam Cresse et uillam meam pransinam in qua dominus Thomas wratislauiensis Episcopus fundauit ecclesiam in honore beati Petri apostoli secundum quod ipsa uilla protenditur usque ad aquam pransynam et ad ortum eiusdem aque et uillam Chisouitz cum earum attinenciis. ut nominatis uillis vtantur ipse ambe uel una earum quam diu uixerit. post mortem autem earum statuo quod eedem uille relinquentur deo alicui videlicet Ecclesie secundum ipsarum arbitrium. Reliquam autem totam terram meam que est vltra pransynam versus *Osoblogam* cum uilla mea Gostonia et parte uille mee. que est super ortum Pransyne relinquo Episcopo et Ecclesie wratislauiensi et lubram ipsam et quitquid circa partes illas cesserit in partem polonie *cum statuta fuerit meta intra polonos et morauos.* quod autem fuerit *in parte Morauie* de hoc ita sit sicut statuit frater meus domazlaus. Cum autem

socrus mea si ego super uiuerem ei dederit michi uillam in Gay ante wratislauiam secundum quod ipsa est professa coram domino T. wratislauiensi Episcopo et omnibus subscriptis eandem eciam uillam post mortem meam relinquo beato Johanni ponens in opcione eiusdem Episcopi si sibi placuerit uillarum omnium predictarum plenam in presenti intrare possessionem de uillis beati Johannis michi et socrui mee et vxori mee in equipollenti preuideat utilitate quo ad nostram uitam. Ita videlicet quod hereditates mee prenotate beato Johanni cedant in presenti cum omnibus attinenciis et utilitatibus que ad ipsas pertinere noscuntur. post mortem autem nostram uille que ex parte Ecclesie memorate pro usu uite nostre nobis fuerint assignate omni fructu et apparatu ad ipsam ecclesiam reuertantur. Actum est hoc. Anno dominice incarnacionis M. CC. XXXIII. in die sanctorum viti et sociorum in uilla mea Pransyna. In die qua fundauit prenotatus Episcopus Ecclesiam in eadem uilla. et feci disposicionem hanc in presencia eiusdem Episcopi et Magistri Reginaldi archidiaconi de Opol. Socrus mee et vxoris mee. Ottonis venatoris consanguinei mei. voycesi pincerne. Makarii filii adalberti. Alexii. marcussii cognatorum meorum. hermanni tribuni de Othmuch. Magistri ade Canonici wratislauiensis. domini Martini Cancellarii Episcopi. Alberti plebani sancti Sepulcri de legnicz. Gotardi capellani Cracouiensis Episcopi Grodyslai filii lupi. Slauici Johannis filii pipini. nicolai Sulizlai capellanorum domini Episcopi. Stephani fratris Jacconis. Johannis calui. Bogdani Subdapiferi. albrachti et multorum aliorum clericorum et laicorum.

E Libro nigro ecclesiae Wratislav. apogr. in analectis Prof. Stenzel.

CCXXXI.

Wenceslaus, rex Boemiae, restituit monasterio Siloensi bona a filiis Wolframi et Ranožjri, nobilium de Moravia, ablata. Dt. apud Cladrub, VIII. Kalendas Septembris, 1233.

Notum sit omnibus presentem paginam inspecturis. quod nos Wenceslaus dei gracia Boemorum rex. Ecclesias Dei. que per regnum Boemie sunt constructe. tam in temporalibus quam in spiritualibus proficere uolentes

et dilatari. monasterium *Syloense*. quod a progenitoribus meis ad honorem dei fundatum est. sed a filiis *Wolframmi* nobilis nostri de *Morauya* uiolenter est oppressum de manibus eorundem liberare disposuimus. ut serui dei liberius et quietius in omni tranquillitate et quiete. pro pace nostra. et pro statu regni nostri. deum ibidem ualeant exorare. Hii autem sunt termini silue et predii. in Borek. a dextra parte uie Humpolecensis. qua itur in Morauiam. per montem Rozocatech. et ab ipso monte ad uiam que vocatur Nahaber. et per eandem uiam Nahaber. usque ad ryuulum zmrytsna. qui ryuulus sicut Gyglauam influit. Abinde per ascensum fluminis. Gyglaue. usque ad locum illum ubi ryuulus Otuirna ipsum flumen influit. Abinde per ascensum eiusdem ryuuly. usque ad ortum. Abinde spacio interposito oritur ryuulus Wizkydna. qui ryuulus sicut Cleteisnam influit. nullius bonis interiacentibus metas ecclesie determinat. Igitur predium illud Borek. cum suis pertinentiis. siluis. pratis. pascuis. et ryuulis. super quibus inter predictum monasterium et filios Wolframmi contentio habebatur. sicut per sententiam recolende memorie patris nostri obtinuit. auctoritate regia. coram testibus infra scriptis. eidem monasterio confirmauimus. Facta est hec confirmatio. anno dominice incarnacionis M. CC. XXXIII. octauo Kalendas Septembris. in capella omnium sanctorum. apud Clradorub. coram testibus infra scriptis. Johanne pragensi. Roberto Olomucensi episcopis. Ypolito archidiacono pragensi. Bernardo scolastico Pragensi. Hermanno preposito Lutomericensi. Marquardo archidiacono Luthomericensi. Laurencio canonico pragensi. Sdezlao camerario nostro. Vitkone seniore. et uitkone iuniore. Chastolow nobili nostro. Nostup castellano nostro de Frimberk. Brechizlao. Zbrazlao. Sulizlao. Budizlao. et Jarozlao. filiis Jarozlay. Ad huius igitur nostre confirmationis firmitatem presentem cartam nostro sigillo duximus roborandam.

Ex originali ejusdem monasterii in analectis F. Palacky. — Excus. incorrectius dedit Pelzel in Vita Caroli IV. II. 436.

CCXXXII.

Přemysl, marchio Moraviae, monasterio in Langheim villam Doloplaz in districtu Olomucensi donat sub sigillo Ottonis, ducis Meraniae, soceri sui.
1233.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Amen. Ego Premizl dei gracia Marchio Morauie inperpetuum. Pium ac deo placitum opus creditur pie religioseque viuentibus ac deo famulantibus subsidia vite atque solacia procurare. Nouerint igitur tam presentes, quam post futuri, quod ego spe vite eterne prouocatus ecclesie dei genitricis in *Lankeym* fratrum inibi deo seruiencium indigencia atque deuocione oculo clemenciore contemplata villam in *Doluplaze* denominatam in districtu Olomucensi constitutam cum vniuersis pertinenciis suis, videlicet agris, siluis, pratis, viis, inviis, itibus et reditibus quesitis et non quesitis manu potestatiua cum omni libertatis racione et integritate contradidi, exclusis eciam seruilibus oneribus, peticionibus, collectis et exaccionibus camerariorum et beneficiariorum et eius accusacionis, que Narok appellatur. Sane obseruandum, quod earumdem possessionum pensiones atque prouentus memorato conuentui in aduentu domini et quadragesima ad alleta coemenda et oleum integraliter sunt deputati et nulla obliuione seu necessitate vmquam hec nostra institucio erit immutanda. Neque igitur ecclesiastica secularisue persona huic nostre tam pie, tamque legittime donacioni atque ordinacioni inposterum aliquatenus temerario ausu valeat contraire, sed pocius rata inperpetuum maneat et inconcussa, presentem paginam conscribi atque nostro, *socerique nostri domini O. illustris Ducis Meranie* sigillis testiumque munimine fecimus roborari. Acta sunt hec anno gracie MCCXXXIII. presentibus et cooperantibus viris nobilibus ac discretis quorum nomina infra sunt annotata. Testes itaque sunt *Dux prefatus Meranie.* Henricus de Cvnnenberc et filii eius Henricus et Cvnemundus. Henricus de Wstenrode et frater eius Babo. Otto de Sconebrunne. Albertus de Blassenberch. Deinhardus de Truhpahc pincerna. Gotfridus. Slavir marscalcus et suorum ministerialium plures. De mea vero potestate atque dicione: Holach burgrauius. Szemizlaus camerarius. Bohuzlaus magister venatorum Olomucenses. Milich burgrauius Gradicensis. Bohubude de Honehu. Crut.

Lupoldus pincerna Znoymenses. Wirchozlaus. Zauis de Tassow Brunnenses. Cirho dapifer. Wocko subcamerarius. Egidius subpincerna. Beneda subpincerna. Victor. Wlaztibor. Lassek milites curie. Sdizlaus prepositus Brunnensis. Markwardus. Henricus sacerdotes. Simon. Thiemo diaconi et alii plures. Datum per manus Hilarii notarii, VII. Kalendas Octobris indiccione sexta.

E codice Welehradensi Ms. fol. 22.

CCXXXIII.

Hermannus Balko, magister de domo Teutonica, bona in Humpolec et super Gihlawa Hermanno, abbati Siloensi, vendit. 1233.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis Amen. Quia per successiones temporum sepe debilitatur memoria hominvm. oportet vt ea que a uiris fidelibus rationabiliter actitantur. testibus et scripto confirmentur. ne per antiquitatem inmvtetur in tempore. quod novvm semper debet esse et stabile. Inde est qvod *hermannvs Balko frater et magister de domo tevtunica* cum fratribus degentibus ibidem. notvm facimus vniuersis qvod domino hermanno *siloensi* uenerabili abbati vendidimus bona. illa que habvimus in *hvmpolz et svper Giglava.* villas videlicet *podole. dobre. scrisowe. bogedanze. pustsin.* cum vniversis. in silvis. pratis. venationibus. molendinis. et rivvlis in terris cultis et incultis. et omnibus pertinentiis. pro centvm marcis argenti. Qvamvis autem in rebus sacris venditio locum non habeat videlicet in ecclesiis. quia tamen cum vniuersitate transeunt ivs quod in ecclesiis sitis in prediis que vendidimus habuimus tradidimus simpliciter et absolute predicto abbati et fratribus degentibus ibidem rerum venditarum dominium concedentes. ipsis tradidimus possessionem corporalem promittentes eis de euictione et uitio cavtionem. Facta est autem hec venditio. Anno gracie M. CC. XXX. III. quoram domino peregrino quondam Episcopo. et fratribus ordinis nostri. Henrico. gladota. Gozwino. Chvnone. Bertoldo. Bertoldo et thederico sacerdotibus. hugone laico. et aliis quam pluribus. Vt ergo venditio inter nos habita et contractus ratvs et inconvvlsus permaneat presentem kartulam sigilli nostri appensione duximus roborandam.

Ex originali in museo Moravico.

CCXXXIV.

Robertus, episcopus Olomucensis, confirmat venditionem bonorum in Humpolec et super Gihlawa, necnon decimas ecclesiae Iglaviensis. 1233.

Robertus miseratione diuina Olomucensis ecclesie episcopus. Omnibus Christi fidelibus. presentem paginam inspecturis. salutem in vero salutari. Nouerit tam presens hominum etas. quam in Christo successura posteritas. quod accedentes ad nos tunc Prage constitutos. venerabiles viri. *Hermannus. cognominatus Balko. frater et magister de domo teutonica* cum fratribus suis. et *Hermannus abbas Syloensis.* nobis humiliter et deuote supplicarunt. quatinus emptionis et venditionis contractum inter conuentum monasterii Syloensis. et inter eandem domum Teutonicam mutuo habitum. et coram domino Peregrino quondam Pragense episcopo ac aliis viris ydoneis et honestis terminatum. super bonis temporalibus. que prefata domus Teutonica in *Humpolz et super Gyglaua* iuste ac legittime possidebat. et que pro centum marcis argenti vendidit Syloensi monasterio memorato. propter ratihabitionem. scripti nostri attestatione et nostri appensione sigilli confirmaremus. Cum igitur prefatus Hermannus Balko et fratres sui. ius quod habuerunt in ecclesiis sitis in prediis que vendiderunt. simpliciter et absolute tradiderint cum decimis integralibus tam theloneorum quam villarum prefato Hermanno abbati et ecclesie Syloensi. vt gestorum series predictorum per nostram attestationem. firmius robur habeat et munimen. ad petitionem partis utriusque presentem paginam nostri impressione sigilli duximus roborandam. curam animarum abbati Syloensi et fratribus eius in Gyglaua. que ad nostre spectat diocesis iurisdictionem committentes. Decimas quoque ad prefatam ecclesiam in Gyglaua spectantes. in villis quas hic nominetenus specificamus. scilicet *Bobikozle. Borisowe. vizenowe. Kossowe. Dobresowic. Helhota. Bolemilzic. Slibor. aliud Slibor. Bukowe. aliud Bukowe. Smirzna. Sarech et Poretz.* ecclesie Syloensi perpetuo presentibus confirmauimus. statuentes. et sub interminatione anathematis districtius inhibentes. ne quisquam insultu maligno contrauenire presumat. uel modis aliquibus obuiare. Acta sunt hec anno gratie M. CC. XXX. Tertio. Pontificatus nostri anno XXX. quarto.

E vidimatione cc. 1243. in musco Moravico.

CCXXXV.

Constantia, regina Boemiae, circuitum Kygow monasterii Gradicensis cum omnibus suis possessionibus in suam protectionem recipit, eidemque amplissimas libertates concedit. Dt. in Tišnow, **1233.**

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Amen. Constantia, Dei gracia Boemorum regina, monasterio *Gradicensi,* Premonstratensis ordinis, et ministris dei ibi degentibus in perpetuum. Cum regalem deceat excellentiam, uenerari et promouere in omnibus sanctam ecclesiam, nostre uisum fuit clementie, id imitari et exequi, quod nostre serenitati cederet ad meritum, et sancte matris ecclesie transiret ad prouectum. Ibi etiam recte locantur beneficia, ubi crescunt merita, ibi decenter gratia impertitur, ubi cum premiis cumulatur gloria. Nouerint itaque tam presentes quam futuri, quod nos ex consensu filii nostri Wenceslai, illustris quarti regis Boemorum, circuitum nomine *Kigow* cum omnibus suis possessionibus siue acquisitis, siue acquirendis, et a nostra benignitate nec non successorum nostrorum largitate eidem loco in prouincia *Brezlauiensi,* ad nos pertinente, sito impensis in nostram tutelam et protectionem, sicut merito debemus, recepisse, istasque, que subscripte sunt libertates, pro salute anime mariti nostri Ottacari, inclyte memorie regis Boemorum, ac ob reuerentiam domus Gradicensis, cuius bona sunt, cum affectu nostre gratie contulisse. Libertas autem hec est, quam a pietate nostra statuimus obseruari. Omnes uillas et possessiones, quas modo prelibata ecclesia in iam dicto circuitu possidet, vel postea est possessura, ab omni onere tributorum, vectigalium, collectarum aliarumque exactionum, siue ad principem vel beneficiarios spectantium quocunque modo nouerint esse absolutas; adiicientes, ut nullus principum successorum nostrorum uel baronum, nobis uel eis subiectorum, pro castrorum edificatione uel reedificatione uel aliqua ingruenti expeditione homines prefati circuitus audeat inquietare. Jus autem, quod datur pro capite, eis concedimus, hoc de fure statuentes: Si in eorum habitat possessionibus, et deprehensus fuerit in furto manifesto, vel de aliquo occulto accusetur, videlicet quoad iudicium ferri candentis, vel aque, vel vomeres calcandos vel duelli etc., et conuincatur in aliquo istorum in iudicio seculari, eidem

monasterio bona furis siue rei integraliter remaneant, iudices autem, quorum interest, faciant de eo, quod iustum eis videbitur. Si autem homines eiusdem monasterii coram iudicibus culpabiles inueniantur, nec uobis nec iudicibus nostris curialibus uel beneficiariis aliquid inde utilitatis proueniat, sed apud idem cenobium culpe perseueret satisfactio, nisi in eo, in quo tenetur satisfacere suo aduersario. Ceterum ut omnia breuiter comprehendamus, omnem utilitatem, que spectat ad vsus nostros uel beneficiarios a nobis infeudatos, eis remittimus, ut plena gaudeant libertate. Statuimus etiam, ut nullus camerarius intret villas monasterii ad citandum aliquem, sed significet procuratori domus illius, cui abbas cum fratribus commisit procurationem in temporalibus, ut eos citari faciat, qui sunt citandi, quatenus in loco determinato eos coram iudicibus statuat, quorum interest, causas et negotia regni nostri tractare et diffinire. Si quis autem alicui persone religiose, infra septa monasterii constitute, manus iniecerit uiolentas ad aliquem ibi dehonestandum, uel aliquid inde abstulerit ausu temerario manifeste bannum nostrum quoad decem marcas argenti incurrat, et monasterium damnis suis resarcitis in totidem contentet. Prohibemus etiam, ne venatores nostri in sepe dicto circuitu, sine abbatis et fratrum consensu, pernoctent, vel aliquid ibi inferant uiolentie, et hoc sub pena decem librarum monete prouincialis; id etiam addentes, quod si exstiterint eis iniuriosi, liceat eis, ipsos de domibus suis eiicere. Insuper statuimus, quod quicunque nobilium in prefati circuitus curiis pernoctando eisdem iniuriosi extiterint, bannum nostrum in decem marcas incurrant. Adiecimus etiam, ut homines prefati cenobii per telonea transeuntes in rebus, que spectant ad opus ecclesie, ad eam in necessitatibus deferendis uel transducendis sint a pedagiis et theloneis absoluti. Mercatores uero soluant, quod sui iuris est. Huius autem libertatis a nobis concesse prefate domui filium nostrum Wenceslaum defensorem constituimus, qui easdem ad petitionem nostram sui sigilli munimine roborauit. Et hoc etiam omnibus uolumus esse manifestum, quod uenerabilem patrem nostrum Robertum, Olomucensem episcopum, rogauimus, ut omnes, qui prefati monasterii uiolarent immunitatem et libertatem eidem a nostra munificentia collatam, excommunicaret; quod et factum est ab eodem. Istud similiter absque offensa nostra erit, si prefatus episcopus et eius successores nostrarum constitutionum in hac pagina con-

tentarum secundum ecclesiastica iura puniuerint transgressores. Datum in Thusnowitz, anno gracie M. CC. XXX. III.

Ex Annalibus Gradicensibus Mss. in registratura c. r. Gubernii.

CCXXXVI.

Constantia, regina quondam Boemorum, monialibus in Daubrawnjk quasdam vineas confert. Dt. in Tišnow, mense Octobri, 1233.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis amen. Notum sit omnibus Christi fidelibus tam modernis quam futuris. quod ego *Constantia* quondam regina Bohemorum cupiens in remedium anime mee particeps fieri orationum dilectarum in Christo sororum inclusarum in monasterio quod constructum esse dinoscitur in uilla *Dubraunik*. ipsis contuli iure perpetue possessionis uineas. quas pro CXL marcis comparaui apud nobilem uirum Zudomir. comparatasque in manus Voyteh prepositi prefati monasterii resignaui. quatinus in usus prefatarum sororum in perpetuum conuertantur. Datum in Thusnow anno domini MCCXXXIII. Mense Octobri.

E codice Tischnowicensi Ms.

CCXXXVII.

Gregorius papa IX. archiepiscopo Gneznensi atque episcopis Wratislaviensi et Olomucensi mandat, ne viduam ducissam de Opol et filios ejus a quoquam molestari permittant. Dt. Laterani X. Kal. Januarii, 1233.

Gregorius episcopus seruus seruorum dei. Venerabilibus fratribus archiepiscopo Gneznensi et . . Gratislauiensi et . . Olomucensi episcopis salutem et apostolicam benedictionem. Inter ceteras apostolice sedis curas, quibus iugiter occupamur, cordi nostro est humilium releuare grauamina et subuenire oppressionibus viduarum, ut defensionis nostre munite presidio a peruersorum molestiis secure maneant et quiete. Cum igitur dilectam in Christo filiam V. viduam ducissam de Opol ac filios eius in deuotione ecclesie persistentes, cum omnibus bonis, que in presentiarum iuste ac

rationabiliter possident sub apostolice sedis protectione receperimus speciali, mandamus quatenus eos contra huiusmodi protectionis nostre tenorem non permittatis ab aliquibus indebite molestari, molestatores huiusmodi auctoritate nostra apellatione postposita compescendo. Quodsi non omnes his exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Presentibus post quinquennium minime valituris. Datum Laterani X. Kal. Januarii, pontificatus nostri anno septimo.

Ex autographo Regesto Gregorii papae IX. anni VII. epist. 407. in Tabulariis Vaticanis.

CCXXXVIII.

Přemysl, marchio Moraviae, monasterii Litomyšlensis possessiones in Moravia ab omnibus oneribus et exactionibus eximit, eique jus patronatus ecclesiae in Wanowice confert. Dt. Olomucii, VI. Kalendas Januarii, 1233.

In nomine domini nostri hiesu cristi. amen. Premilz miseracione diuina marchio Morauie monasterio beate Marie uirginis in *Lutomisl* fratribusque deo famulantibus ibidem in perpetuum. Cum primo loco regnum dei querere debeamus. ut bonorum multiplicetur adiectio. sollerter et summopere inuigilandum est operibus caritatis. ut pro conparandis spiritualibus in pios usus et iustas causas bona temporalia conuertamus. Vniuersis itaque modernis ac posteris scripti huius apices inspecturis presencium exhibicione clarescat. quoniam ecclesiam sancte Marie Lutomisl beneficio gracie specialis decorandam duximus et augendam. ita uidelicet. ut omnia bona eius acquisita et acquirenda. que in terra nostra possidet uel adhuc possessura est. et precipue uilla *Pametiz*. ab omnibus seruiciis consuetudinariis nouis seu ueteribus nec non aliis grauaminibus quocumque nomine censeantur sint perpetuo libera et exempta secundum tenorem priuilegiorum que Veligradensi ecclesie duximus conferenda. Contulimus etiam eidem ecclesie in Lutomisl ius patronatus quod in ecclesia *ywanouiz* habebamus adicientes. ut homines prefati monasterii per omnia thelonea terre nostre sine aliqua solucione transeant liberi et securi. Vt autem hec pagina nostre concessionis robur obtineat perpetue firmitatis. presens scriptum sigilli nostri

munimine decreuimus insigniri. testium subscripcione adhibita. quorum sunt nomina subarata. Robertus Olomucensis Episcopus. Gerlacus abbas Gradicensis. Wocko burgrauius. Szemizlaus camerarius. Ones. Victor. Blud. Bohuzlaus magister uenatorum Olomucenses. Dyuis filius Petri. Woytech de Medlow. Stiborius. Wocko subcamerarius. Zezema subpincerna. Hartlebus subdapifer. Bochko marscalcus. Wilhalmus phisicus. Conradus scriba Brennensis. Wsezlaus. Helias. sacerdotes. Symon. Mylolos diaconi. Acta sunt hec anno gracie M. CC. XXXIIII. Indictione VI. Datum Olomucii per manus ylarii notarii. VI. Kalendas Januarii.

Ex originali in arch. ejusdem monasterii in registr. c. r. Gubernii Moravici.

CCXXXIX.

Adolphi, comitis de Schaumburg, diploma sub testimonio fratris sui Brunonis, praepositi Lubecensis. Dt. in Halberstadt X. Kal. Februarii, 1234.

Adolphus dei gratia comes de Schowenborg vniuersis christi fidelibus, tam presentis temporis, quam futuri, cupimus notum esse, quod nos ob amorem retributionis eterne et nostrorum in remedium peccatorum, tres mansos proprietatis nostre, sitos in parvo Scheppenstede, quos Baldewinus, Marschalcus de Volkmerode de manu nostra iure tenuit pheodali, et nobis resignavit, ecclesie de Riddagshusen contulimus cum omnibus attinentiis suis, donatione perpetua possidendos. Pro his vero mansis recepimus a predicto Baldewino alios tres mansos proprietatis sue sitos in Voltsem, et unum in Lere, quos ei porreximus a nobis eo iure, quo precedentes noscitur habuisse. Ne autem aliqua in posterum possit suboriri vexatio, boni testimonii viros, qui huic nostre donationi astiterunt, presenti charte fecimus annotari; et eorum nomina sunt hec: *frater noster Bruno, prepositus in Lubeck,* Ludolphus Comes de Halremunt, Henricus Comes de Dannenberg. Henricus Comes de Waldenberg. Tidericus de Adenois. Ecbertus et Burchardus de Wolferbutle. Insuper ut hec res ex hoc nunc et deinceps firma permaneat et inconvulsa, hanc paginam testimonialem inde conscriptam sigilli nostri munimine iussimus roborari. Datum Halberstad anno Domini MCCXXXIIII. X. Kalendas Februarii.

Meibonii Scriptores rerum Germ. I. pag. 532.

CCXL.

Přemysl, marchio Moraviae, monasterio Gradicensi pro domo sua in Oldřišow (Odersch) et omnibus praediis eidem villae attinentibus amplissimas libertates juraque concedit. Actum in Welehrad, Nonis Aprilis, 1234.

Premisl, dei gracia marchio Morauie, monasterio *Gradicensi*, Premonstratensis ordinis, Olomucensis diocesis, et fratribus tam presentibus quam futuris, regularem uitam ibi professis in perpetuum. Cum munifica principalis auctoritatis clementia omnibus benefacere debeat, maxime domesticis fidei ac uiris approbate religionis uitam et habitum professis qui diu noctuque pro statu matris ecclesie gubernatori omnium supplicando deuotius famulantur, manum pie consolationis ac iuste defensionis clypeum speciali ratione tenetur propensius exhibere: eapropter presens nouerit etas, et sciat futura, hanc esse libertatem, quam prefate domui et fratribus ibi degentibus ad ampliorem eorum sustentationem, et ob ipsorum orationum recompensationem statuimus et sancimus irrefragabiliter obseruandam in *Oldrisowe* et omnibus prediis eidem ville cum omni iure attinentibus, scilicet ut ab omni onere tributorum, vectigalium, collectarum aliarumque exactionum, siue in quatuordecim ad principem vel beneficiarios quocumque modo nominentur spectantibus, nostra pietate emancipate dignoscantur; adiicientes, ut nullus principum, successorum nostrorum, uel baronum, nobis uel eis subiectorum, pro castrorum edificatione uel reedificatione, uel aliqua ingruenti expeditione homines iam dicte *domus in Olrisow* vel in ceteris prediis, eidem uille adiacentibus, cum omni iure suo commorantes, audeat inquietare. Jus autem, quod datur pro capite, eis concedimus, hoc de fure statuentes: Si in dicta possessione habitat, et deprehenditur in furto manifesto, uel de occulto accusatur, quoad iudicium quodcumque conuictus fuerit, eidem monasterio bona furis absolute remaneant. Judices autem, ad quos spectat, de reo sententiam exequantur. Si vero dicti homines coram iudicibus nostris culpabiles inueniantur, nec nobis nec iudicibus nostris curialibus uel beneficiariis aliquid inde utilitatis proueniat, sed apud dictum cenobium culpe satisfactio perseueret, nisi in eo, in quo tenetur aduersario respondere. Ceterum ut omnia breuiter comprehendamus, omnem utilitatem, ad nos vel successores nostros vel beneficiarios nostros spectantem,

superius memoratis fratribus in eorum possessionibus, in dictis uidelicet prediis diocesis Oppauiensis relaxamus. Statuimus etiam, ut nullus camerarius easdem uillas ingrediatur ad aliquem citandum, vel ad aliquid ibi faciendum, sed significet procuratori domus illius, cui abbas et fratres procurationem in temporalibus commiserunt, ut eos citari faciat, qui sunt citandi, quatenus die et loco prefixo eos coram iudicibus statuat, quorum interest causas et negotia prouincie tractare et diffinire. Prohibemus etiam, ne uenatores uel caniductores nostri in dictis uillis audeant pernoctare, uel aliquam ibi inferre uiolentiam, et hoc sub pena decem librarum monete prouincialis. Adiicimus etiam, ut homines dictarum possessionum per thelonea transeuntes in his, que spectant ad usus ecclesie, ad eam in necessitatibus eius transducendis uel deferendis sint a pedagiis et theloneis liberi et absoluti, et plena et perfecta gaudeant libertate; hoc firmiter sancientes, ut huius libertatis a nobis concesse uiolatores imposterum in cameram nostram et successorum nostrorum decem marcas auri componant. Vt autem hec omnia robur firmitatis obtineant, et perpetuo maneant inconcussa, hanc nostram beneuolentie paginam sigillo nostro dignum duximus eternari. Huius rei testes sunt: Dominus abbas Welegradensis, et ordinati eiusdem domus, Henricus prior, Wolframus camerarius, Jacobus, prouisor hospitum, et totus conuentus. Capellani curie nostre: Marquardus, Wenceslaus, Wilhelmus.physicus, Wilhelmus de Bruna, magister Hilarius, Gregorius, Milos. Viri nobiles: Arnulphus, comes de Huceuahe, Bohuslaus, filius Slawconis, Pribislaus, filius Pyrcose, Chestiborius, Spatarius, Wocco, subcamerarius, Idico subpincerna et frater eius Slauibor, Gerardus cum filio suo, Beneda marsalcus, Woyslaus, Stiborius, Rapota, camerarius marchionisse, et alii quam plures. Acta sunt hec sollempniter in Welegrad, anno verbi incarnati millesimo ducentesimo tricesimo quarto, indictione sexta, Nonas Aprilis. Data per manum protonotarii nostri Bartholomei in memorato cenobio, eidem loco presidente Albertho, abbate uenerando.

Ex Annalibus Gradicensibus Mss. in registratura c. r. Gubernii.

CCXLI.

Robertus, episcopus Olomucensis, monasterio Gradicensi suas libertates in Oldřišow cum ejus appendiciis a Přemysl, marchione Moraviae, concessas confirmat. Dt. in Welehrad, Nonis Aprilis, 1234.

Nouerint tam presentes quam futuri, quod illustris marchio Morauie, Premisl nomine rogauit nos Robertum, dei gracia episcopum Olomucensem, quod libertatem ecclesie *Gradicensis* iuxta Olomucz ecclesiastica auctoritate confirmaremus, secundum quod in eius priuilegio continetur, quod et fecimus sub tali forma. Ad eius enim petitionem sub testimonio baronum eius excommunicauimus omnes uiolatores libertatis prefatarum possessionum, que data est ecclesie Gradicensi in *Odrisow* et eius appendiciis, imprecantes uiolatoribus eiusmodi libertatis indignationem dei et beati Petri et Pauli et omnium sanctorum, quod sint extincti et adeo excommunicati, nisi resipiscant, et ad satisfactionem debitam perueniant ecclesie Gradicensi. In cuius rei testimonium huic pagine nostrum sigillum fecimus apponi, et etiam capituli nostri sub testimonio canonicorum nostrorum.

Ex eisdem Annalibus Mss.

CCXLII.

Přemysl, marchio Moraviae, monasterio Lucensi jus patronatus ecclesiae in Tasowice confert. Dt. Znoymae, IV. Idus Julii, 1234.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Amen. Premilz miseracione diuina marchio Morauie omnibus Christi fidelibus in perpetuum. Cum inter cetera uirtutum insignia quadam excellentia speciali preluceant caritatis opera. ipsis primum religio debet intendere Christiana. per que multitudo gratiarum feliciter adaugetur. ac post exilium huius mundi peregrinantibus celestis Regni patria salubriter aperitur. Omnes itaque modernos ac posteros scripti huius consideracionem et copiam habituros presencium exhibitione uolumus edoceri. quoniam pro remedio anime nostre ius patronatus ecclesie de uilla nostra que *Taszouiz* uulgariter nuncupatur. monasterio de *Luca* cum omni iure ad nos spectante contulimus tam hilariter quam

libenter. ut uiri religiosi domino famulantes ibidem. releuata ipsorum indigencia sustentacione gaudeant ampliori. nosque oracionibus eorumdem sperate consolacionis beneficia consequentes adepta remissione peccaminum perfrui possimus consorcio Beatorum. Vt autem donacio prememorata quam affectuose ac deuote in pios usus et iustas causas duximus conuertendam. rata et inuiolabilis cursu temporum perpetuo perseueret. ob resecandum tocius ambiguitatis scrupulum. obuiandumque hominum malicie seu ignorancie presentem paginam sigilli nostri munimine fecimus insigniri. subscripcionem testium nichilominus adhibentes. quorum nomina sunt in sequentibus subarata. Wilhalmus camerarius. Luppoldus pincerna. Ben burgrauius. Hrut. Bohus. Oztoy judex. Lupus. Lutoborius. Cunradus de Planeche. Henricus. Branizlaus. urbani znoymenses. Stiborius Burgrauius de Weuere. Cyrho dapifer. Wocko subcamerarius. Beneda marscalcus. Szeszema subpincerna. Bohuta prepositus bolezlauensis. Wipertus prepositus de monte sancti ypoliti. Thomas. Marqwardus. Helias sacerdotes. Milos. Themo. diaconi. Petrus. Nycolaus subdiaconi. Wilhalmus phisicus. Werso de Hrus. Bohubud de daleboriz. Hartlebus de Mizliboriz. bochchek. Nykul frater eius. Velizlaus. Pyrkos filius Pribizlai. Petrus filius Hajenonis. Petrus de Budissin. Acta sunt hec anno dominice incarnacionis M. CC. XXX. IIII. Indictione VI. Datum Znoyem. per manus Hylarii notarii IIII. idus Julii.

Ex originali in archivo ejusdem monasterii; sign. F. 4.

CCXLIII.

Přemysl, marchio Moraviae, confirmat civitati Vnčow libertates a suis progenitoribus concessas, et villam ejusdem Střelice intuitu metallorum fodiendorum magna libertate et jure milliari donat. Dt. in Olomuc, XVIII. Kalendas Septembris, 1234.

In nomine domini nostri hiesu cristi. amen. Premilz miseracione diuina marchio Morauie ciuibus in *vnichow* in perpetuum. Quoniam omnis actio racionabilis ac legitima discrecionis est moderamine gubernanda. summopere precium est. ut ea que pro usu et commoditate mortalium debent esse perpetua. non tantum labili hominum memorie uerum etiam uiuaci lite-

rarum testimonio commendent. Modernorum itaque ac posterorum uniuersali noticie presencium exhibicione duximus declarandum. quod nos renouantes omnem libertatem collatam a progenitoribus nostris aduocato ac ciuibus in vnichow. ea rata tenere decreuimus que in nouis siue antiquis ipsorum priuilegiis sunt expressa. Adicimus eciam ut quicumque magister uenatorum pro tempore fuerit. ciues prenominatos occasione ville que *Ztrelez* uulgariter appellatur. nullatenus inquietare presumat nec aliquid importune ab eisdem exigere preter statutam et usitatam annuam pensionem. Inhibemus eciam ne extra territorium suum ad aliena iudicia pertrahantur. sed secundum consuetudines suas in uilla prenominata exhibeant iusticie complementum. eo excepto. ut si forte ipsos alicui in nostro iudicio conuenire placuerit respondeant coram nobis. Id eciam precipimus firmiter obseruari. ne in circuitu sepedicte uille ad miliare unum aliquis tabernam habere presumat. uel uictualia in carnibus siue in pane uendere seu aliis quibuscumque. Statuimus insuper ne aurifode qui nobis decimarum solucione tenentur. habitandi seu eciam pernoctandi causa ad uillas circumiacentes refugium habere presumant. Sunt autem termini eiusdem uille. a metis Boemie usque ad dimidium flumen quod Morauiz nuncupatur. et ab eodem flumine ad aliud flumen dimidium quod Biztrize uocatur. et omne genus metallorum intra predictos terminos ad ipsam uillam saluo iure nostro dinoscitur pertinere. Vt autem secundum formam prescriptam nostra nostrorumque progenitorum concessio robur obtineat perpetue firmitatis. presentem paginam sigilli nostri munimine decreuimus insigniri. testium subscripcione adhibita. quorum nomina in sequentibus continentur. Szemizlaus camerarius. Wokco burgrabius de Gradez. Gerardus beneficiarius de Prerow. Buzzen iudex. Preborius de Obran. Onso. Victor. Bludo. Protyuen dapifer. Bochko subcamerarius. Hartlebus subdapifer. Marcwardus marscalcus. Dyrsicraus magister cocorum. Johannes de Wissenow. Thomas. Marcwardus sacerdotes. Acta sunt hec anno gracie M. CC. XXX. IIII. Indictione VIII. Datum in Olomuc. per manus Hylarii notarii XVIII. Kalendas Septembris.

Ex originali ejusdem civitatis.

CCXLIV.

Přemysl, marchio Moraviae, confert monasterio Oslowanensi jus patronatus ecclesiae in Mohelno. 1234.

Omnibus Christi fidelibus presentia visuris in perpetuum. P(remysl) Marchio Moravvie salutem in Christo. Quoniam morte cogente regna mutantur et potestates ivra etiam et sollicitudines in diuersas trans formantur personas ne de antecessorum facto apud posteros dubitetur necesse est ut ipsis posteris fidem faciant scriptorum fidelium auctoritates. Quo circa scripto presenti et sigillo vniuersitati uestre fideliter innotescimus et perpetue memorie commendamus quia ius patronatus ecclesie de *Mohiln* perpetuo iure et integro quo nos illud hactenus possedimus contulimus M. abbatisse et conuentui eius in *Ozlawan* cisterciensis ordinis volentes et constanter sub obtentu gracie nostre singulis et omnibus precipientes ut sicut nobis ita per omnia dictis abbatisse et conuentui presentes et posteri respondeant et obaudiant de omni ivre quo hactenus nobis est responsum et quicquid in ecclesia dicta ordinandum duxerit hoc ratum ab omnibus inviolabiliter habeatur. Datum anno gracie M. CC. XXX. quarto. Testes Dominus episcopus Olomucensis Wrso de Znoym Hartliebus Woco camerarius Woitech filius Stephani de medlov Hrut Hylarius notarius Cunradus scriba et omnes curiales curie et alii quam plures.

Ex originali in archivo ejusdem monasterii.

CCXLV.

Robertus, Olomucensis episcopus, monasterio Oslowanensi jus patronatus ecclesiae de Mohelno collatum a marchione Přemysl confirmat. Dt. in Modřice, VII. Kalendas Octobris, 1234.

R(obertus) dei gracia Olomucensis episcopus. Omnibus Christi fidelibus hanc paginam inspecturis. salutem in domino. Nouerit vniuersitas vestra quod P(remizl) illustris Marchio Moravie ivs patronatus de *Mohvln* pro honore dei et gloriose virginis Marie matris eius perpetuo ivre et integro quo illud hactenus possedit contulit M. abbatisse et conuentui

ecclesie in *Ozlawan* cisterciensis ordinis supplicando nobis humiliter et deuote quatinus eidem monasterio spiritualia cum omni ivre de predicta ecclesia concederemus quod ad peticionem illustris principis. Marchionis Moravie et pro deuocione et oracionibus dominarum de Ozla libenter fecimus. hoc statuentes et confirmantes quod de omnibus prouentibus et appendiciis ecclesie memorate prefatis abbatisse et conuentui respondeatur. hoc excepto quod plebano qui per predictam abbatissam et conventum fuerit institutus in eadem de prebenda provideatur per prefatas abbatissam et conuentum ad ipsius sustentationem vt possit diocesano loci et archidiacono qui pro tempore fuerint soluere ivra sua. Omnis autem qui hanc nostram confirmacionem seu ipsam ecclesiam aut eius dotem inuaserint excommunicamus ipsos tradentes in interitum vsque redierint ad penitentiam et emendam. Datum in Modriz anno gracie MCCXXXIIII. VII. Kalendas Septembris. presentibus Woccone camerario. Hartliebo burgravio Znoimensi. Arnvlpho trebecensi et Ottone Lvtomislensi abbatibus. Nicholao archidiacono brunnensi. Conrado notario brunnensi et aliis quam pluribus.

Ex originali in curia Brunensi; lad. K. n. 3.

CCXLVI.

Přemysl, marchio Moraviae, decisa lite concedit Ratiborio de Debljn partem argentifodinarum in Debljn. Datum Iglaviae, mense Septembri, 1234.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis amen. Ego P(remizl) dei gracia marchio Morauie . . Notum sit omnibus. quomodo ex sentencia a C. iudice. G. urburario ceterisque iuratis. montium in *Igla* necnon L. urburario in Brod contra nobilem nostrum R(atiborium) pronunciata. tres stollones siue montes in *Doblin* iure obtinuimus montano. Intuentes tamen grata eiusdem nobilis uiri seruicia. quibus charissime matri nostre regine C(onstantie) ac nobis complacuit fideliter et incessanter complaceat in futurum eidem de innata benignitate in gratiam fidelitatis sue specialem cessimus de omni iure quod in predictis montibus nobis competere dinoscitur. ac tenore presentium cedimus ipsi bona predicta in dictis montibus iuxta

lin conferentes iure hereditario possidenda inperpetuum. In cuius rei entiam et firmitatem hanc nostre concessionis paginam nostri sigilli imine fecimus roborari. Acta sunt hec in Igla anno dominice incarna- s MCCXXXIIII. in presentia nobilium terre nostre quorum nomina . Ben burgrauius de Znoym. Pribizlaus burgrauius de Gradec. filius cose. Stiborius burgrauius de Weueri. Cyrho dapifer. Lupoldus pin- a. Albertus prefectus de Vranoue. Beneda. Woyteh filius Ymrammi. zo de Budizhoue. et alii quam plures. Datum mense Septembri. In- one VII.

Ex originali in archivo Tischnovicii. — Apographum in codice Tischnowicensi.

CCXLVII.

mysl, marchio Moraviae, ad petitionem sororis suae Agnetis hospitali rancisci Pragae villam Rakšice in Moravia confert, eamque libertatibus donat. Dt. apud Pragam, IV. Nonas Octobris, 1234.

In nomine sancte Trinitatis et indiuidue unitatis. Ego Premizl dei ia Marchio Moravie hospitali sancti Francisci et pauperibus in eodem manentibus in perpetuum. Cum deceat principalem munificentiam large re beneficia, quibus non tantum suppleatur pauperum inopia, sed etiam us religiosorum propulsetur necessitas, visum fuit nostre benignitati, ndam villam, *Raksice* nomine in nostro Marchionatu sitam, cum omnibus ndiciis suis, pratis, pascuis, siluis, agris, aquis, tempe et omnibus smodi pertinentiis, que retroactis temporibus dederamus illustri sorori re Agneti virgini, que se Deo statuit dicare, ex eius petitione conus hospitali ab ea fundato Prage, ad usus pauperum ibi commorantium ssarios. Absoluimus autem villam illam ab omni iure, quod spectat usus principum, siue in iure, quod datur de capite vel Zwod, vel pro , vel quocumque modo spectat ad vtilitatem principum et aliorum, castri tenent beneficia. Nullus autem inquietet eam pro castrorum catione, vel imminenti expeditione, et si de Narok fiet questio, illa a tractetur coram illius ville procuratore, quem procurator hospitalis

ibi constituerit. Insuper si fur fuerit conuictus de furto, et adiudicatus morti, vel aliquis de homicidio debeat capite truncari de hominibus ville illius, vel inciderit in aliam aliquam causam, in qua debeat satisfacere aduersario, semper bona furis, et bona capite puniti, et culpe satisfactio remaneat apud hospitale ad usus ipsius, ut villa illa mera gaudeat libertate. Quia autem hec omnia non poterant plenarie confirmari sine auctoritate serenissimi fratris nostri Wincezlai quarti regis Boemorum, rogauimus eum, quod sicut nos villam illam prefato hospitali liberaliter contulimus, ita ipse eam eidem hospitali cum omni iure prescripto, sub munimine sigilli sui benigne roboraret, quod et fecit; unde verba eius sunt hec: Ego Wincezlaus dei gratia IV. Rex Boemorum. Ad abstergenda vestigia totius hesitationis per presens scriptum ad notitiam omnium cupio peruenire, quod villam Rakscisce nomine, quam inclytus frater noster, Marchio Moravie, Premizl nomine, prius cum omnibus appendiciis suis sorori sue virgini contulerat, et postea ex petitione eiusdem sororis sue donauit hospitali beati Francisci, quod ipsa fundavit Prage, perpetuo possidendam, confirmaui cum omni iure in priuilegio fratris nostri prescripto. Ut autem hec omnia perpetua firmitate roborarentur, in huius rei testimonium sigillum serenitatis mee huic pagine feci apponi. Ego etiam Premizl dei gratia Marchio Morauie hanc cedulam mei principatus sigillo in ipsius rei testimonium muniui. Testes autem huius rei sunt hi: Venerabiles domini, Johannes Pragensis ecclesie episcopus. Robertus, Olomucensis ecclesie episcopus. Peregrinus, episcopus quondam Pragensis ecclesie, et honesti uiri Eppo prepositus Pragensis et Arnoldus Wissegradensis ecclesie prepositus. Vitco senior. Heinricus frater eius. Sedezlaus camerarius. Breschizlaus. Scaztolow cum fratre suo Heinrico prefato Budisnensi. Hroznata filius Arnusti. Arnust filius Wilhelmi. Wilhalmi filius Zuatolaus. Johannes filius Zbizlai. Pribizlaus filius Petri. Budizlaus cum fratre suo Jarozlao filio Jarozlai. Jarozlaus cum fratre suo Gallo filio Marquardi. Vocco cum fratre suo Drisizlao filii Benes de Benesou. Bouzlaus cum fratre suo Newflas (sic) filii Radim. Watto cum fratre suo Bouzlao. Zawisse subcamerarius. Witko iunior filius Heinrici. Albertus cum fratre suo Rodulfo. Mikes cum fratribus Zlauiborio et Egidio. Fridericus et alii fere omnes Boemi. Ex Morauis: Ben burgrauius Znoimensis. Pribizlaus filius Pircos burgrauius

ıdecensis. Stiborius prefectus de Weueri. Girho (Cirho) dapifer cum re suo Schastolou. Ratisborius. Wierso. Vocco filius Borut. Wilielmus ıerarius Bethouensis cum fratribus suis Lupoldo pincerna et Wolframo. lebus. Albertus prefectus de Wranou. Beneda submarescalcus et fere ıes Moraui. In cuius rei euidentiam, et perpetuam firmitatem, ne in terum super ipsa donatione et confirmatione aliqua calumnia possit sub-ri, presentem paginam conscribi fecimus, et sigillorum nostrorum chara-ribus communiri. Acta sunt hec anno dominice Incarnationis MCCXXXIV. ictione VII. Datum apud Pragam per manum Wilhelmi notarii VI. nas Octobris.

Excusum in Sbaraleae Bullario Franciscano I. 157. et novissime revisum et collatum cum fonte suo Regesto Gregorii papae IX. in Tabularıis Vaticanis a F. Palacky. — Porro excus. apud. Wadding T. II. et Bienenberg p. 16.

CCXLVIII.

emysl, marchio Moraviae, absolvit atque eximit monasterium Lucense, linis Praemonstratensis, ab omnibus praestationibus et jurisdictione laicali, t variis libertatibus donat. Dt. Znoymae, XI. Kalendas Novembris, 1234.

In nomine domini nostri hiesu cristi amen. Premilz miseratione diuina rchio Morauie. monasterio beate Marie uirginis. et Sancti Wenzezlai riosi martiris. in *Luca*. Christique famulis ibidem degentibus in per-uum. Non habentibus manentem in huius peregrinatione seculi ciuitatem. futuram inquirentibus ciuitatem. uidelicet regis magni suadet neces-ıs. blanditur utilitas. ut per caritatis opera et uirtutum insignia. uiris ıotis ac locis religiosis pia inpertientes suffragia. ibi collocemus bene-a. ubi pro meritis multiplicantur premia. ubi gloriam confirmat eternitas. sine fine crescit beatitudinis et iocunditatis inmensitas. Vniuersis ita-modernis ac posteris scripti huius copiam habituris presencium ex-icione clarescat. quoniam ad honorem dei ac beate Marie uirginis. ıctique Wenzezlai martiris. nec non pro remedio anime nostre. pro-nitorumque ac successorum nostrorum salute. ecclesiam in Luka cum

omnibus bonis suis. uidelicet uillis grangiis pratis pascuis siluis molendinis aquis tempe. cultis et incultis. acquisitis et acquirendis. decorandam duximus et augendam. beneficio gracie specialis. Ita scilicet. ut eadem ecclesia cum omnibus prediis suis. quocumque nomine censeantur. a talliis. collectis exactionibus. edificacione seu reedificacione castrorum uel oppidorum forensium. ab accusatione que uulgo Narok dicitur. a grauamine. quod Zwod nuncupatur. a pernoctacionibus. que Nozlehe nominantur. ab omni iure beneficiatorum seu camerariorum nostrorum. scilicet ut nullus camerarius intret uillas monasterii ad aliquem citandum. uel ad aliquid ibi faciendum. sed significet procuratori ecclesie predicte cui commissa est procuratio in temporalibus. ut accusatos citet. quatinus die et loco determinato coram iudicibus statuat. quorum interest causas Marchie nostre tractare et diffinire. et ut que specificare non possumus generaliter concludamus. ab omnibus grauaminibus nouis et ueteribus consuetudinariis siue nouiter adinuentis perpetuo sit libera et excepta. Jus eciam. quod datur pro capite eis concedimus. de fure et latrone statuentes. ut si fur uel latro in bonis ecclesie prememorate fuerit deprehensus in furto manifesto. uel de aliquo occulto accusetur scilicet quoad iudicium ferri candentis uel aque uel uomeres calcandos siue duelli et conuincatur in aliquo istorum in iudicio seculari. bona furis siue rei dicto monasterio integraliter remaneant. Judices autem quorum interest faciant de reo quod eis iustum uidebitur. Si uero eiusdem cenobii homines coram iudicibus nostris culpabiles inueniantur. nec nobis nec iudicibus nostris nec beneficiariis aliquid inde utilitatis proueniat. sed apud idem cenobium quantum ad bona ipsius culpe satisfactio perseueret. nisi in eo in quo tenetur satisfacere aduersario. id est salua lesis et iniuriam passis satisfactione condigna. Adicimus insuper. ut homines eiusdem ecclesie per totam terram nostram iura forensia non persoluant. nec ab eis theloneum uel pedagium exigatur. nisi forte mercator extiterit. qui soluto theloneo nulla prorsus dampnificacione grauetur. Ceterum ut omnia breuiter comprehendamus. omnem utilitatem siue in quatuordecim denariis siue in aliis ad nos spectantem. et usus nostros uel successorum nostrorum uel beneficiarios nostros a nobis infeudatos eis remittimus. ut plena et perfecta gaudeant libertate. et ut nullus eis nouas condiciones contra statuta nostra audeat inponere. Insuper statuimus ut

quicumque nobilium in prefati monasterii uillis seu curiis pernoctando seu intrando extiterint iniuriosi. bannum nostrum in decem marcis auri componant. et ei dampna illata in duplum restituant. Huius autem libertatis a nobis concesse et principali munificentia donate prefato monasterio successores nostros et si deo largiente heredes habebimus tutores constituimus et defensores. Hoc sanctientes ut huius priuilegii uiolatores in cameram nostram successorumque nostrorum decem marcas auri componant. Vt autem hec nostre liberalitatis concessio remoto cuiuslibet inpedimenti scrupulo robur perpetue obtineat firmitatis. sigilli nostri munimine presentem paginam decreuimus insigniri. testium adhibita subscripcione. quorum nomina in sequentibus continentur. Heinricus de nouo castello. Zezema filius eius. Pribizlaus. Dyrsizlaus filii Pyrkos. Stibor et Beneda fratres. Wocko. Andreas germani. Cyrho et Chaztolous germani. Wirso cum filio Nedamir. Ratiborius cum filiis. Hartleuo et Jane. Hartleuus de Mirzlay. Albertus burgrauius in Vrane. Cunradus cum Ranoszirio de Plaus. Bohubud. Beneda. Ranoszir magistri uenatorum. Pribizlaus Jarossonis. Nedamirus cum filio Wersone. Ben burgrauius Znoyemensis. Wilhalmus camerarius. Luppoldus pincerna cum fratribus Marquoardo et Wluramo. Hruto. Bohus. Lutoborius. cum fratribus. Bohus et Jane. Wezen uenatorum magister. Albertus de Kaniz. Oztoy et Detolez de Derban. Henricus. Pribram. Branizlaus. Lupus. Velen. Vezemil. Jacobus iudex Brenensis. Szemizlaus camerarius Olomucensis. Rym uenator. Leo. Lubomir. Lassek. Wichardus. Szpitata. Albertus de Zlywan. Wittek. Woytech de Medlow cum Stephano fratre suo. Budko Mracota. Wipertus. Bartholomeus. Fridericus. Mylos. Marcwardus Symon. Capellani marchionis. Acta sunt hec anno gracie M.CC.XXX.IIII. Indictione VI. Datum Znoym per manus ylarii notarii XI. Kalendas Nouenbris.

Ex originali in archivo ejusdem monasterii; sign. H. 5. — Excusum apud Pelzel — Karl IV. in confirmat. 1350. I. 119.

CCXLIX.

Přemysl, marchio Moraviae, fundationem monasterii Portae Coeli in Tišnowice a matre sua Constantia regina factam, et donationes fratris sui regis Wenceslai confirmat, et monasterio fundum et locum Tišnowice et diversa jura confert. Acta in Znoym, et dt. pridie Kalendas Novembris, 1234.

In nomine sancte trinitatis. et indiuidue unitatis. Ego Premizl dei gracia Marchio Morauie Abbatisse. et toti sacro conuentui in *Thussnouich* collocando in perpetuum. Consueuit antiquorum ueneranda. et approbanda prudentia ea litterarum mandare monimentis que statuit habere robur et firmitatem ne modernorum astuta ingenia. que semper gaudent nouitate inueniant occasiones rite et mature gesta negocia dolosis peruertere argumentis et fraudulentis racionibus infirmare. Memoria quidem humana non est diuturna et si esset eterna esset diuina ideoque necesse est ut scriptis in quibus res geste continentur adiuuetur. et sic quodam perpetuitatis robore maneat tenax. et inconcussa. Nouerint itaque tam presentes quam futuri. quod nos ad pias preces inclite *matris nostre Constancie* regine Boemorum monasterio quod *porta celi* vocatur. in quo religiosissimus conuentus dominarum ordinis Cysterciensis cepit deo et gloriosissime matri eius beate Marie seruire dedimus fundum et locum in *thussnouich* ubi deo inperpetuum seruiant. quem fecimus certis limitibus distingui ab aliis possessionibus nostris adiacentibus ne inposterum aliqua inde superueniat dubitacio. unde prefatum monasterium possit grauari. uel inquietari. Considerantes autem gloriose memorie patrem nostrum Premizl nomine. a quo sortiti sumus originem et nomen multis interfuisse negotiis imperii. et etiam propriis. in quibus multa gessit que sine peccato non poterant transigi. uisum fuit nostre clemencie nostris elemosinis. et precipue monasterii predicti eius noxas qualescunque releuare. quia aput clementissimum iudicem cui proprium est misereri et parcere nullum bonum est inremuneratum. Decebat etiam ut domine que seruiunt deo in sepe nominato monasterio eo quod sibi non possunt ob sexus fragilitatem bene prouidere. quatenus amplis sustententur beneficiis ut sic liberius conditoris sui possint uacare seruitiis. Hinc est eciam. quod uice concambii dedimus monasterio

prenominato pro loco qui uocatur Trebow. quem pater noster vir magne virtutis et fame qui ob probitatem suam in toto orbe terrarum claruerat. dum uiueret ad claustrum prefatum edificandum designauerat. quod concambium ut sit ratum et inconcussum frater noster serenissimus Rex Boemorum *Wenceslaus* nomine sua auctoritate de nostra bona et mera uoluntate confirmauit. eidem claustro. quod nos semper habebimus stabile et inuiolatum. Concambium autem hoc est. Giglava cum theloneo et cum aliis uillis ad eam pertinentibus. scilicet. Bolemilchichi. Wicenow. Borissow. De pestow. dimidiam uillam cum omni iure. Pobikozli. Kohhoue. Smyrchnowe. Vblazka. Legota. Byrdniche. eciam cum suis villis. et omnibus attinenciis scilicet Branchewess. Cyhhowe. Jazstrabe. Ozthehhouichi. Vggrinowichi. Presseka. Dubkowa. Vmalego. Wignanow autem cum omnibus suis appendiciis. ex mera liberalitate nostra addimus claustro predicto. et aliam uillam Wemisslichi nomine similiter. Appendicia autem vocamus quicquid est in siluis in pratis in pascuis in piscaturis. et huiusmodi que utilitati claustri conueniunt. Decreuimus etiam prefati monasterii omnes possessiones iam habitas et habendas in Morauia constitutas ab omni genere Tributorum Vectigalium Collectarum aliarumque omnium exactionum esse absolutas adicientes. ut nullus pro castrorum edificatione uel reedificatione siue pro aliqua ingruenti expeditione. homines monasterii audeat inquietare. Jus eciam. quod datur pro capite siue pro fure uel pro Swod principi uel eius inbeneficiatis monasterio concessimus perpetuo obtinendum. hoc statuentes de fure. si in maleficio fuerit deprehensus manens in prediis monasterii siue capiatur et coram iudicio convincatur quatenus eius bona monasterio remaneant ipse uero secundum quod placuerit principi puniatur. Si uero homines monasterii in aliquo coram iudicio culpabiles inueniantur nec nobis nec iudicibus nostris uel curialibus seu inbeneficiatis aliquid inde proueniat utilitatis sed aput monasterium culpe perseueret satisfactio. nisi in quo tenetur satisfacere aduersario. Ceterum autem ut omnia breuiter comprehendamus omne ius quod spectat ad usus principum eidem monasterio remittimus ut plena et perfecta gaudeat libertate nec ullus ei nouas conditiones audeat imponere uel eius iura mutare. Ut autem hec omnia robur habeant perpetue firmitatis. Hanc paginam nostro sigillo fecimus insigniri et rogauimus illustrem Regem Boemie fratrem

nostrum Wencezlaum nomine quatenus possessiones et omnia iura ea que nostra mera liberalitate concessimus monasterii prenominati auctoritate sua Regia dignaretur confirmare quod et ipse ad honorem dei et beate Marie gratanter fecit et ad huius rei testimonium sigillum suum apposuit. Et hec sunt verba Regis. Ego Wencezlaus Rex Boemie quartus ad carissimi fratris nostri peticionem ingenui Marchionis Moravie Premizl nomine in rerum prescriptarum testimonium nostre serenitatis sigillum apposuimus tale bannum statuentes ut quicunque septa monasterii uiolenter intrauerit uel iura predicta uisus fuerit eneruare potenter uel fraudulenter componat in cameram fratris nostri Marchionis Morauie et successorum suorum X marcas auri. Insuper rogauimus venerabilem patrem nostrum dominum Robertum Olomucensem episcopum quod in huius rei testimonium huic pagine sigillum suum apponeret quod et fecit. Et hoc eciam petiuimus quodsi barones nostri. vel milites vel populares nostra Priuilegia vellent aliquando insolenter violare et indebite quatenus ipse iure ecclesiastico ecclesiastica sententia percelleret. Eandem Auctoritatem suis relinquendo successoribus. Quia quicquid umquam stabilitatis potest illud monasterium consequi ad sue tranquillitatis firmamentum. Hoc est nostre uoluntatis et erit in perpetuum. Addidimus etiam uillam quandam Lukowe nomine cum omnibus appendiciis suis ad usus claustri prenominati cuius in ultimis fecimus mentionem. quia nondum erat uoluntatis nostre eam illi claustro asignare. Volumus autem. quod illa uilla seruiat claustro eidem similiter et uille iste Kapenich Cheiche et Knenich quas mater nostra dedit eidem claustro sub omni iure prescripto et omni prefata gaudeat libertate. Totum autem hoc factum est Auctoritate fratris nostri Wencezlai illustris Regis Boemorum. Testes autem in quorum presencia hec Acta sunt. sunt hii. De Boemia Arnoldus prepositus Wissegradensis. Arnoldus abbas Trebecensis. Florianus abbas Lucensis. Gerlacus abbas Gradiscensis. Nobiles de Boemia Zdezlaus Kostka camerarius Regis. Vitko senior. Vitko iunior. Vitko filius Heinrici. Brecizlaus frater Chirnini. Budizlaus filius yaroslai. Nicholaus filius Boguthe, Borutha filius Boruthe. Albertus de Sliwen. Conradus burgrauius de zwekow. Jewan filius Clussne. Hotebor filius Hotheborii. Zezema cum fratre Milota filii Milote. Zobezlaus filius Odolen. Zbrazlaus subpincerna. Nobiles Morauie huius rei hii testes sunt. Swatozlaus filius Willalmi. Ratybor cum filiis.

Arthlebus. Willelmus camerarius Bethowiensis. Lupoldus pincerna frater eius. Ben burgrauius Znoemensis. Grut filius Theodorici. Bogobud burgrauius Bethowiensis. Semizlaus camerarius Olomucensis. Vocko Olomucensis burgrauius. filius Boruth. Vocko subcamerarius. Voyteh filius Stephani. Lutobor Filius Prossimiri. Milich. Ydik. Slauebor. Acta sunt hec in Znoem Anno dominice incarnationis. Millesimo. CC. XXXIIII. Indictione VII. Epacta XVIII. Concurrente VI. Datum per manus Ylarii Pridie Kalendas Nouembris.

Ex originali in archivo ejusdem monasterii in registratura c. r. Gubernii.

CCL.

Přemysl, marchio Moraviae, monasterio Rayhradensi eadem jura et libertates confert, quibus monasterium Welehradense utebatur. Dt. in Bruna, IV. Nonas Novembris, 1234.

In nomine sancte trinitatis et indiuidue unitatis. Ego Premisl diuina gratia Marchio Morauie cenobio *Raygradensi* et in eo degentibus venerari et promouere sanctam in omnibus ecclesiam. Congruum nostre visum fuit pietati id iniciari et exequi, quod nobis et successoribus nostris cederet ad meritum, et sancte matri ecclesie transiret ad prouectum. Ibi enim recte locantur beneficia ubi crescunt donorum merita, ibi decenter impertitur gratia, ubi cum premiis cumulatur gloria. Nouerint itaque tam presentes quam futuri, nos cuidam Monasterio fratrum, quod Raygrad dicitur, diuina inspirante nobis clementia et fratre nostro illustri rege Boemorum et inclite memorie patruo nostro Wladizlao, quondam Marchione Morauie fundato et constructo ad subleuandam loci eiusdem paupertatem. Libertatem illam, qua in prima sua fundatione a progenitoribus nostris videlicet Bolezlao et Brezchizlao famosissimis ducibus eadem cella roborata est, renouantes precipue, et cum ex diuersis regionibus imminente festiuitate sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ad eundem locum per septem dies populi multitudo confluit forum ibidem ex antiqua institutione ab omni infestatione beneficiariorum nostrorum liberrime agatur. Ipsam autem villam Rayhrad (dico) eidem celle adiacentem iure forensi prout ubique teutonice libertatis est, fundatam confirmauimus die forensi in gratiam fratrum constituto.

Sancimus itaque et inuiolabiliter statuimus obseruari omnes villas et possessiones, quas ecclesia possidet, vel possessura est, ubicunque in Marchia nostra ab omni onere tributorum, vectigalium, collectarum, seu etiam forestariorum nostrorum, qui vulgo Louschi appellantur. Aliis exactionibus, siue in quatuordecim ad principem vel beneficiarios spectantibus, quocunque modo nominentur, esse absolutos. Adiicientes ut nullus principum successorum nostrorum vel baronum nostrorum, nobis vel eis subiectorum pro castrorum edificatione vel reedificatione, vel aliqua ingruenti expeditione homines prefati cenobii audeat inquietare. Jus autem, quod datur ex capite, eis concedimus. Hoc de fure statuentes: Si in eorum habitat possessionibus, et deprehensus fuerit in furto manifesto vel de aliquo occulto accusetur, videlicet, quoad iudicium ferri candentis, vel aque, vel vomeres calcandos, vel duelli, et conuincatur in aliquo istorum in iudicio seculari, eidem monasterio bona furis siue rei integraliter remaneant. Judices autem, quorum interest, faciant de eo, quid iustum videbitur. Si autem homines eiusdem cenobii coram iudicibus nostris culpabiles inueniantur, nec nobis, nec iudicibus nostris curialibus, vel beneficiariis aliquid utilitatis proueniat. Sed apud idem cenobium culpe perseueret satisfactio, nisi in eo, quo tenentur satisfacere aduersario. Cetera omnia ut breuiter comprehendamus, omnem utilitatem, que spectat ad usus nostros vel successorum nostrorum, vel beneficiarios nostros nobis infeudatos, eis remittimus, ut plena et perfecta gaudeant libertate, et ut nullus eis conditiones contra statuta nostra audeat imponere, statuimus etiam, ut nullus camerarius intret villas monasterii ad aliquem citandum, vel aliquid ibi faciendum, sed significet procuratori domus illius, cui commissa fuerit procuratio in temporalibus, ut eos citari faciat, qui sunt citandi, quatenus die determinato eos coram iudicibus statuat, quorum interest causas et negotia Marchie nostre tractare et diffinire. Si quis autem alicui persone religiose infra septa monasterii constitute manus iniecerit violentas ad aliquem ibi dehonestandum, capite puniatur, et pro emunitate lese Maiestatis monasterio decem marcas auri componat, nisi quoad sententiam capitis aliud visum fuerit nostre benignitati. Si vero quis irruperit claustrum monasterii ibidem aliquid iniuste rapiendo, ablata restituat, atque in cameram nostram et successorum nostrorum decem marcas auri componat, vel secundum quod

ium fuerit nostre pietati, satisfaciat. Insuper statuimus, ut quicunque bilium in prefati monasterii curiis vel villis pernoctando vel intrando lem extiterint iniuriosi, bannum nostrum in decem marcis componant, et dampna illata in duplum restituant. Huius autem libertatis a nobis con-sse et principali munificentia donate prefato monasterio successores stros, et si Deo largiente heredes habebimus tutores constituimus et fensores. Hoc sancientes, ut huius priuilegii violatores in cameram stram et successorum nostrorum decem marcas componant. Insuper gauimus Patrem nostrum, venerabilem Robertum, Olomucensem episcopum, omnes, qui prefati cenobii per thelonea transeuntes, in rebus, que spe-ant ad opus vel usus ecclesie, ad eam in neccessitatibus ei deferendis l traducendis, sint a pedagiis et theloneis absoluti. Mercatores vero luant, quod iuris est. Hoc etiam omnibus volumus esse manifestum, od sine offensa nostra erit, si prescriptus episcopus et eius successores strarum institutionum in hac pagina et priuilegio Wellegradensi con-ntarum, secundum quod dictant iura ecclesiastica punient transgressores. ogauimus etiam serenissimum fratrem nostrum, Regem Bohemie quartum, Wenceslaum nomine, et reuerendum patrem nostrum Robertum, Olomucensem iscopum, quatenus dignarentur hanc paginam donationis nostre suis gillis confirmare, quod et fecerunt, sua videlicet sigilla apponendo. Sic-et nos presentem paginam in testimonium huius donationis sigillo nostro muiuimus. Huius rei testes sunt hi: Arnoldus comes de Hukensuach. ernardus, dux Carintie. Woco, castellanus Olomucensis. Ratiborius de eblin. Wocco, subcamerarius. Otto purcrauius de Donin. M(ilich) et ater ipsius Idic. Lupoldus castellanus de Meidberch. Zweizlaus subdapifer. agrad de Orechou. Mladota de Tazzow. Bosco filius Gerhardi. Zmil filius nosir. Cunradus notarius Brunnensis. Raschardus scholasticus in Brunna. artholomeus, Marguardus, Gregorius, Simon, capellani. Artliebus filius tiborii. Acta sunt hec ab incarnatione domini Anno Millesimo CCXXXIV. dictione VII. Datum per manum Hilarii notarii in Bruna IV. Nonas No-mbris. Contradictores huius priuilegii et inuasores prenominati monasterii m Dathan et Abiron, quas terra viuos absorbuit, accipiant porcionem.

E pluribus apographis. — Originale in archivo Rayhradensi asservatur. — Excus. dedit Dobner in Monum. VI. pag. 13.

CCLI.

Premysl, marchio Moraviae, confirmat omnes possessiones atque libertates domui hospitalis s. Joannis Hierosolymitani in Moravia. Acta Brunae, VI. Idus Novembris, 1234.

In nomine sancte trinitatis et indiuidue unitatis. Ego Premisle dei gracia marchio Morauie domui hospitalis s. *Johannis* et fratribus ad illud pertinentibus in perpetuum. Licet simus iuuenilis etatis tamen cum princeps simus. et regio sanguine natus. filius scilicet inclite memorie Premisle qui et Ottacharus a theutonicis uocabatur tercii regis Boemie. decet nos prudencie habere sagacitatem. mores honestos. et maturis uti consiliis. et pietatis operibus exuberare. et ad hec perageuda intendere decreuimus studiose. Visum itaque est nostre discrecioni esse conueniens. quod illustris patris nostri priuilegia et eciam incliti marchionis patrui nostri bone memorie Wladislay cuius sumus heres. et marchionatus sui dominus. et possessor. religiosis domibus concessa renouare. et eciam confirmare. Igitur ad peticionem fratrum domus hospitalis s. Johannis. et precipue fratris Huconis. qui eorum possessionibus preest gubernandis in marchionatu nostro statuimus in subsequenti scripto omnia iura que munificencia patris nostri regis Boemie et patrui nostri quondam marchionis Morauie prefate domui concessit. confirmare. vt inconcussa perpetuo maneant. et illibata. Hinc est quod patris nostri Premisle et patrui nostri Wladislay priuilegia uerbo ad uerbum subsequenti pagine precepimus inserere. Incipit autem priuilegium patris nostri. *In nomine sancte trinitatis et indiuidue unitatis. Ego Premissl.... 1214. (Vide n. LXII.)* Priuilegium uero aliud patrui nostri Wladislay incipit sic. *In nomine sancte trinitatis et indiuidue unitatis. Ego Heinricus qui et Wladizlaus . . . 1214. (Vide n. LXI.)* Igitur hec omnia que illustris pater noster rex Boemie Othacarus nomine. et patruus noster Wladislaus prefate domui s. Johannis et fratribus in ipsa morantibus concessit. nos idem ratum habemus et confirmamus. et in huius rei testimonium sigillum nostrum huic pagine fecimus apponi. et rogauimus illustrem fratrem nostrum Wenceslaum regem Boemie. quod et ipse eandem donacionem auctoritate sua confirmaret. et in testimonium huius confirmacionis quam ipse libenter et deuote fecit. sigillum suum huic scripto

apposuit. Insuper rogauimus vnacum fratre nostro Wenceslao rege Boemie venerabilem patrem nostrum dominum Robertum Olomucensem episcopum quatenus ad pleniorem huius prefate donacionis confirmacionem presenti carte sigillum suum apponeret. quod et fecit. Testes uero in quorum presencia hec acta sunt. hii sunt. Dominus Arnoldus prepositus Wisegradensis. Arnolphus abbas Trebecensis. Ambrosius prepositus Cunicensis. Paul prepositus Ragygradensis. Wilelmvs notarius regis Boemie. Bartholomeus canonicus Olomucensis. Marguardus capellanus noster et socii eius. Sdezlaus camerarius Boemie. Witteco. et Heinricus frater eius. et Witteco iuuenis frater eorum. Wocco filius Borutonis. Wocco filius benesonis. Ratiborius. Arthlebus. Gruth filius Detrici. Wirso. Ranozyrus. Pardus. et frater eius Thewirdese. Stephanus iudex domine regine. Huale. Ottaslaus. Wogeteh. Ector. milites domini episcopi. Wilelmus. Lupoldus. Nagrade. Pelegius. Harthebus. et Johannes filii Ratiborii. Acta sunt hec Brunne. in domo Brumonis monetarii regis. anno ab incarnacione domini Millesimo Ducentesimo tricesimo quarto. Quarto Idus Nouembris. Data per manus Hylarii prothonotarii nostri.

Ex originali in archivo Melitensium Pragae.

CCLII.

Gregorius papa IX. archiepiscopos et episcopos Germaniae (inter quos etiam episcopi Pragensis et *Olomucensis* nominantur) hortatur ad auxilia ecclesiae et terrae sanctae tum ferenda, tum promovenda. Datum Perusii, VII. Kalendas Decembris; pontificatus anno VIII. (1234.)

Palacky's Reise p. 26. — e Regesto Gregorii IX. lib. VIII. epist. 330.

CCLIII.

Gregorius papa IX. principes Germaniae (inter quos etiam rex Boemiae et frater ejus *marchio Moraviae* referuntur) ad idem hortatur. Dt. Perusii, V. Kalendas Decembris; pontificatus anno VIII. (1234.)

Ibidem epist. 333.

CCLIV.

Přemysl, marchio Moraviae, confirmat et auget libertates ecclesiae Olomucensi a patre suo Otakaro concessas, donationesque novas eidem factas ratihabet. (1234.)

In nomine sancte trinitatis et indiuidue vnitatis. Ego Premizl, dei gracia marchio Morauie, *Ruberto, dei gracia Olomucensi episcopo, et eius successoribus ac ecclesie Olomucensi* inperpetuum. Cum sit honestum et iustum, cuilibet iura sua conseruare, tamen videtur esse conueniencius et iusticie magis consonum, sacrosancte ecclesie, cuius proles sumus generosa, eiusque sacramentis regenerata, ipsius iura illibata custodire, et vt integra et inconcussa permaneant, prudenter et mature prouidere. Decreuit itaque nostre prouidencie prouida sagacitas ad peticionem venerabilis patris nostri Ruberti, Olomucensis episcopi, qui in presenciarum est, ecclesie Olomucensis priuilegia, ab illustris memorie rege Bohemorum, patre nostro Othakaro nomine, qui lingwa bohemica Premizl vocabatur, eidem ecclesie Olomucensi concessa, et a predecessoribus suis, principibus ac ducibus Bohemie et Morauie, plenarie ac studiosius renouare, et quicquid a tanta Regis clemencia est indultum, totaliter confirmare. Vt autem liberalitas nostra vbique clareat profusius, eciam quedam beneficia libertatis, sancte ecclesie Olomucensi profutura, superaddidimus, quatinus ex nostris adauctis beneficiis beati apostoli Petrus et Paulus et gloriosus martyr Wencezlaus, de cuius sanguine traximus originem, nobis sint apud deum propicii, ac pro nostra salute et remedio animarum predecessorum nostrorum, et precipue inclite memorie patris nostri, intercessores existant assidui. Priuilegium autem patris nostri tale est, sicut in subsequentibus apparet, in quo priuilegio eciam quedam libertates continentur, quas excellentis memorie *Wladyzlaus*, auus noster, secundus rex Bohemorum, ecclesie Olomucensi concessit, et concessas confirmauit, et sui appensione sigilli, ne inposterum violarentur, roborauit: *In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Ego Premizl, dei gracia rex Bohemorum, . . . usque „prohibemus." (Vide n. XXXI.)* Et quia dominus papa confirmauit priuilegium patris nostri, et transgressores excommunicauit, nos illud semper volumus habere ratum, et firmum tenere; ampliori autem nostre deuocionis affectu matrem nostram Olomu-

censem venerari ecclesiam omnimodis cupientes, hanc graciam eidem ex mera nostre benignitatis liberalitate conferimus: vt, quascunque possessiones emunt episcopi vel canonici nomine ecclesie, prescripta gaudeant libertate. Si vero episcopi vel aliqui ex canonicis emunt in usus proprios, respondeant principi secundum ius terre. Quod si temporis processu per illorum bonam voluntatem, qui eas emerant, contigerit, vt ecclesie assignentur, decernimus eas subiacere prefate libertati, et volumus, vt ecclesia in ipsarum gaudeat tranquilla possessione. Habentes preterea in anime nostre desiderio, ad plenum ecclesiam dei, a quo et per quem nobis vniuersa manant prosperitatis commoda, ab inpeticionibus indebitis exonerare, et paci canonicorum prouidere, hanc libertatem ipsis concedendo statuimus, vt nullus camerariorum uel quorumlibet nuncciorum per beneficos transmissorum audeat villas ecclesie aut canonicorum ingredi, ad iudicium euocandos ipsorum homines, seu pro aliqua culpa grauandos. Non enim volumus admittere, vt domus pauperum ipsorum preuideatur a camerariis, vel a quibuslibet per iudices seu beneficiarios a castro ad hoc deputatis. Sed si ex euentu contigerit, coram iudicio vt accusentur, decernimus, vt ad dominos ipsorum mittantur benefici, quatinus per eos citentur, qui fuerint accusati, et iudicio assistant tempore et loco determinato, per iudices vel beneficos super sibi obiectis responsuri. In promptu autem causa est, quare violencias huiusmodi fieri esse prohibemus, quia sine graui pauperum lesione exerceri non possunt, et precipue cum omnis vendicio hominum ecclesie ad episcopum pertineat, et canonicorum transeat vtilitatem, et nichil nobis commodi inportet, vel beneficis augeat aliquid emolimenti. Ceterum quia beneficia assecuti per principem nouiter vel ex antiquo soliti sunt interrumpere, decimam episcopalem, septimanam et canonicorum detrahentes vtilitati ecclesiam dampnificant, in periculum animarum suarum ius decimale impedientes, firmiter hanc violenciam fieri inhibentes per nobiles nostros, statuimus, vt quisquis hanc fecerit violenciam ecclesie, sine nostra offensa ecclesiastice subiaceat vlcioni, quam meruit, nec dedecus, quod incurrit, audeat coram nobis per inanem querimoniam propulsare, sed sciat se tamquam nostri transgressorem mandati priuandum benefici honore, nisi festinet delictum suum corrigere digna satisfaccione pro ea, quam fecit ecclesie, graui lesione. Demum quia ius suum indempne libertas

debet semper obtinere, et nullum bonum irremuneratum est apud deum, intendentes augere profectum ecclesie Olomucensis, et nostre largitatis beneficiis ipsam sublimare, villam nomine *Ratay*, quam dominus episcopus Rubertus de licencia patris nostri Premizl, incliti regis Bohemorum, emptam ecclesie contulit, et alteram vulgo dictam *Medweze*, per patruum nostrum *Wladyzlaum*, pie memorie marchionem Morauie, emptam et collatam, et illas, quas Waltherus decanus et Stephanus prepositus contulerunt de licencia patrui nostri videlicet: *Lutyn, Neretyn, Gozchich, Mislochowicz*, et domine marchionisse tres terras in *Cladorub*, et vnam in *Samitessicz*, et eas omnes, quas sub temporibus *Wladymiri* principis, seu patris nostri vel patrui possedit ecclesia in *Lyssek*, in *Nelessowicz* et in *Celechowicz* sub episcopatus iure antiquo liberas esse statuimus, et inquietari prohibemus, saluum ius in omnibus ecclesie Olomucensi libertatis relinquentes, et sicut ab antecessoribus nostris priuilegiatam se gaudeat Olomucensis ecclesia, ita per nostre huius donacionis graciam magnificet, se esse liberam, et ab omni iugo vetuste inquietatis penitus exutam. Inhibemus eciam, a canonicorum plaustris, cum vina sua in theloneis, vel salem, segetem, vel humulum, seu alia quelibet deducunt, sine quibus subsistere non possunt, nec ab ipsis theloneum exigatur, uel aliqua violencia inferatur eis indebite exaccionis; statuentes hanc penam, vt, quicunque mandati nostri statutum violauerint, et non statim satisfecerint super illato grauamine, ex tunc vindictam in ipsos debitam exerceat ecclesia, et carceris nostri macerentur graui custodia. Decernimus eciam hoc obseruari secundum iura canonum, vt clerici non trahantur in iudicium seculare, nec iudicentur per seculares personas, sed ecclesia, cuius interest, discuciat clericorum iudicia, et eorum, qui contra ipsos procedunt in qualicunque querimonia; addicientes hoc, vt benefici nostri nichil habeant iudicare de diuorcio, vel de matrimonio discutere inter virum et mulierem, cum omne tale iudicium soli sit ecclesie specialiter auctoritate apostolica concessum. Huiusmodi iudicia vendicione non indigent, sed penitencia spiritali et iusticia. Vt omnia autem matri nostre sancte ecclesie Olomucensi cupiamus prospera a deo retribucionis beate graciam prestolantes: tabernas canonicorum, que primitus inpediebantur per nostros beneficos et tabernarium Olomucensem seu villicum nostrum, liberas esse precipimus, et ne amplius grauentur

inhibemus, in *Cyrtorige,* et in *Ratay,* et in *montibus,* et que in dotem sunt ecclesiis assignate et utilitatem. Quia vero de villa dicta Brunovich sepius inpetebatur episcopus et ecclesia, et tam per principes quam nobiles molestabatur principum, ne deinceps calumpniose infestetur, vel aliquatinus super ea infestuose conueniatur, episcopo ipsam Olomucensi ecclesie inperpetuum possidendam confirmamus, et confirmatam restituimus, huic addicientes confirmacioni nostre regie villam, nuncupatam *Nasazaue,* vt libere et quiete easdem Olomucensis ecclesia in recordacione oracionum suarum nostri et antecessorum nostrorum semper habeat in memoriam. Vt autem hec omnia rata et inconcussa permaneant, hanc nostre serenitatis paginam nostro sigillo fecimus roborari, et a venerabili patre Ruberto in die Pasche publice excommunicari. Si quis autem contra hanc nostram venerit constitucionem, rerum suarum graui multetur dispendio, et deum cum sanctis suis sibi aduersum in extremo senciat iudicio.

E codicibus Mss. Cremsiriensi A. IV n. II. — et Olomucen. fol. I.

CCLV.

Premysl, marchionis Moraviae, aliud diploma super libertatibus ecclesiae Olomucensis in plurimis varians. (1234.)

C. In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Ego Premizl dei gracia rex Boemorum tercius. Venerabili episcopo Olomucensi Roberto suisque successoribus et olomucensi ecclesie in perpetuum ... usque „prohibemus." (Vide n. XXXI.) — Et quia dominus papa confirmauit priuilegium patris nostri et transgressores excommunicauit. nos illud uolumus semper ratum habere. Vt autem ex nostre deuotionis affectu quem erga deum habemus letetur semper mater nostra sancta Olomucensis ecclesia et ampliori beneficiornm honore gaudeat se esse excelsam. ex nostra mera liberalitate hanc eidem gratiam conferimus quod quascunque possessiones episcopi emunt uel canonici nomine ecclesie. prescripta gaudeant libertate. Si uero episcopus uel aliqui ex canonicis emunt in usus proprios respondeant principi secundum ius terre. Quod si temporis processu contigerit eas deuolui ad ecclesiam per illorum uoluntatem qui eas emerant. ut eo magis sit

acceptabilis deo nostra deuocio. statuimus ut prenominate subiaceant libertati. et uolumus ut ecclesia in ipsarum gaudeat tranquilla possessione. Villam eliam vulgo dictam Meduezo *quam pie memorie* Wladizlaus *patruus emptam contulit ecclesie. et illas quas Walterus decanus de licencia eiusdem patrui nostri et dominus prepositus Stephanus emptas ecclesie donauerunt. uidelicet* Lutin. Neredin. Gozchichi. Misslochouichi. *et illam quam dominus episcopus emptam de consensu patris nostri Premizl inclili regis Boemorum addidit ecclesie nomine* Rathay. *insuper terras tres domine marchionisse in* Cladorub *et unam in* Semitessich. *et ad duo aratra in* Lyssek. *et in* Nelessouich *ad duo. in* celehhouich *ad unum. in eas uillas seu terras. quas sub tempore principis* Wladimiri *possedit ecclesia. sub episcopatus iure antiquo liberas esse constituimus. Preterea cupientes ad plenum ab impeticionibus indebitis exhonerare ecclesiam dei et paci canonicorum prouidere hanc libertatem ipsis dando statuimus ut nullus camerariorum uel quorumlibet nunciorum a castro audeat uillas ipsorum ingredi pro aliquo grauamine. hominibus eorum inferendo uel eos si accusati fuerint ad iudicium euocando. Volumus autem ut iudex uel benefici per sibi subiectos ad dominos eorum mittant per quos citati homines ipsorum iudicio assistant. nec enim decet beniuolentiam principalem hoc fieri sustinere. ut domus uel bona pauperum ecclesie per camerarios preuideantur uel euertantur quia sine dampno et grauamine rerum non facile possint huiusmodi uiolencie exerceri. et ideo precipue inhibemus ne ista fiant quia omnis uendilio hominum ecclesie Olomucensis in ius reuoluitur episcopatus et commodum canonicorum sicut longe ante nostra tempora per antecessorum nostrorum priuilegia ecclesie Olomucensi priuilegiatum est. Adicimus eliam libertati canonicorum ampliorem hanc gratiam statuentes firmiter obseruari ut quociescunque per thelonea uina ipsorum uel quelibet omnia alia deducuntur ipsorum comparata precio sine quibus minime bene et honeste cura domestica potest subsistere uel humanis usibus sunt necessaria. theloneum non soluant. sed libere sua quocunque uoluerint absque omni exactione deducant. Quod autem benefici nostri uel nouiter inbeneficiati soliti sunt episcopali decime septimane iniuriari interrumpentes eam. et canonicorum ius auferunt. ne propter nostram negligentiam in preceps contra ecclesiam aliquid tale agatur. statuimus ut ordo predicte septimane non interrumpatur sed ordi-*

narie obseruetur. alioquin quicunque contra hoc statutum nostrum uiolenter egerit et ecclesia in ipsum ius suum exercueril. cum querimonia ad nos non recurrat sed sine nostra offensa ecclesiastice sententie que in ipsum lata fuerit subiaceat donec satisfaciat. ac deinceps ecclesiam non offendat. Ceterum quia per nobilium nostrorum magis quam per principum potenciam presbyteros uel clericos iudicari audiuimus. qui sorte dei sunt electi ad iudicia compelli uiolenter ut assistant responsuri et ipsos tanquam rusticos uendi. uolentes reddere que Dei sunt deo a quo habemus uniuersa. statuimus ut siquis ex presbyteris canonicis uel clericis ad iudicium commune fuerit euocatus per iudicem uel beneficorum nostrorum nuncios ex parte castri. per se uel per responsalem nuncium suum compareant non iudicandus sed tantum uidendus. sed omne iudicium secundum statuta canonum deuoluatur ad episcopum uel prelatos Olomucensis ecclesie qualinus secundum processum cause discuciant inter accusatum et accusantem utrique ius suum impercientes. nec uolumus ut a laicis domus uel bona clericorum preuideantur seu distrahantur nec uenditio aliqua ab ipsis exigatur. Demum nostre deuotionis pium affectum totaliter Olomucensi ecclesie offerentes. decernimus tabernas canonicorum esse liberas in Certorige *in* Rathay *et in* montibus *que prius solite erant grauari. Adicientes eidem hanc gratiam ut in domibus canonicorum nemo curialium nostrorum uel quorumlibet nobiscum aduenientium hospitetur nisi ex nostra peticione hoc faciant cum gratiarum actione. Illud etiam quod uulgo dicitur Cistothne ne ab hominibus ecclesie accipiatur inhibemus. siue illud quod propter euitacionem uiarum malarum exigitur et solet fieri uendicio penitus ab huiusmodi liberos esse statuimus.*

Ex originali archivi Cremsiriensis.

CCLVI.

Přemysl, marchio Moraviae, villam monasterii Zabrdowicensis „Leuiz" in districtu Opariensi sitam ab omni onere et servitute eximit. Datum Opariae, 1234.

In nomine domini amen. Nouerint uniuersi tam posteri quam moderni scripti huius inspectionem et copiam habituri. quod ego Premilz miseratione

diuina marchio Morauie personis ac locis religiosis pro salute anime mee ac progenitorum nec non successorum meorum in omnibus. que ipsorum commoditatem utilitatemque respiciunt misericorditer et pie cupiens prouidere. uillam quandam Leuiz nomine monasterii de *Zabirdouiz* sitam in Holachiz. sine omni excepcione ab uniuersis seruitutibus et honeribus specialibus siue communibus liberaui. libertatem sibi plenariam concedens secundum tenorem priuilegiorum Velgradensis monasterii ita uidelicet. ut nullus camerariorum seu beneficiariorum prenominatam uillam pro aliqua molestacione uel occasione grauaminis audeat introire. ut ab eadem uilla mea licencia et fauorabili consensu demum Teutonicis habita. liberius et amplius monasterio de Zabirdouiz ualeat seruicium exhiberi. Hanc itaque paginam predicte concessionis ob perpetuam memoriam et habundantem cautelam sigilli mei karactere insigniui testium subscripcione adiuncta, quorum nomina sunt hèc: Vlricus filius ducis Karinthie. Arnoldus comes de Hucswach. Wocko subcamerarius. Albertus de Medlow. Stephanus frater eiusdem. Luppoldus castellanus de Megdeberc. Volurammus frater eius. Bochko marscalcus. Mikul frater eius. Mileta de Gradez. Woyna. Beneda. Victor. Onso. Bludo. Zwerch. Vilk. Lubomir. Predborius de Diuiz. filius eius Pribizlaus. Datum in Opavia. indictione VII.

Ex originali in archivo c. r. aulico Vindobonae.

CCLVII.

Přemysl, marchio Moraviae, monasterio Oslovanensi confert jus patronatus Novae ecclesiae (Neukirchen) in districtu Opaviensi. 1234.

Omnibus presentia uisuris Christi fidelibus P(remysl) dei gratia Marchio Moravvie eternam in domino salutem. Quoniam generatio preterit et generatio advenit plurima propter hebetudinem mentium a memoria hominum elabuntur. Quare paci et tranquillitati M. abbatisse et conuentus de *Ozlawan* prouisum esse uolentes vniuersitati vestre in presenti sigillo et pagina notitie transmittimus quia ivs patronatus *nove ecclesie* site in terminis oppavvie sicut libere et quiete tam nos quam dilecta uxor nostra visi sumus possidere contulimus dictis abbatisse et conuentui ac successuris eiusdem

in perpetuum libere et absolute volentes et precipientes dicto sacerdoti et successoribus suis quatenus ipsis abbatisse et conuentui respondeant de omni reuerentia obedientia ac ivre prout nobis hactenus responderint. Quod si aliquis contra hanc ordinationem nostram venire quod absit presumpserit offensam nostram et successorum nostrorum incurret et rogamus dominum diocesanum uti spirituali gladio ipsis occurrere dignetur presumptoribus et donationem suo confirmet vt decet assensu. Datum anno gracie M. CC. XXX. IIII. Testes Theodericus preceptor domus theutunice et fratres sui et Capellani et *Wurchozlaus dapifer Marchionisse* Peregrinus magister coquine et alii quam plures.

Ex originali ejusdem monasterii.

CCLVIII.

Heinricus, abbas de Langheim, praedium Doloplaz, a Přemysl, marchione Moraviae, collatum, monasterio Welehradensi vendit. 1234.

Henricus diuina miseracione dictus abbas in Lankeym. Que geruntur in tempore simul pereunt cum tempore, si non receperint a voce testium vel litteris firmamentum. Ad tollendam igitur omnem odiose contencionis vel dubietatis molestiam, nosse cupimus omnes presentis pagine inspectores, quod nos de communi consensu tocius conuentus, habita eciam deliberacione cum episcopo diocesano et cum patre abbate, predium nostrum in *Doloplaz*, quod illustris Marchio Morauie nobis pro remedio anime sue contulit, vendidimus domino abbati et conuentui in Welegrad pro centum marcis cum omnibus attinenciis, et iure nostro, quod in eodem predio a predicto Marchione nobis fuerat confirmatum. Ad huius rei eternam euidenciam presentem paginam exinde conscriptam sigillo nostro fecimus insigniri. Testes sunt dominus Henricus abbas de Plaz et monachi sui Heidinricus supprior et Johannes et alii plures. Actum anno domini MCCXXXIIII., indiccione VII.

E codice Welehradensi Ms. fol. 89.

CCLIX.

Attestatio donati ab Hermanno de Rudikow monasterio Oslowanensi juris patronatus in Rudikow. Actum in Oslowan, **1234.**

Nos Bvdish de Namez vniuersis hanc litteram inspecturis ad rei memoriam sempiternam. Ne ea que ad divini nominis cvltum ampliandum divina preveniente gracia ex liberalitate copiosissima donatorum piis locis et personis religiosis dei amore conferuntur a successoribus eorum per ipsorum alienationem animabus graue dispendium generent et iacturam necessarium est vt litterarum annotationibus et testium assertionibus roborentur. Ad tocius igitur litis et calumpnie successoribus repressionem in futurum hiis nostris litteris bona fide protestamur. quod vir nobilis Hermannus de Rvdwico noster consanguinevs vna cum matre sua divinitus inspirati ad laudem dei et honorem gloriose virginis marie ius patronatus ecclesie ville de *Rvdwico* cum omnibus suis attinenciis ad vsus dominarum de *Ozla* et sustentationem contulerunt principaliter propter deum renunciantes ivri patronatus ecclesie memorate protestantes nichilominus donacionem huiusmodi et renunciationem aliquociens quam plurimis presentibus in vita et in morte. In huiusmodi igitur protestationis donationis et recessus evidenciam memoriam et cavtelam presentem litteram sigilli nostri munimine fecimus insigniri. Actum in Ozla anno domini M.CC.XXX.IIII.

Ex originali in archivo ejusdem monasterii.

CCLX.

Wenceslaus, rex Boemiae, fratribus hospitalis ordinis stellariorum Pragae diversa jura et libertates concedit. Dt. Pragae, pridie Idus Februarii, **1235.**

In nomine sancte trinitatis, et indiuidue vnitatis. Amen. Nos Wenceslaus dei gratia quartus rex Boemorum vniuersis fide christiana preditis in perpetuum. Quoniam actiones mortalium sub tempore solenniter celebrate propter longeuum temporis cursum proh dolor a memoria decidere consueuerunt, expedit, et omnino necessarium arbitramur, vt ne suis fru-

strentur effectibus literarum et testium aminiculo perhennentur. Noscat igitur tam presens hominum etas, quam successura in Christo fidelium posteritas, quod nos ad predecessorum nostrorum et successorum remedium propriamque salutem, moti tamen specialiter pia ac deuota precum instantia dilecte sororis nostre domine Agnetis, hospitale sancti Francisci, quod ipsa in pede pontis Pragensis ad vsus infirmorum, peregrinorum, et quorumlibet debilium ibidem confluentium construxit cum fratribus eiusdem hospitalis ordinis stelliferorum presentibus et futuris huius subnotate libertatis priuilegio ex affluentia regia gaudere volumus iugiter, et eiusdem muneris plenitudine eosdem fratres a nobis nostrisque successoribus in perpetuum possidere de regali largitione. Ipsis primo liberaliter concedentes, et sub obtentu nostre gratie precipientes firmiter et districte, vt nulli nostrorum officialium, camerarii, officiales, ministeriales, barones, nobiles, iudices, prouinciales vel simplices seu cuiuscunque potestatis nostre extiterint rectores in dicti hospitalis curiis, villis, ciuitatibus et allodiis ac in omnibus eorum bonis aliis habitis et habendis aliquod forum iudicii pro quacunque causa quantumcunque magni criminis fuerit, videlicet homicidii, furti, stupri, incendii, spolii, vel alterius cuiuslibet flagitii sibi contra statutum regium aliqualiter attrahant vel vsurpent. Volumus enim, vt fratres predicti in omnibus eorum bonis et possessionibus de omni causa facultatem habeant manu videlicet libera iudicandi, ipsis ex nostre plenitudinis gratia concedentes, vt si quid vnquam homicidii vel nephandi criminis in hereditate eorum subortum fuerit, de hoc primo coram eorum prefectis, et iudicibus per actores tantum modo iustitia requiratur. Qui si ad definitionem vel decisionem cause negligentes vel insufficientes extiterint, ex tunc talis casus discussio summo magistro et fratribus prefati hospitalis ab actoribus deferatur, vt fine debito mediante tamen iustitia ciuitatum nostrarum et non alia decidatur. Quod si magister et fratres antedicti hospitalis ad hoc determinandum etiam inexpertis vel tardi seu malitiosi quod absit extiterint et hoc per testimonium fide dignum probatum fuerit, huius litis contestatio et cause predicte detruncatio ad examen tantum regalis presentie pertinebit. Ita tamen vt quidquid coram nobis vel nostro iudice specialiter super hoc delegato satisfactionis exinde vel emende profluxerit nobis, totum in vsus pauperum dicti hospitalis et debilium conuertetur. Addentes

[illegible] predicte fu- [illegible] respondere [illegible] [illegible] nostra [illegible] nobilem vi [illegible] [illegible] [illegible]

cuncta eisdem personis presentibus et affuturis predicta bona cum omnibus obuentionibus ac utilitatibus eorundem ad vsus et refectionem debilium in perpetuum conferimus iure hereditario possidenda, quam donationem ad omnes nostros posteros extendi volumus, in his scriptis, adiicientes nihilominus quod predictum hospitale nostrum cum omnibus suis tam rebus quam personis omni et maxima libertatis frui debet gratia, que per nos seu predecessores nostros vnquam in terris nostris cuiquam esse facta dignoscitur perhenniter et gaudere. Ad quam libertatis gratiam ipsam presentibus confirmamus. Cum autem huius pie affectionis et donationis nostre libertas iam dicto hospitali tam in suis personis quam possessionibus in palam facta sit ad laudem dei principaliter sueque genitricis Marie et omnium sanctorum pariter gloriam et honorem ac in remedium predecessorum nostrorum et nostram ac successorum nostrorum propriam ad salutem. Ipsi summo deo, suisque sanctis omnibus nec non sanctissimo patri nostro summo sedis apostolice pontifici Gregorio, qui nostre voluntatis et donationis in hac parte magnificentiam ad preces nostras personaliter confirmauit. Promittimus regia fide data pro nobis ac omnibus nostris successoribus quod omnem excellentie nostre munificentiam his literis editam et impensam circa dictum hospitale et in bonis suis ratam et inuiolabilem ac inconuulsam perpetuo volumus obseruare de libero nos ad hoc obligantes arbitrio cum omnibus nostris successoribus, vt si vnquam cogente quacunque necessitate per nos vel sequaces nostros bona prenominati hospitalis nunc habita vel habenda ab eo alienata vel in vsum alterius nostre fundationis quantumlibet care vel etiam ad vtilitatem sororis nostre Agnetis siue sancti Francisci stipendia translata fuerint per donum seu per rapinam vel calumpniam aliquam et redacta. Si de malitia quacunque quod absit predicte libertatis nostre collatio circa bona sepe dicta suis effectibus priuata fuerit vel minuta, ex tunc ad eiusdem restitutionem et reformationem integram indignationem omnipotentis dei et bannum beatorum apostolorum Petri et Pauli ac offensam et proscriptionem omnium regum, nos et totam succesiuam nostram posteritatem profitemur et decernimus incurrisse. In cuius rei perpetue firmitatis vigorem presentis scripture seriem conscribi et sigillo nostre sublimitatis iussimus insigniri. Testes sunt hi: Johannes venerabilis Pragensis ecclesie episcopus. Eppo Pragensis prepositus et

totus eiusdem ecclesie conuentus. Bohuta prepositus Boleslauiensis. Arnoldus prepositus Wissegradensis. Laici Roznata noster camerarius. Mztidruh castellanus Pragensis. Zawisse subcamerarius. Poych castellanus Wissegradensis. Budislaus et Jaroslaus fratres vterini. Zubyslaus et Cztimich. Bauarus de Labohonitz. Sdeslaus de Synich et alii quam plures clerici et layci fide digni. Acta sunt hec anno dominice incarnationis MCCXXXV. Regni nostri anno decimo quarto. Datum in ambitu Pragensis ecclesie. pridie Idus Februarii. Indictione tertia.

Pelzel — Karl IV. in confirmatione a. 1350. I. pag. 141. — Bienenberg Analekten pag. 19.

CCLXI.

Constantia, Boemiae regina, hospitali sancti Francisci Pragae hereditatem Hlaupětjn, ecclesiam s. Petri Pragae et aliam in Rybenice cum villa eadem donat. Dt. Brunae, pridie Idus Februarii, **1235.**

Constantia, Dei Gracia Boemorum Regina, omnibus Christi fidelibus, presens scriptum inspecturis, in vero salutari salutem. Noverit tam presens hominum etas, quam in Christo successura posteritas, quod nos hospitali claustri sancti Francisci in Praga Domine Agnetis, dilecte filie nostre illustris, pro remedio anime nostre omnem hereditatem, quam emimus a fratribus hospitalis Sancte Marie Domus Thevtonicorum contulimus videlicet: Villas Glupetin cum omnibus villulis ad eam pertinentibus scilicet Humenche, Nidoscitz, nec non et villam Borotiz cum omnibus villulis ad eam pertinentibus, scilicet Supenowizt, Drahtesicz, et Ecclesiam Sancti Petri cum curia et villam Ribiniz cum suis pertinenciis; et supradictas villas tradidimus hospitali predicto cum omnibus agris, silvis, Aquis, hereditatibus, hominibus et omnibus aliis rebus ad ipsas pertinentibus jure perpetuo possidendas, hoc salvo, quod Domina fructuum esse volumus usque ad terminum vite nostre, ut possimus de iis facere, quod nobis secundum Deum videbitur expedire. Ut autem hec donacio in perpetuum hospitali rata ac firma inconcussaque permaneat, nostri sigilli munimine fecimus roborari. Huius rei testes sunt: Stephanus Kersiz. Slaua judex

Brezizlauiensis. Nimirus de Posna. Jesuthbor. Witouiz. Bunsdizlauiz. Ninco marsalcus. Wiceto judex Pribizlauensis. Wseborius de Lesoniz. Ruth filius Radoste. Demetrius de Dolan. Milota filius Jarogneu. Pelei et Wlaken filii Volis. Qwalec filius Kwaliz. Sudomir de Serauih. Wislaus filius Woizlai. Petrus filius Kwalonis. Item capellani curie. Cois de Slauetin. Predwoi de Neporadiz. Lambertus plebanus de Lukou. Barth. plebanus in Cunowih. Bertholdus parochianus in Budwih. Absalon plebanus in Bizente. et alii quam plures. Datum Brunne. Anno Domini M. CC. XXXV. II. Idus Februarii.

Nos autem Ventizlaus rex IIII. Boemorum omnia predicta, que contulit mater nostra hospitali claustri sancti Francisci dilecte sororis nostre Agnetis sigillo nostre celsitudinis fecimus insigniri, confirmantes et roborantes donationem predictam.

Excus. in Sbaraleae Bullario Franciscano I. 159. et novissime cum fonte suo Regesto Gregorii IX. in Tabul. Vaticanis collatum a Palacky. — Item excusum apud Wadding et apud Bienenberg.

CCLXII.

Přemysl, marchio Moraviae, monasterio Zabrdowicensi amplissimas, quibus monasterium Welehradense gaudebat, libertates elargitur. Dt. Brunae, V. Kalendas Aprilis, 1235.

In nomine sancte trinitatis et indiuidue unitatis amen. Ego Premizl dei gracia marchio Moravie, monasterio beate Marie virginis in *Zaburdowiz* et abbati Cuonrado eiusque successoribus atque toti sacro conuentui Zaburdowicensis ecclesie in perpetuum. Cum principalem deceat honorificentiam, ex nobilitatis sibi innate beniuolentia deuote assistentibus sibi in famulatus fideli obsequio retributionis informare meritum; equum est et salutare magis ac decentius, quatinus ecclesiam dei, a quo nobis cuncta bona procedunt, et uniuersa beneficiorum sue gratie manant dona celestia, potestate nobis ab ipso concessa protegamus, et eius honori ita prouideamus et paci, quatinus nobis ab ecclesia continua in presidium fluant orationum munera, et pro beneficiis presentibus, sine quibus subsistere non

potest, que eidem impertiti fuerimus, perpetua tribuantur uite eterne gaudiorum premia. Nouerint itaque presentes et futuri sciant posteri, quoniam ad honorem Dei et beate virginis Marie in Zaburdowiz ecclesie hanc gratiam libertatis in perpetuum obtinendam contulimus, et specialis beneficii dono inuestiendam dignum duximus, non pecunie alicuius munere corrupti, vel nobilium nostrorum mediante rogatu, sed solius diuine pietatis gratia propulsati, accedente super hoc fratris nostri incliti regis Boemorum consensu et mera voluntate, Wencezlay nomine, uidelicet, ut in omnibus eam libertatem habeat Zaburdowicensis ecclesia, qua se gaudet donata Welehradensis ecclesia. Libertas autem, quam statuimus, et firmiter obseruandam decreuimus, hec est: Omnes villas et possessiones, quas modo possidet Zaburdovicensis ecclesia, uel prius possedit, uel est possessura, siue sint in Morawia, siue in Boemia, acquirendas vel adquisitas, ab omni onere tributorum, vectigalium, collectarum, quatuordecim denariorum ad principem spectantium, seu ad beneficiarios, et aliarum omnium exactionum, quocunque nomine censeantur, esse absolutas uolumus, et presentium exhibitione, liberas esse declaramus, adicientes, vt nullus successorum nostrorum principum terre per malorum uel bonorum iniqua seductus consilia ad iniuriam dei et ipsius ecclesie destructionem uoluntatem suam apponat, cum hoc statutum nostrum in retributionem sit omnibus apud dominum. Nullus ergo pro castrorum edificatione uel reedificatione seu oppidorum forensium vallatione siue muratione uel aliqua ingruente expeditione homines prefate Zaburdowicensis ecclesie audeat inquietare. Jus autem, quod dicitur de capite, eis concedimus, hoc de fure statuentes, ut si deprehensus fuerit in furto in possessionibus ecclesie occulto uel manifesto, et coram iudicio conuictus fuerit, bona furis eiusdem remaneant ecclesie integraliter; fur secundum quod placuerit principi uel beneficis, puniatur uel absoluatur. Illud etiam ius, quod pro eo soluitur, quod dicitur Zvod, eis indulgemus. Quodsi occurrat eis, iudicium subire candentis ferri manualis, vomerum uel aque seu duelli, et non fuerint adiuti, bona ipsorum ecclesia obtineat, ipsi autem, prout possunt, apud beneficiarios se expediant; ab eo autem, quod uocatur Schiztotne, liberos esse concedimus pro eo, quod per deum sunt adiuti, non per hominem. Ab accusatione illa, quod narok dicitur, et a pernoctationibus, quod vulgo nozceleh nominatur, ecclesiam iam dictam absoluimus,

et ne uillas eius camerarii intrent, pro quocunque negotio a castro uel per beneficiarios missi, inhibemus. Volumus autem, ut per nuncios tales significetur preposito uel fratri ecclesie, qui exteriorem curam domus agunt, quatinus per illos ad iudicia citentur ipsorum homines, et statuantur die prefixo per iudicem et loco determinato. Omnis autem uenditio, ex celebratione iudicii surgens, ad abbatem et fratres ecclesie reuoluatur. Si uero contra nostrum hoc statutum in preceps agentes camerarii vel quilibet tales nuncii villas ecclesie iniuriari uolentes intrauerint, quicquid eis inuenerint commodi vel incommodi, habeant pro mercede. Preterea ab omnibus generaliter grauaminibus nouis, ueteribus, consuetudinariis, siue nouiter adinueniendis ecclesiam prenominatam de Zaburdowiz liberam esse statuimus, eidem super cetera gratie nostre donum adicientes, vt per totam terram nostram forensia non soluant homines, et non theloneum ab eis uel pedagium exigatur, nisi mercator sit, quibus soluto theloneo iniuste non retardetur, quod libenter in periculum anime sue thelonarii, qui Obuznici vulgo dicuntur, sepius ausi sunt facere propter dominorum suorum auaritiam, sed utinam in manifestum nobis ueniant puniendi, et benefici, qui talia fieri admittunt, a beneficio irrecuperabiliter manerent suspensi. Ceterum quia specificare omnia non possumus, omnem vtilitatem in quatuordecim nostram siue in aliis ad nos spectantem uel successorum nostrorum uel beneficiarios nostros a nobis infeudatos eidem remittimus, ut plena et perfecta semper ecclesia gaudeat libertate, et ut nullus ei nouas conditiones contra statuta nostra audeat inponere, firmiter inhibemus. Insuper statuimus, ut, quicunque nobilium in supradicte ecclesie villis vel curiis pernoctando seu intrando extiterint iniuriosi, bannum nostrum in decem marcis auri componant, et ei dampna illata in dublum restituant, uel si adeo fuerint maliciosi et insani, ut non possint eos grangie vel ville abbatis tollerare uel forte ipsum claustrum, ex tunc liceat hominibus et fratribus domus sine nostra offensa violenter ipsos expellere. Huius autem libertatis a nobis concesse, et principali munificentia donate, prefato monasterio successores nostros, uidelicet heredes, quos Deo largiente habebimus, tutores constituimus ac defensores, hoc sanctientes, ut huius priuilegii violatores in cameram nostram successorumque nostrorum decem marcas auri componant. Rogauimus etiam fratrem nostrum inclitum regem Boe-

morum Wencezlaum, ut prefate libertati nostre fauorabilem ac benignum regie auctoritatis preberet assensum, quod et fecit, ac sigilli sui regalis munimine nostrum muniens, presens roborauit priuilegium. Insuper quia concors erat voluntas, et vnanimis benignitas fratris mei serenissimi regis et mea, sese inuicem comitantes; supplicandum dignum habuimus venerabili patri nostro Ruperto, Olomucensi episcopo, vt post hanc pecuniariam penam, que est inscripta, omnes violatores huius nostri priuilegii, per nos confirmati, excommunicationis vinculo innodaret, et pena grauiori percelleret, quod et factum; et in signum huius facti placuit, quatinus ad nostram petitionem circa duo nostra sigilla in testimonium maius euidens sigillum suum appenderet dominus episcopus, quod et fecit. Hoc etiam, quod superius obmissum est priuilegio interserere de venatoribus et caniductoribus, qui Holothi nuncupantur, statuimus, ne in abbatia vel villis abbatie pernoctent, sed de bona uoluntate abbatis uel fratrum, quidquid eis impensum fuerit in caritate, inde ipsos contentos esse decreuimus, alioquin si iniuriosos se reddiderint, sicut antea de huiusmodi predictum est, eiectione dignos esse censemus, nec eis quicquam gratie vel uictualium impendatur. Huius rei testes sunt: Vlricus dux Carintie. Arnoldus comes de Hukenswage. Wocco castellanus Olomucensis. Zemizlaus camerarius. Predbor iudex. Zlawata. Bohuzlaus filius Protiwe. abbas Gerlacus de Gradis. Onso. Bludo. Victor filii Bludonis. et alii quam plures in prouincia Brunnensi et Znoymensi. *(Bludo filius Onsonis. Lambertus. Swiebor. Wedebor. Mileta iudex de Oppau. Zwiesche. Beneda de Grex. Woyna frater eius. Puirrandus notarius Oppauiensis. Millisch. Idik frater ipsius. Mlschek Olomucensis. Theodoricus prepositus Olomucensis. Wilhelmus decanus. Radozlaus archidiaconus. Moyses archidiaconus. Esau archidiaconus. Nicolaus archidiaconus. Gerhardus canonicus. Bartholomeus. Allexius. canonici Olomucenses. Ratiborius castellanus Brunnensis. Artlebus. Jenzo. filii eius. Zwezlaus camerarius Brunnensis. Woco subcamerarius. Jacobus iudex. Albertus de Medlou. Stephanus. Imeramus frater ipsius. Rubinus uillicus in Brunna Pribislaus de Madlomeritz. Rim. Cirh. Schatolow frater ipsius. Pribizlaus. Pircoslaus filii Pircos. Bohuslaus de Ziedenicz. Hoztislaus de Sebetin. Lupoldus castellanus de Meidberg. Boscho marschalcus. Nikul frater ipsius Gerhardus pater eorum. Naggrad de Orehou. Welen. Leo filius eius.*

Predbor de Diuik. Pribislaus. Zwiezlaus. Oina filii eius. Leo de Bolehradicz. Birnenses. Wilhelmus purggrauius. Artliebus. Vierso camerarius. Hrut. Wirchoslaus camerarius domine marchionisse.) Acta sunt hec anno dominice incarnationis MCCXXXV. Indictione VIII. Datum per manus Hylarii notarii in Brunna V. Kalendas Aprilis.

Ex originali in archivo c. r. aulico Vindobonae et ex Annal. Zabrdow.

CCLXIII.

Gregorius papa IX. confirmat donationes Constantiae reginae hospitaliariis cum rubea stella Pragae factas. Dt. Perusii, XV. Kal. Junii, 1235.

Gregorius episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis rectori, et fratribus hospitalis sancti Francisci Pragensi, salutem et apostolicam benedictionem. Filius summi regis, qui habet in suis manibus corda regum, charissime in Christo filie nostre Constantie illustri regine Boemie inspirauit, et prudenter attendens, et humiliter recognoscens, quod etsi diues in omnibus dominus, non nisi pro nobis egeat bonis nostris; acceptum tamen est ei, ut creatura, non solum sua, sed etiam semetipsam impendat beneplacito creatoris, ut de perceptis beneficiis gratias exhibens potiora percipere mereatur; secus agentibus reputatis ingratis, quorum spes euanescit, ut spuma gracilis, que deiicitur a procella, illi voluit dare quedam, qui sibi contulit uniuersa; ut pro transitoriis reciperet sine fine mansura, et terrena pro celestibus felici commercio commutaret. Sicut enim eiusdem regine littere nobis exhibite continebant, ipsa pro anime sue remedio possessiones, et res alias, quas emit a magistro, et fratribus hospitalis sancte Marie Teutonicorum, hospitali vestro, quod dilecta in Christo filia Agnes virgo nata regine predicte ad honorem beati Francisci construxerat; quodque ad Romanam ecclesiam nullo pertinet mediante, liberalitate pia, et liberali contulit pietate; prout in eisdem litteris expressius, et plenius continetur. Quare fuit ex parte vestra nobis humiliter supplicatum, ut donationem huiusmodi apostolico dignaremur munimine roborare. Nos igitur vestris supplicationibus benignum impertientes assensum, donationem eamdem, sicut pie ac prouide facta est, auctoritate apostolica confirmamus, et

presentis scripti patrocinio communimus, tenorem litterarum ipsarum presentibus de verbo ad verbum inseri facientes, qui talis est: *Constantia dei gratia Boemorum regina . . . a. 1235. (Vide n. CCLXI.)* Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis dei, ac beatorem Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Perusii XV. Kalendas Junii; pontificatus nostri anno nono.

Excusum in Sbaraleae Bullario I. 159. et novissime cum fonte suo Reg. Gregorii IX. in Tabulariis Vaticanis collatum a F. Palacky. — Item excus. apud Wadding et Bienenberg.

CCLXIV.

Gregorius papa IX. episcopo Olomucensi mandat, ut litem rectoris sancti Michaëlis Znoymae cum fratribus s. Joannis in Kaunice decidat.
Dt. Perusii, XIII. Kalendas Junii, 1235.

Gregorius episcopus seruus seruorum dei. Venerabili fratri . . episcopo Olomucensi salutem et apostolicam benedictionem. Exhibita nobis rectoris *sancti Michaelis in Znoyma* petitio continebat, quod magister hospitalis sancti Johannis Hierosolymitani de *Cuniz* diocesis tue, super quodam censu, decimis et rebus aliis in *Prabelove* iniuriatur eidem. Ideoque discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus partibus conuocatis audias causam et appellatione remota debito fine termines, faciens, quod decideris per censuram ecclesiasticam firmiter obseruari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per eandem censuram appellatione cessante compellas veritati testimonium perhibere. Datum Perusii XIII. Kalendas Junii; pontificatus nostri anno nono.

Ex originali archivi Soc. Jesu Znoym. in registratura c. r. Gubernii.

CCLXV.

Gregorius papa IX. confirmat hospitali stelliferorum Pragae donationem Premysl, marchionis Moraviae, villae Rakšice. Dt. Perusii, XV. Kalendas Junii, 1235.

Gregorius episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis rectori et fratribus hospitalis sancti Francisci Pragensi salutem et apostolicam benedictionem. Filius summi regis, qui habet in suis manibus corda regum, dilecto filio nobili viro *Premizl marchioni Moravie,* nato clare memorie regis Boemie, inspirauit, et prudenter attendens, et humiliter recognoscens, quod etsi diues in omnibus Dominus non nisi pro nobis egeat bonis nostris, acceptum tamen est ei, ut creatura non solum sua, sed etiam semetipsam impendat beneplacito creatoris, ut de perceptis beneficiis gratias exhibens potiora percipere mereatur; secus agentibus reputatis ingratis, quorum spes evanescit velut spuma gracilis, que deiicitur a procella, illi voluit dare quedam, qui sibi contulit uniuersa, ut pro transitoriis reciperet sine fine mansura, et terrena pro celestibus felici commercio commutaret. Sicut enim ipsius marchionis exhibite nobis littere continebant, idem ad petitionem dilecte in Christo filie Agnetis virginis, sororis sue, de assensu charissimi in Christo filii nostri W. illustris regis Boemie, fratris sui, villam, que dicitur *Rakscice,* in suo marchionatu sitam, cum pratis, pascuis, siluis, agris, aquis, et omnibus pertinentiis suis hospitali sancti Francisci vestro, quod ad Romanam ecclesiam nullo mediante pertinet, liberalitate pia et libera contulit pietate, prout in predictis literis expressius et plenius continetur. Quare fuit ex parte vestra nobis humiliter supplicatum, ut donationem huiusmodi apostolico dignaremur munimine roborare. Nos igitur vestris supplicationibus benignum impertientes assensum donationem eamdem, sicut pie, ac prouide facta est, auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus; tenorem litterarum ipsarum presentibus de verbo ad verbum inseri facientes, qui talis est: *In nomine sancte trinitatis et indiuidue unitatis. Amen. Ego Premizl, dei gratia marchio Morauie ... a. 1234. (Vide n. CCLVII.)* Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis dei,

et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Perusii, V. Kalendas Junii; pontificatus nostri anno nono.

Ex eisdem fontibus, sicuti n. CCLXIII.

CCLXVI.

Přemysl, marchio Moraviae, monasterio Tišnowicensi villam Lomnice confert. Dt. apud Brunam, VIII. Idus Junii, 1235.

In nomine sancte trinitatis et individue unitatis. Amen. Ego Premizl dei gratia Marchio Morauie abbatisse et sororibus Cisterciensium ordinis in *Tusnovice* constitutis et earum successitricibus inperpetuum. Consueuit maiorum nostrorum prudens antiquitas litteris mandare ea, que uoluit memorie firmitatem obtinere, ne labili obliuione absorberentur, qvod uoluit stabiliter durare. Hinc est, quod uolumus constare tam presentibus, quam futuris, nos quandam villam *Lomnice* nomine cum omnibus appendiciis suis, pratis, siluis, aquis, piscationibus, venationibus et omnibus aliis, quocunque modo nominentur, claustro in tusnovice contulisse, omni excepta condicione et tali modo, ut illa villa omni gaudeat libertate, que in ipsius ecclesie priuilegiis continetur, ab illustris fratris nostri Wenceslay Regis Boemie benignitate et nostra liberalitate concessis et venerabilis patris nostri Ruberti Olomucensis episcopi auctoritate confirmatis. Illustris autem mater nostra, sicut domina pia et benigna, considerans in aliquibus rebus defectum nostrum, dedit nobis centum marcas argenti ne ipsa videretur nobis esse grauis et onerosa et ne possimus ei imputare, quod nostri marchionatus minueret inpendia; sed vtrique hoc accideret, qvod utriusque commodis accederet. In huius autem rei euidenciam et perpetuam firmitatem cum subscriptione testium sigilli nostri munimine iussimus insigniri, quorum subsecuntur Nomina in hac carta expressa. Nos uero Wencezlaus dei gratia quartus rex Boemie per presens scriptum tam presentibus, quam futuris ad noticiam cupimus peruenire, quod nos donationem fratris nostri Premizl illustris marchionis Morauie, eius peticione interueniente, villam Lomnice cum suis attinenciis, quam contulit claustro in *Tusnovice*, secundum quod superius expressum est perpetualiter possidendam, regia nostra

auctoritate confirmauimus. Ne autem in posterum super ipsa donatione et confirmatione aliquid contrarietatis possit oboriri, vel calumpniose quid fieri, ad euidentiam perpetue firmitatis sigilli nostri impressione hanc paginam fecimus roborari. Nos autem cum inclito fratre nostro marchione Morauie rogauimus venerabilem patrem nostrum Rubertum nomine Olomucensem episcopum, quatenus ea, que nostra liberalitate claustro in Tusnowiz liberaliter contulimus et confirmauimus, sua auctoritate confirmaret, et omnes uiolatores huius donationis excommunicaret, et eos, secundum quod iustum est, a sacramentis ecclesie arceret, nisi ad satisfactionem et debitam penitentiam redirent. Testes autem huius rei sunt hii: Vitco iunior. Uitco filius Heinrici. Zawisse subcamerarius. Gallus filius Marquardi. Zobezlaus filius Odolen. Zezema filius Milote. Daliborius ivuenis subcamerarius. Pribizlaus filius Zobehurd. Gothborjus filius Chotheborii. Sdezlaus de Hulmez. Zlawiborius. Radozlaus. Protiwa filius Protive. Reinardus. Lutherius. Gebehardus. fratres. Ex Moravis: Ratiborius de Doblin. Voco filius Boruth. Voiteh filius Stephani. Milisc cum Zlawiborio fratre suo. Voco subcamerarius. Lupoldus filius Wolframmi. Zemizlaus. Zuatozlaus. et alii quam plures Boemi et Moraui. Acta autem sunt hec anno dominice incarnationis Millesimo CCXXXV. Indictione VIII. Datum aput brunnam per manum notarii Wilhelmi VIII. Idus Junii.

Ex originali in archivo c. r. aulico Vindobonae cum tribus sigillis adpendentibus. — Excusum incorrectius apud Sommersberg I. 923.

CCLXVII.

Gregorius papa IX. monasterium in Tišnowice in protectionem suscipit, omnesque ejus libertates et possessiones confirmat. Dt. Perusii, VI. Kal. Septembris, 1235.

Gregorius episcopus seruus seruorum dei. Dilectis in Christo filiabus . . Abbatisse Monasterii de *porta celi.* eiusque sororibus tam presentibus quam futuris regularem uitam professis in perpetuum. Religiosam uitam eligentibus. apostolicum conuenit adesse presidium. ne forte cuiuslibet temeritatis incursus. aut eas a proposito reuocet. aut robur quod absit

sacre religionis infringat. Ea propter dilecte in Christo filie uestris iustis postulationibus clementer annuimus et Monasterium sancte Dei genitricis et uirginis MARIE de Porta celi Olomucensis diocesis. in quo diuino estis obsequio mancipate sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti priuilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo Monasticus qui secundum Deum et beati Benedicti regulam atque institutionem Cisterciensium fratrum a uobis post concilium generale susceptam in eodem monasterio institutus esse dinoscitur perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur. Preterea quascumque possessiones quecumque bona idem Monasterium impresentiarum iuste ac canonice possidet aut in futurum concessione pontificum. largitione Regum uel Principum. oblatione fidelium seu aliis iustis modis prestante domino poterit adipisci. firma uobis et eis que uobis successerint et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda uocabulis. *Locum ipsum in quo prefatum Monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis. Possessiones de Giglaua cum teloneo. Bomelici. Wicenow. Boriscew. de Pestew. medietatem cum omnibus ruribus et pertinentiis suis. Item possessiones et terras de Pobikozli kohhoue. Smirchowe. Vblazka. Legota. Birdini. cum omnibus iuribus et pertinentiis suis scilicet Branchaowess. Cihhowe. Jastrabe. Ozthechowichi. Vgrinowichi. Persseka. Dubkowa. Humalego. Wignanow. cum omnibus iuribus et pertinentiis suis. Weimizliz cum pertinentiis suis. Lukow. Scahiswe. Cappaniz. Chneniz. Thuschenow. terras et possessiones. cum omnibus iuribus et pertinentiis suis. Lomniz et Selezna cum omnibus pertinentiis suis.* Cum pratis. uineis. terris. nemoribus. usuagiis et pascuis. in bosco et plano. in aquis et molendinis. in uiis et semitis. cum omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis. Sane noualium uestrorum que propriis manibus aut sumptibus colitis de quibus aliquis hactenus non percepit. siue de ortis. uirgultis et piscationibus uestris uel de nutrimentis animalium uestrorum. nullus a uobis decimas exigere uel extorquere presumat. Liceat quoque uobis personas liberas et absolutas e seculo fugientes ad conuersionem recipere ac eas absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli sororum uestrarum post factam in Monasterio uestro professionem fas sit sine abbatisse sue licentia. de eodem loco discedere. Discedentem uero absque comunium litterarum uestrarum cautione

nullus audeat retinere. Illud districtius inhibentes ne terras seu quodlibet beneficium ecclesie uestre collatum. liceat alicui personaliter dari siue alio modo alienari absque consensu totius capituli uel maioris aut sanioris partis ipsius. Sique uero donationes aut alienationes aliter quam dictum est facte fuerint. eas irritas esse censemus. Insuper auctoritate apostolica inhibemus ne ullus Episcopus uel quelibet alia persona. ad sinodos uel conuentus forenses uos ire uel iudicio seculari de uestra propria substantia uel possessionibus uestris subiacere compellat. Nec ad domos uestras causa ordines celebrandi. causas tractandi uel aliquos conuentus publicos conuocandi uenire presumat nec regularem electionem Abbatisse uestre impediat aut de instituenda uel remouenda ea que pro tempore fuerit. contra statuta Cisterciensis ordinis se aliquatenus intromittat. Pro consecrationibus uero altarium uel ecclesiarum siue pro oleo sancto uel quolibet ecclesiastico sacramento. nullus a uobis sub obtentu consuetudinis uel alio modo quicquam audeat extorquere. sed omnia gratis uobis Episcopus diocesanus impendat. Alioquin liceat uobis quemcunque malueritis catholicum adire antistitem gratiam et communionem apostolice sedis habentem qui nostra fretus auctoritate uobis quod postulatur impendat. Quod si sedes diocesani Episcopi forte uacauerit. interim omnia ecclesiastica sacramenta a uicinis Episcopis accipere libere et absque contradictione possitis. Sic tamen ut ex hoc in posterum proprio Episcopo nullum preiudicium generetur. Quia uero proprii Episcopi copiam non habetis si quem Episcopum Romane sedis ut diximus gratiam et communionem habentem et de quo plenam notitiam habeatis per uos transire contigerit. ab eo benedictiones uasorum et uestium ac monialium consecrationes altarium. auctoritate apostolice sedis recipere ualeatis. Porro si Episcopi uel alii ecclesiarum Rectores in Monasterium uestrum uel personas inibi constitutas suspensionis. excommunicationis uel interdicti sententias promulgauerint. siue etiam in Mercenarios uestros pro eo quod decimas sicut dictum est non persoluitis siue aliqua occasione eorum (que) ab apostolica benignitate uobis indulta sunt. seu benefactores uestros pro eo quod aliqua uobis beneficia uel obsequia ex caritate prestiterint uel ad laborandum adiuuerint in illis diebus in quibus uos laboratis et alii feriantur eandem sententiam protulerint. ipsam tamquam contra sedis apostolice indulta prolatam. decernimus irritandam. Nec littere ille firmi-

tatem habeant quas tacito nomine Cisterciensis ordinis et contra indulta apostolicorum priuilegiorum constiterit impetrari. Preterea cum commune terre interdictum fuerit. liceat uobis nichilominus in uestro Monasterio. exclusis excommunicatis et interdictis. diuina officia celebrare. Paci quoque et tranquillitati uestre paterna in posterum sollicitudine prouidere uolentes auctoritate apostolica prohibemus. ut infra clausuras locorum seu grangiarum uestrarum. nullus rapinam seu furtum facere. ignem apponere. sanguinem fundere. hominem temere capere uel interficere seu violentiam audeat exercere. Preterea omnes libertates et immunitates a predecessoribus nostris Romanis Pontificibus ordini uestro concessas. nec non libertates et exemptiones secularium exactionum a Regibus et Principibus uel aliis fidelibus rationabiliter uobis indultas. auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti priuilegio communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prefatum Monasterium temere perturbare. aut eius possessiones auferre uel ablatas retinere. minuere seu quibuslibet uexationibus fatigare. sed omnia integra conseruentur earum pro quarum gubernatione ac substentatione concessa sunt. usibus omnimodis profutura. salua sedis apostolice auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisue persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere uenire temptauerit. secundo tertioue commonita nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit. potestatis honorisque sui careat dignitate reamque se diuino iudicio existere. de perpetrata iniquitate cognoscat. et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districte subiaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus. sit pax domini nostri Jesu Christi quatinus et hic fructum bone actionis percipiant. et apud districtum iudicem premia eterne pacis inueniant. Amen. atque Amen. Ego Gregorius catholice ecclesie episcopus. Ego Thomas tituli sancte Sabine presbyter Cardinalis. Ego Johannes Sabinen. episcopus. Ego Egidius sanctorum Cosme et Damiani diaconus Cardinalis. Ego Guifredus tituli sancti Marci presbyter Cardinalis. Ego Jacobus Tusculanus episcopus. Ego Petrus sancti Georgii ad uelum aureum diaconus Cardinalis. Ego Sinibaldus tituli sancti Laurentii in Lucina presbyter Cardinalis. Ego Rainaldus Ostiensis et Velletrensis episcopus. Datum Perusii per manum magistri Guillelmi sancte

Romane ecclesie Vicecancellarii. VI. Kalendas Septembris indictione VII. incarnationis dominice anno M. CC. XXXV. Pontificatus uero domini Gregorii pape VIIII. anno nono.

Ex originali in archivo ejusdem monasterii.

CCLXVIII.

Přemysl, marchio Moraviae, ad petitionem Margarethae conjugis eximit octo curias adjacentes et pertinentes ad monasterium s. Petri Olomucii ab omni exactione. Dt. Olomucii, 1235.

†. In nomine sancte trinitatis et indiuidue unitatis. Ego Premizl Dei gracia marchio morauie. Uniuersis presentem paginam inspecturis. salutem in eo qui est salus omnium. Ne gestarum rerum memoria. processu temporis euanescat. et pereat. prouidentia discretorum solet eam per litteras eternare. sciant ergo presentes et innotescat posteris. quod ego P. considerans deuocionem et bonam conuersacionem sanctimonialium in claustro *beati Petri in olomuch.* octo curias sub predicto claustro quas possederunt. de consensu meorum ad peticionem *nostre coniugis. M. dei gracia marchionisse morauie.* pro remedio animarum nostrarum predecessorum. et pro nostra salute ab omni iure et exactione que prius ad castrum persoluebant absoluimus. Ita tamen quod predicto claustro omne ius persoluant. Vt autem nostra confirmacio firmior sit. presentem paginam prefatis dominabus contulimus. nostri sigilli munimine roboratam. Huic confirmacioni cum fieret affuerunt laudabiles uiri. Wocco purcrabius olomucensis. Zlawata. Zemizlaus camerarius. Preboeius iudex. Onso. Werhozlaus et omnes canonici olomucensis ecclesie. datum per manus Hilarii notarii nostri et Helye protonotarii marchionisse in Olomuc.

Ex originali in archivo capituli Olomucensis. — Sigilla valde attrita, in quorum primo muliebris figura cernitur cum circumscriptione: .... DEI GRACIA MARCHIONISSE ...

CCLXIX.

Robertus, episcopus Olomucensis, appropriat monasterio Oslowanensi decimas ex omnibus suis possessionibus. Dt. Cremsirii, 1235.

In nomine sancte trinitatis et indiuidue unitatis. Ego Rubertus dei gracia Olomucensis episcopus dilectis in Christo filiabus abbatisse et toti sanctimonialium conuentui vallis sancte Marie in *Ozla* Cisterciensis ordinis Olomucensis diocesis in perpetuum. inter opera karitatis precipue constat affectuosius religiosis personis misericorditer subuenire. ut deo militantibus victus et vestitus prouideatur. et locus inter iustorum agmina preparetur eternus. Cum igitur ex officii nostri debito benefacere singulis teneamur illis specialius debemus ac volumus prouidere. qui religionis approbate vitam et habitum sunt professi et pro statu tocius ecclesie die noctuque domino deo supplicando deuocius famulantur. Quo circa nos conuentum et domum in Ozla tanquam filiam specialem sincere dileccionis ulnis amplexantes et defectum ac necessitatem ipsius domus diligentius attendentes. et karitative supplere cupientes propter divine pietatis remuneracionem. et ipsarum sanctimonialium oracionum instanciam. nec non et peticionem ac specialem dileccionem nobilis matrone nomine Heilwigis. que fundatrix eiusdem domus dinoscitur. decimas integrales omnium villarum et ecclesiarum in agris. vineis. animalibus sive quibuslibet usuum fructibus quocunque censeantur vocabulo. quas ipsum monasterium ad presens possidet. et in posterum per largicionem principum seu baronum. vel per emptionis modum aut commutacionis sive sub cuiuslibet occasionis pretextu testamentis quoque decedencium in quibuslibet provinciis nostre diocesis perpetualiter possessurum erit. ad usus et sustentacionem ampliorem inibi deo serviencium libere et absolute sepe dicte domui in perpetuum misericorditer ac liberaliter duximus concedendas. hoc tamen omnimodo providentes, ut omnibus capellanis quibus ecclesias suas conferre voluerint. prebenda sufficiens deputetur. et hoc ideo fecimus. quia quanto est fragilior et tenerior sexus muliebris divinis mancipatus officiis. tanto amplioribus debet vallari beneficiis et tueri presidiis. Ut igitur hec nostra donacio firma sit et stabilis. nec per aliquem successorum nostrorum valeat in posterum aliquatenus revocari. nos ipsam donacionem et donacionis memoriam presenti

pagina et sigilli nostri munimine roboramus. Huius rei testes sunt: Dominus Hartmannus abbas Wellegradensis. Walcuno. Alexander monachi Wellegradenses. Dominus Esau custos. Magister Gregorius. canonici Olomucenses. Chunradus notarius Brunensis. frater Ulricus de Ozla. Johannes plebanus de Zlapanicz. et alii quam plures. Datum in Crimsir anno ab incarnacione domini millesimo ducentesimo XXX. quinto.

E Monastico Ms. in archivo Rayhradensi.

CCLXX.

Wenceslaus, rex Boemiae, possessiones domus in Erdberg fratrum sancti Joannis Hierosolymitani, necnon eam ipsam domui in Meilberg (Maurenberg) obtinendam confirmat. Dt. apud Znoym, XII. Kalendas Januarii, 1235.

Nos Wenceslaus Dei gratia qvartus rex Boemie domui sancti Joannis in Movremberch, et omnibus ibidem degentibus in perpetuum. Regalis prudentie commodo confert et honori antiqvorum facta favorabilia approbare, ac regio patrocinio confirmare. Ad resecandum igitur totius hesitationis scrupulum ad notitiam tam presentium qvam futurorum perducimus, qvod nos fratribus in Movremberch sancti Joannis libertatem contractam a patruo nostro Wladislao clare memorie marchione Moravie in omnibus bonis per terram Moravie professis spectantibus ad domum *Erpurg*, et ipsam cum suis attinentiis, pertinente ad domum in Movremberck perpetualiter obtinendam confirmamus. Ne autem hoc statutum in irritum convertatur, processu temporis, nec calumnia super ipsa libertate imposterum qveat suboriri, presens scriptum sigilli nostri charactere iussimus insigniri. Acta autem sunt hec anno dominice incarnationis MCCXXXV. Indictione VIII. Datum per manum notarii Wilhelmi apud Znoym. XII. Kalendas Januarii.

E copia simplici. — Originale in arch. Melitensium Pragae asservatur.

CCLXXI.

Wenceslaus, rex Boemiae, monasterio Welehradensi pro damno illato in bello cum fratre suo Premysl, marchione Moraviae, a baronibus suis et ad quingentas marcas aestimato villam Wolkowice in provincia Znoymensi delegat. Dt. XV. Kalendas Februarii, 1236.

Wenceslaus dei gratia quartus rex Boemorum. *(Praecedentia desunt usque)* . . . marcescat. Habito autem baronum nostrorum prouido discretoque consilio ob prosperitatem tocius terre et pacem simulque salutem in abolicione peccatorum animarum quietam mansionem horum, qui nos cum signo fidei precesserunt et vsque in diem tremendi iudicii carnis onere abiecto subsecuntur, delegauimus super altare beate virginis Marie in loco prenotato *Welegrad* fratribus ibidem degentibus et ipsorum successoribus inperpetuoque successuris ad seruiendum deo viuenti villam, que dicitur *Wolkwicz* in diocesi Olomucensi, prouincia Znoemensi sitam iuxta predicti cenobii villam, que dicitur *Vriskau,* que ville vno tantum limite, scilicet sulco aratri diuiduntur, regia potestate, manu potestatiua Cisterciensis ordinis libertate nullo contradicente, apostolica benediccione protegente, cum omnibus appendiciis, suis curiis, domibus, pratis, agris cultis, incultis, fructetis, noualibus, aquis, pascuis, uiis, inuiis, limitibus in emolumentum sustentacionemque vite presentis in perpetuo regia tuicione munitam et sine omni infestacione spiritualis secularisue persone possessuram. Fecimus autem hanc largam donacionem ad predicti cenobii patris venerabilis Hartmanni abbatis peticionem, quia desiderium, quod ad religionis propositum et salutem pertinere animarum monstratur, auctore deo sine aliqua est dilacione complendum, qui vna cum fratribus sibi commissis ibidem deo famulantibus *dampnum ecclesie sue, quod a baronibus et comilitonibus nostris in quodam bello ad quingentas libras illatum estimauerunt.* Sed cum dicat scriptura: qualia seminauerit homo, hec et metet, ne talionem inpuniti mali meteremus, et ut dictum est, pro refrigerio animarum fundatorum precedencium, quam et post sequencium et salute viuencium, villam prescriptam inuiolabiliter retinendam, nec ullo modo retractandam, quia sane terrenum seminatur, cum celestium messio exspectatur, in Welegrad tradidimus dei genitrici ea iuris dicione, sicut regiam condecet dignitatem, ea tranquillitate

simul et libertate, quam in nostra fuit potestate; hanc igitur delegacionem regiam liberamque donacionem omnium priuilegiorum Cisterciensium iure regia potestate sanccimus et sanccitam confirmamus, decretorum nostrorum iura edicentes, ut nullus successorum nostrorum seu baronum siue militum vel iudicum seu eciam omnium hominum nostri regni subditorum, spiritualium seculariumue personarum inposterum antiqui hostis suggestione predictos fratres in Welegrad super villa Wolkwicz dicta, seu et limitibus suis audeat indebite infestare. Statuimus eciam et districte inhibemus sine preiudicio monasterii pretaxati, ut si qua ecclesiastica secularisue persona quod absit contumaciter donaria nostra infringere presumpserit, XXX libras auri purioris camere nostre persoluet et in successorum nostrorum fisco nichilominus omni occasione semota de eisdem tenebitur obligata, sciens se in hoc regiam offendisse maiestatem, super qua cum rebus, quam honore et corpore omnisque ipsius successiua priuabitur posteritas, nec aliquo medio regie reconciliabitur dignitati, nisi prius pro iniuria illata et edicto nostro inuiolabiliter obseruando et beate Marie, que naufragantibus de huius mundi salo luctuoso enatantibus portum salutis parat, fratribusque in Welegrad ei eiusque filio primogenito omnipotentis vnigenito famulantibus secundum omnium satisfaciat voluntatem; preterea superni regis archana cordium rimantis graciam se demeruisse et apostolicam excommunicacionem, anathema sacerdotum, bannum episcoporum ecclesieque eliminacionem et tocius ordinis Cisterciensis lacrimas in conspectu iusti iudicis super iniuriis indebite exactis contra se fusas recognoscat. Predicimus eciam omnis iniurie exaccionem, statuentes, ut nullus inibi subditorum nostrorum familiarium seu baronum hac illacque vagancium sine permissione patris spiritualis, ab ipsoque in officiatis a predicte ville ruricolis audeat expostulare vel quidquam potestatiue exaggerare, quia potentis peticio non minus raptore iniquo equipparatur. Vt autem hec omnia inconuulsa et incontaminata et inconcussa iugiter perseuerent, sicut regum decet edicta, presentem paginam memorie omnium retinendam in honore regis eterni eiusque pie genitricis Marie ad sepedictorum fratrum profectum, sigilli nostri inpressione et appensione testibus subscriptis priuilegiorum decretis corroboramus. Huius rei testes sunt: Dominus Wipertus prepositus de sancto Ypolito. Otto capellanus et canonicus Bolezlawiensis. Thimo capellanus et

canonicus Wissegradensis. Johannes capellanus et canonicus Lutomiricensis. Comes Lutoldus de Hardek. Comes Arnoldus de Huswalde. Barones Boemorum: Zdezlaus summus camerarius. Bohuslaus filius Zlavconis. Witigo senior et Witigo iunior fratres. Witigo cum fratre suo Zezema filii Henrici de Nowa domo. Zwoyssa filius Bohuzlai. Zdezlaus de Hilmez. Zlauibor. Radozlaus. Pulecz. Barones Morauie de Znoem: Hruto burgrauius. Wirsso camerarius. Militsk. Idic fratres. Wolik. Wilhelmus de Lupoldus fratres. Zerrcho et Zdaztolo fratres de Budisin. Bernardus. Lutherus. Hertwicus fratres. Acta sunt hec in Welegradensi monasterio publice coram baronibus Boemie et Morauie, venerabili abbate Hartmanno eiusdem cenobii patre omni precum instancia deposcente et alii quam plures tam clerici, quam laici. Datum per manus dilecti notarii nostri et capellani Wilhelmi, anno incarnacionis domini MCCXXXVI. XV. Kalendas Februarii. Epacta XI. Indiccione X. Anno Regni nostri IX. Regnante domino nostro Jesu Christo. Amen.

E codice Welehradensi Ms. fol. 14.

CCLXXII.

Friderici II. imperatoris confoederatio cum rege Boemiae, duce Bavariae, marchione Brandenburgensi et episcopis Bambergensi et Pataviensi adversus Fridericum, ducem Austriae. Dt. Augustae, 17. Junii, 1236.

Fridericus dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerosolime et Sicilie rex. Per presens scriptum notum facimus uniuersis quod nos dilectis principibus nostris subscriptis, uidelicet illustri *W. Regi Bohemie dilecto affini nostro,* E. Babenbergensi, R. patauiensi episcopis, O. duci Bauarie, Comiti palatino Reni et O. Marchioni Brandenburgensi firmiter promisimus, quod cum Friderico duce Austrie et Styrie contra nos honorem et dignitatem nostram et imperii grauia nimis et illicita moliente, nullas treogas pacem uel concordiam faciemus contra ipsorum uoluntatem et consensum et quod eis contra ipsum et omnes suos fautores, efficaciter assistemus, et siquid grauaminis dictis nostris principibus a quacunque persona uel quocunque casu accideret pro hoc facto nos eos iuuabimus, sicut nostram

concedit maiestatem. Ad cuius rei memoriam presens scriptum fieri et sigillo maiestatis nostre iussimus communiri. Datum apud Augustam XVII. Junii. VIIII. Indictione.

Wiener Jahrbücher XL. 137.

CCLXXIII.

Wenceslaus, rex Boemorum, confirmat monasterio Oslowanensi donatum a fratre suo Přemysl, marchione Moraviae, jus patronatus ecclesiarum in Nova ecclesia et in Mohelno. Datum apud Camik, pridie Kalendas Junii, 1236.

In nomine Sancte et indiuidue trinitatis amen. Nos Wencezlaus dei gracia Quartus Bohemorum Rex vniuersis tam presentibus quam futuris hos apices inspecturis in salutis auctore salutem. Actiones que ratione pietatis congrue ac iuste fiunt ex deuotione pro Christo ut stabiles ac firme permaneant necessarium et decens est ut scripti memoria ad repressionem totius calumpnie confirmentur. Hinc est quod significandum duximus vniuersis quod nos largam donationem Premizel fratris nostri illustris Marchionis Morauie super Jure patronatus ecclesiarum uidelicet noue ecclesie site in terminis oppavie. et de Mohiln ecclesie circa ipsum claustrum Oslawa site dicto cenobio in Oslawa et deo ibidem famulantibus jure perhenni confirmamus. ut exinde earum inopie aliquantulum prouideatur. Ad cuius rei evidenciam et perpetuam stabilitatem ne inposterum super predicta donatione et confirmatione a malignis malignorum hominum suggestionibus aliqua possit calumpnia suboriri presens scriptum sigilli nostri caractere iussimus insigniri. Acta sunt hec anno dominice incarnationis. Millesimo. Ducentesimo. Tricesimo Sexto. Datum apud Camik per manum Notarii Wilhelmi pridie Kalendas Julii.

Ex originali ejusdem monasterii.

CCLXXIV.

Premysl, marchio Moraviae, monasterio Oslowanensi villam quamdam ab Hermanno de Rudikow emtam confirmat. Acta in Bruna, **1236.**

In nomine patris et filii et spiritus sancti amen. Nos Premizl Dei Gracia Marchio Morauie. Omnibus hanc litteram inspecturis inperpetuum. Cum genus humanum ab ortu natiuitatis sue vsque ad mortis occasum more fluentis aque ad conpetentem terminum ex carnis liquore cottidianis defectibus defluat et declinet. serenitati nostre visum fuit et ivris ordo id requirit indempnitatibus ecclesiarum religiosarum et personarum ibidem deo seruiencium per nostram magnificenciam provideri in quibus pro peccatorum nostrorum venia et aliorum fidelium diuine laudis organa modulantibus uocibus attolluntur. Inde est quod notum esse volumus presencium inspectoribus et auditoribus vniuersis quod Hermannus vir nobilis de Rvdwicowe protestatus est. se villam quandam . . . nomine pro XL marcis argenti Abbatisse et Conuentui. de Ozla cisterciensis ordinis vendidisse recedens ab omni ivre qvod in eisdem bonis habere videbatur. recognouit nichilominus coram nobis de Jvre patronatus Ecclesie ville de Rvdicowe quod pie memorie mater sua aput easdem dominas supulta dudum ante ipsius defunctionem prefatis Abbatisse et Conuentui contulerat propter deum de ipsius consensu et libera voluntate processisse. renuncians Jvri patronatus Ecclesie memorate. Verum ne pretextu malicie cuiusquam de facto queat per successores ipsorum litigiosa calumpnia suboriri titulum emptionis protestacionis recognicionis litteris nostris inscribi fecimus et sigilli nostri munimine recipere firmamentum. Acta sunt hec in Brvnna Anno domini M. CC. XXXVI. coram testibus subnotatis. Arnoldo trebecensi et Hartmanno Welegradensi Abbatibus. Theodorico preceptore domus tevtonice et fratres sui. Conradus notarius brvnnensis. Woccone camerario. Janzone. Hartliebo castellano znoimensi. Stiborio burgrauio de Aychorns. Cirhone. Bvdizlao de Meseriz. Lvpo de Nasmariz. Stephano de Medelowe. Hilarius notarius noster. et alii quam plures nobiles et curiales curie nostre.

Ex originali ejusdem monasterii.

CCLXXV.

Přemysl, marchio Moraviae, Ctiborio, burggravio de Eichhorn, proventus villae Lažan cum usu ferrifodinarum donat. Dt. in Tišnowice, 1236.

In nomine domini. Amen. Ego Premizl dei gracia marchio Morauie omnibus tam presentibus quam futuris in perpetuum. Quoniam cogente morte regna mutantur et posteritates, iura etiam et sollicitudines in diuersas transformantur personas, ne de antecessorum facto apud posteros dubitetur, necesse est, ut ipsis posteris fidem faciant scriptorum fidelium auctoritates. Quocirca scripto presenti omnibus innotescere cupimus, quod inspectis indefessis et fidelibus seruiciis dilecti nostri nobilis Stiborii purchrauii nostri de Aychorns, quibus se nobis incessanter fidelem gratumque exhibuit, de innato benignitatis nostre et gratitudinis stimulo, ipsi eiusque successoribus, videlicet purchrauiis nostris de ibidem, omnes prouentus et vtilitates ville *Lazane,* que ad castrum nostrum Aychorns spectare dinoscitur, cum integro et pleno usu et questu ferrifodinarum ibidem contulimus inperpetuum in vsus suos secundum suum velle et posse conuertendos. Et ut hec nostre gratitudinis largitio rata et inconcussa perseueret, presentes conscribi et sigilli nostri karactere communiri fecimus. Actum et datum in Thusnowic anno gracie MCCXXXVI. presente et annuente matre nostra dilectissima domina Constancia, illustri quondam regina Boemie. Testes sunt hii: Ratiborius de Deblin. Janecz filius eius. Pribizlaus de Malomeriz. Stephanus cum fratre Voyteh. Hartlibus de Luchca. Vsebor de Rayec. Lupoldus filius Wilhalmi. Tazzo filius Bznethe. Jvrik. Lubos. Petrus. et alii quam plures.

Ex originali in cancellaria dominii Tischnowicensis.

CCLXXVI.

Conradus, abbas Neuburgensis, vineas in Widnik monasterio Welehradensi vendit. 1236.

Notum sit omnibus tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod nos, videlicet ego chunradus prepositus et totus conuentus ecclesie Niumburgensis unanimi consensu vendidimus duas vineas

sitas in widnik an dem ekke pro XL libris denariorum domino abbati et fratribus in *welherat* tali conuentione, quod perceptis fructibus dictarum vinearum persoluant nobis iura montis, videlicet in decimis et in eo iure, quod dicitur perchrecht; cum quo simul persoluendi sunt quatuor denarii, qui dicuntur voitreht, quos ideo simul dari concessimus, licet ab aliis hominibus de vineis suis in montibus nostris habitis ter in anno persoluantur nobis, ne magister montium nostrorum in placitis suis, suo tempore habitis dictos fratres vel procuratorem eorum possit propter absentiam solicitari.

Fischer — Schicksale von Kloster-Neuburg; Urkundenbuch p. 193.

CCLXXVII.

Wenceslaus, rex Boemiae, beneficiariis Olomucensibus mandat, ut desistant a molestatione et spoliatione ecclesiae Olomucensis. 1236.

Wenceslaus dei gratia Boemie Rex dilectis et fidelibus suis S. burggrauio. M. camerario. V. iudici. Z. procuratori et omnibus beneficiariis in Olomuc sue gracie plenitudinem. Cum *Olomucensis* ecclesia nostrorum predecessorum priuilegiis et nostris super libertatibus suis fortiter sit munita, egre ferimus et eciam indignamur, quod vos parum defertis eidem ipsius homines spoliantes. Nam cum dominus Gregorius noster capellanus circa nos interim, cum fuimus in Moravia, nobis deseruiens manserit, ipsum in uilla ecclesie *Vdrilice* pro expedicione presumptuose spoliastis, in quo apparet violentia manifesta et contra omnem nostrum mandatum, quod eo tempore in Snoyma audieratis a nobis. Quapropter in ea fide, qua nobis tenemini et sub optentu nostre gracie uobis precipimus et mandamus, quod a tali desistatis presumptione ablata quantocicius restituentes et ecclesiam suis libertatibus gaudere sinatis, in venditionibus, citacionibus et aliis quibuscunque; alioquin offendemur. Cetera Bartholomeus noster capellanus per quem uobis mandamus, que uolumus, ut homines canonicorum Olomucensis ecclesie coram nobis pocius quam coram uobis iudicentur, si desunt domini, milites exequantur.

E codice chartaceo I. Olomucensi fol 73.

CCLXXVIII.

Přemysl, marchio Moraviae, hospitali domus sancti Joannis possessionem quandam in Koběřice confirmat. Acta in Olomuc. **1236.**

In nomine sancte trinitatis et indiuidue unitatis. Ego Premizl dei gracia marchio Morauie accommodans aures iustis peticionibus magistri Vgonis fratris hospitalis domus s. Johannis baptiste transmare. et particeps esse cupiens orationum et fraternitatis dominorum in ipsa Deo militancium quandam terram in villa *Koberici* dicta. que quondam gradicensis fuerat. et ex antiquis temporibus ab antecessoribus principibus Morauie prenominate collata domui. ne a castrensibus deinceps inpetatur. uel aliqui forte maligno inducti spiritu attemptent eam deseruire tamquam non datam seu privilegiatam domui iam prefate. presenti scripto in perpetuum possidendam confirmamus. et ne inquietari debeant in posterum. sigilli nostri appensione roboramus. et testium subscriptione in presentia quorum acta sunt hec communimus. Huius rei testes sunt. Semizlaus Olomucensis camerarius. Gerardus Olomucensis burgrauius. Voko filius Boruth burgrauius de Gradech. Victor burgrauius de Prerow. Bicen iudex Olomucensis. Prebor filius Bun. cum filiis Bun et Jurik. Onso cum filiis Bludek et Spytata. Bochek subcamerarius. Ratibor cum filio suo Arthlebo dapifero. Marquardus marscalcus. Dyrzisslaus. Pribizl. Zlawata cum fratre Wseborio. Acta sunt hec in Olomuc anno dominice incarnationis Millesimo CCXXXVI. Datum per manum Marquardi capellani.

Ex originali in archivo Melitensium Pragae.

CCLXXIX.

Přemysl, marchio Moraviae, monasterio Welehradensi villam Wolkowice, a fratre suo Wenceslao, rege Boemiae, in recompensationem damnorum bello illatorum donatam, confirmat. Datum in Olomuc, Kalendis Januarii, **1237.**

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Ego Premuizil dei gracia Marchio Morauie. omnibus in spiritu sancto renatis imperpetuum. Frige-

scente karitatis officio. uespera mundi ingruente. multorum quondam gesta fortium facillant. torpore inercie thabefacta. solem iusticie qui estuabat super caput Jone scienter nescientes. nescienter scientes. hederam desiderantes. que a uerme quem preparauit dominus ascensione diluculi in crastinum percussa exaruit. quia preterit figura huius mundi. et uteros amantium se vacuos relinquid. nichil secum preter peccata ferentes. unde sanum fore duximus. splendorem inaccessabilem qui oculta cordium omni compage fissurarum semota scrutatur. archanaque declarat conscientiarum super omni dono. intra archam mentis. regis scilicet eterni. qui illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. affectuose affectare. ne tetrum chaos ignorantie. humanis obtutibus per impenitudinem illabatur. Quoniam ut ait propheta. memoria iusti non derelinquetur a generatione in generationem. et ut huius memorie digne participemur. ad noticiam omni etati. tam masculini quam feminini sexus. presentis priuilegii nostri scripta enodamus. ne per temporum antiquitatis euolutionem. a fluido intellectu hominum euanescat. qualiter dominus noster et frater uterinus. illustris Wenzezlaus boemorum rex quartus. regali morum uirtute strenuus. consilio prouidus. prospiciens inposterum. successiua (sic) salute animarum consulens. ad nostri precum omnimodam instantiam. consultu baronum suorum Boemorum. simul et nostrorum Morauorum. villam quandam que dicitur *Wolkwiz*. in prouincia Znoemensi sitam. cenobio *Welegradensi* dotaliter libere et potestatiue tradidit. sine ulla refragatione possessuram. Cum regalis nostre propaginis generosa propago. inuisibilia dei per ea que facta sunt intellecta conspiceret oculis hominis interioris. qui non nisi spiritu sancto irradiante merentur illuminari. toto annisu illuc anhelantes. fraterno karitatiuoque. ingerente et mediante consilio. aurore preuenientem solis claritatem. intra conscientie sue secretarium. habitacula preparare pretaxabant. Complacuit autem, utrobique scilicet patri nostro Otakaro regi Boemorum gloriosissimo et patruo nostro Watizlao Marchioni Morauie nobilissimo. beate et incontaminate semper dei genitrici uirgini Marie. corbam. quod est domum oratorii. in Welegrad fundare. fundamentaque illic iacientes. uiros ordinis Cysterciensis camino tribulationis approbatos collocare. qui licet corpore habitare uideantur in terris. eorum tamen conuersatio secundum regulam beati Benedicti semper manet per contemplationem patrie superne

in excelsis. Licet dominus noster et frater. tum et nos. unius genitoris genitricisque propagine propagati scilicet Wenzezlaus boemorum rex inuictus. regiam in regno sit sortitus dignitatem. nos tamen nichilominus in patrui nostri successimus hereditatem. qui potiori saniorique preuentus consilio. una cum auxilio. in fundatione claustri predicti tenuit patrocinatum. unde nos in ipsius principatu principantes. Marchiam Morauie gubernantes. sollertiori cura. defensionis clippeo. omni circumspectione adhibita. ab hostium incursione locum antefatum tenemur protegendo obumbrare. Sed cum nichil operi dei sit preponendum. et non nisi per opera misericordie. misericordia miserentis acquiritur. que in dilectione proximi plurimum constat. per quam dilectio dei obtinetur. dicente beato Gregorio. Nemo ad seipsum karitatem habere poterit. sed dilectio tendit in alterum ut possit esse karitas. cernentes egestatis inopiam predictorum fratrum simul et *dampnum a rege boemorum domino et fratre nostro Wenzezlao per exercitum suum. indebite in quodam prelio. et contubernales suos. ad quingentas libras. per sanam taxantes estimationem ipsis illatum.* villam prenotatam Wolkwiz. in dampni restaurationem. fratrum consolationem peccatorum obolitionem. viuorum salute. animarum perpetua quiete. genitorum nostrorum regum. loci predicti fundatorum omniumque subsequentium. per carnis debitum omni infestatione successorum nostrorum funditus eradicata. manu ualida. potestate regia. cum omnibus appenditiis suis indebita exactione a subditis regni sui exclusa. omni iure priuilegiorum Cysterciensium concesso. ut in hoc. sicut et in aliis prediis ipsorum perpetua libertate fruantur. ne ab aliquo super limitibus. agris. cultis. incultis. uiis. inuiis. aquis. pascuis. pratis. domibus. curtis. fructetis. noualibus quesitis. siue querendis. hactenus infestentur. monasterio Welegrad et beate Marie virgini. eique ibi iugiter famulantibus contradidit. decretorum suorum priuilegio muniens. scilicet ut inuasor predicte ville ecclesiastica secularisve persona fisco regio in XXX libris auri purioris foret obligata. et per regie maiestatis edictum. tum rebus quam honore imperpetuo. nisi per condignam satisfactionem. priuetur. Hanc igitur regiam donacionem in Welegrad factam ad precum nostrarum omnimodam instanciam. et uenerabilis eiusdem cenobii abbatis Hartmanni annuimus beniuolentia fraterne dilectionis. ut si forte ex hiis quid nostros posset cedere in usus. quod pro communi geritur salute. penitus nos nostrosque

excludimus successores. et ne regnum in seipsum diuisum desolari uideatur. larga manu. sollempni donatione beate Marie delegamus. scutum karitatis inexpugnabile. quam et materiale. contra omnem incursionem predicte ville arripientes. manus ad defensionem fratrum in Welegrad. tum in hoc. quam in reliquo ipsorum predio. capulo ancipiti. adhibentes. Volumus ut fratres in iam dicto monasterio super hanc elemosinarum largitionem. libera fruantur possessione. priuilegiorum iura ordinis Cysterciensium tenentes. quiete tranquilleque possideant. priuilegiorum nostrorum decretis muniti. sane ut si qua ecclesiastica. secularisve persona. sine iuris ratione. indebite. presumptuoseque eos inquietare conata fuerit. decretumque nostrum uiolare presumpserit in XXX libris auri camere nostre tenebitur obligata. sciens nos omnem iurisditionem proscriptorum contra ipsam questionari. nisi prius pro indebite illatis. beate dei genitrici Marie. eiusque famulis condigna satisfactione reconcilietur. Igitur cum huiusmodi genus hominum. militari accinctum habitu. secularibus negotiis implicatum. maxime tamen qui gubernandis prouinciarum terris preferuntur. regi regum. creatori omnium. orationum instantia deseruire nequeant. hiis quorum deus uota ab alto prospicit. qui uigiliis attenuati. ieiuniis macerati. setis asperis super nudo castigati. in unitate fidei congregati. pro omni ecclesia fundere preces non cessant. strenuitatem ordinis Cysterciensis inuiolabiliter custodientes. inposterum prouidere. contra hos qui gregem Christi contaminare machinantur diiudicamus. Scientes itaque. quod luculenta inuidia non moritur. sed magis reuiuiscit. et si quid egrum inuenerit deprehendit. eo ex omni parte fratres in Welegrad super uilla Wolkuiz satagimus salubrius premunire. et premunitos tucius defensare. ut siquis quod absit. ecclesiastica secularisve persona. saluti ipsorum inuidens. ore rabido. inhianti animo. lingua ueneno farcita et sarcita. contra datum priuilegii nostri appellari. altercare. oblatrare. excipere. seu allegare contentiose presumpserit. dicendo. non unius temporis esse. et super hoc cassare conatus fuerit respondemus. ville pretaxate delegationem. tum domini nostri et fratris regis boemorum Wenzezlai. et nostram Marchionis Morauie Primuzyl dicto. uno die. eadem hora. eodem momento. regio obsecundantes imperio. gratuitam hanc fore donacionem. licet priuilegii nostri scripta. fere anni circulo post euoluto. cenobio in Welegrad super hiis sint administrata. Et ut hec in cordibus

omnium sagaci memoria recondantur. nec per temporum decursum elabantur. presentium paginam scripti omnem iuris priuilegiorum ditionem tradentes. sigilli nostri impositione. imperpetuo. et testibus subnotatis. firmiter communimus. Huius rei testes sunt. Ratiborius de Deblin. Jænez filius eius. Onso et Victor frater eius filii Blvdonis. Bludo et Zpitata. filii Onsonis. Wrchozlavs dapifer Marchionisse. Zpitata filius Bvz. Stiborius de Lipnich. Borvtha et Hermannus. fratres. filii Wocconis. Vsebor de Raiez. Verizlaus (sic) marscalcus. Clerici. Radozlavs archidiaconus et canonicus Olomvncensis. Esav archidiaconus Preroviensis et canonicus Olomuncensis. Moyses archidiaconus Breschizaensis. et canonicus Olomvncensis. David vicarius. et alii plures tam clerici quam laici. Datum in Olomvnz per manum dilecti notarii nostri Helye. Anno dom. incarnacionis MCCXXXVIII. Kalendis Januarii. Epacta XXII. Indictione XI. Regnante domino nostro Jesv Christo. Amen.

Ex originali ejusdem monasterii in registr. c. r. Gubernii. — Apographum in cod. Welehradensi fol. 49.

CCLXXX.

Wenzeslaus dei gratia rex Bohemiae . . . ob spem vite eterne et predecessorum nostrorum anime remedium donamus in subsidium terre sancte unum mansum apud villam *Wirbaw* et alium mansum cum medietate vinee et IV subsidibus apud *Hostheradic,* quos domina Gysla iusto titulo possedit omnibus diebus, quibus vixit, pacifice fratribus hospitalis sancte Marie Jerosolimitani. . . Testes: Newhlas filius Radimili. Daleborius subcamerarius. Borso filius Bohuslai. Jaros filius Alberthi de Zliwen. Andreas miles de numero tewtonicorum. Guntherus de Bybersteine. Cunradus de Sgel. Henricus de Sachow. Wilhalmus et Lupoldus pincerne in Znoym et alii quam plures. Actum MCCXXXVII. X. Indictione. Datum apud Znoim per manum notarii Wilhalmi XIV. Kalendas Marcii.

Ex Analectis Prof. Wolny. — Originale in archivo ordinis Teutonicorum Freudenthalii adservatur.

CCLXXXI.

Gregorius papa IX. cum episcopo Olomucensi expostulat, quod stigmata b. Francisci non crederet. Dt. Viterbii, pridie Kal. Aprilis, 1237.

Gregorius episcopus seruus seruorum dei. Ad perpetuam rei memoriam. Venerabili fratri Episcopo *Olomucensi*, salutem et apostolicam benedictionem. Usque ad terminos orbis terre presumptionis tue signa pretendens patentes literas exhibendas uniuersis Christi fidelibus cuidam ad sobrietatem spernenti sapere, ac damnabiliter dedito blasphemiis manu lubrica concessisti; quas inter aliqua pietati conformia, et quedam obnoxia prauitati continere percepimus; quod cum solus Patris eterni Filius fuerit pro humana salute crucifixus; et ipsius dumtaxat vulnera deuotione supplici adorare debeat religio Christiana; nec beatus Franciscus, nec Sanctorum aliquis cum stigmatibus sit in Ecclesia Dei depingendus et quod predicanti contrarium tamquam inimico fidei nulla credulitas debeat adhiberi. Super quo non modicum admirantes, que sit causa suasionis huiusmodi non indigne prouidimus perscrutari; ut si forte bona sit quod impossibile creditur commendabilis habeatur, si vero mala, quod in oblivionem veniat, et tu inductus spiritu penitudinis, ad suggerendum salutare contrarium, promptus et facilis habearis. Etenim super his ex eo sumpsisti forsitan argumentum quod non sit decens in subditis, ut prelate sibi pretendant insignia potestatis, nisi de speciali gratia cuiquam benemerito insignia huiusmodi sunt concessa, etsi non multa, que possumus, tamen breuiter quedam perspicue presidium rationis habentia respondemus videlicet, quod mirum si Dei sapientia, que de limo terre similem sibi formans hominem similis illi fieri per Incarnationis mysterium, ut ipsum a morte redimeret, non contempsit; dilectum sibi beatum Franciscum suorum specie stignatum decorauit. Que temeritas? quod peccatum? si tam singulare priuilegium ad indulgentis gloriam picture testimonio pateat oculis deuotorum? Nonne, ut sileamus de aliis, Princeps Apostolorum eximius, licet positione dissimili, quandoque pingitur crucifixus? Sed dicis intrepidus alia illud pactum reformat ratio: quia, cum preteriri nequiuerit, quod de cruce Petri futurum veritas indicauit, neque improprie suspensus in cruce dicitur, neque incongrue tali damnatus supplicio figuratur. Sed de Francisci cruce, uel stigmatibus, quod veritatis indicium?

quod probabile argumentum? De cruce siquidem nota seculis vita ipsius respondeat; quod postquam religionis assumpsit habitum, vacando virtutibus, continuum carnis subiit cruciatum. De stigmatibus vero plures fide dignissimi, quos miraculi tanti conscios diuine placuit reddere pietati testimonium veritati perhibeant; et ad hoc ipsum fidelis mater Ecclesia suffragetur, que huiusmodi miraculo cum multis aliis debita solemnitate probato, causam specialem habuit, quod eumdem Sanctum beatorum catalogo reuerenter adscripsit. Quid ad ista quasi mundo publica et tibi per consequens non ignota, nisi quod voluntatis arbitrium preferens consilio rationis nos, vel Deum potius gratis offenderis; ac utique dilectum Fratrum minorum Ordinem et deuotos eidem nimis improuide conturbaris? Ad cor igitur, qui os in celum ponere presumpsisti ut de reliquo taceatur sine mora reuertere, ad iram supremi iudicis mitigandam studia suscipe penitentis prompta diligentia sit tibi forte sit possibile prouisurus ut scandalum, quod, quantum in te fuit, uniuersitati fidelium per predictas intulisti literas, deleatur; et dictorum fratrum collegia sint in Theutonie partibus in reuerentia consueta. Quod ut tante facilius auctore Deo prouenire valeat, quanto pium fore dinoscitur, ut inflictor vulneris, que salutis sunt etiam operetur, fraternitati tue in virtute obedientie precipiendo mandamus, quatenus cordi tuo pro solemni voto constituens, quod aliquid de cetero, ex quo prouocari superna maiestas, vel Sedes Apostolica iuste conturbari valeat, non attemptes, predictum priuilegium quo celsitudinis diuine dignatio sui Confessorem nominis reddidit gloriosum, damnabiliter infringere, aut impugnare calumniis non presumas; sed ut celebre in eisdem partibus ad honorem Conditoris omnium sicut et in aliis, habeatur, quantum in te fuerit, humili devotione procures; firmiter creditурus, quod idem Sanctus, cum adhuc nostre mortalitatis habitum baiularet, predictis stigmatibus diuinitus exstitit insignitus, et licet illa visa pluribus, ipse tamquam contemnens laudes hominum, vacansque contemplande dulcedini celestium organorum celare sepe studuerit; ea tamen migrans ad Paradisi patriam concurrentium obtutui publicauit. Datum Viterbii II. idus Aprilis. Pontificatus nostri anno undecimo.

E Sbaraleae Bullario Franciscano I. 211. — Et novissime cum fonte suo Regesto Gregorii IX. in Tab. Vaticanis collatum a Palacky. — Item excus. apud Wadding in Annalibus ordinis Minorum.

CCLXXXII.

Gregorius papa IX. prioribus ordinis praedicatorum mandat, ut fratrem Buchardum, qui Opauae praedicando stigmata beati Francisci negauit, a praedicationis officio suspendant. Datum Vilerbii, pridie Kalendas Aprilis, 1237.

Gregorius episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis prioribus et prouincialibus ordinis fratrum predicatorum salutem et apostolicam benedictionem. Non minus dolentes accepimus quam mirantes, quod quidam frater ordinis uestri, Buchardus nomine, immemor, quod sermo predicantium salis gratie semper habere debeat condimentum, cum peruenisset Opaviam Morauie ciuitatem, depredicante transiens in blasphemum in communi dicere non expauit, quod in laude beati Francisci per quosdam ex discipulis suis pie proposita, deberent haberi pro reprobis, quod in eius corpore Christi stigmata non fuissent. Quid ultra? nec Christo, qui sanctum eundem manibus, pedibus ac latere huiusmodi stigmatum priuilegio decorauit, nec nobis, qui ex tanto miraculo cum ceteris probato solemniter, causam specialem habuimus, quod ipsum adscripsimus catalogo beatorum deferendo: dicti fratris elatio in tantam prorupit insaniam, quod discipulos memoratos coram populo questuarios, et falsos predicatores appellans impudenter asseruit, quod in ipsos, et consimiles auctoritate nostra excommunicationis posset sententiam promulgare. Verum cum non solum iam dicte nequitie protulerit verba, sed et ipsis alia peruersa proximorum, pace suaque salute postpositis, cumularit: discretioni vestre per apostolica scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandamus, quatenus si premissis veritas suffragatur, fratrem eumdem, apud quemcumque fuerit, suspensum a predicationis officio, ad nostram mittatis presentiam pro meritis recepturus. Datum Viterbii II. Kalendas Aprilis, pontificatus nostri anno undecimo.

Wadding — Annales ordinis Minorum ad annum.

CCLXXXIII.

Vlricus, dux Břeclaviensis, filius ducis Karinthie et nepos regis Boemorum, incolis provincie Břeclaviensis (Lundenburg) eadem jura, quae quondam a Conrado duce et Olakaro rege provinciae Brunensi sunt contradita, observanda mandat. Dt. in Bisenc, pridie Idus Julii, 1237.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis amen. Ego Vlricus dono dei filius ducis Karinthie ac nepos nobilissimi et incliti Regis Boemorum tam modernis quam eorum successoribus suppanis militibus totique vvlgo *Brecizlauensis* prouincie ex utraque parte *Moraue* constitutis inperpetuum. Quoniam res que multorum vtilitati deseruiunt a mortalium memoria obliuionis nubilo facillime subducuntur. nisi scripti fuerint tenacitate firmate. eapropter ad nostri honoris amplitudinem et anime nostre perpetuam salutem ac omnium sub nostro districtu commanentium pacis et quietis inuiolabilem plenitudinem. ne quis proprio libitu aut ausu temerario dolis aut calumpnia in parem subditum et inferiorem vtriusque sexus quasi licitus efferatur. talia ponimus obstacula et ei que in multis scaturire solet negociis obuiare cupimus inprobitati. Notum sit ergo vniuersis quod Illustris Boemorum rex auunculus noster de sua Regali auctoritate et potencia principali quando prouinciam Brecizlauensem nobis contradidit regendam ac possidendam. ad uiolencie et erroris omnimodam abolicionem prefatam prouinciam nostro nostrorumque nobilium rogatu secundum Jura prouincie Brunensis regi et ordinari disposuit ac de sua Regali plenitudine nostro commisit arbitrio eadem Jura distendere et ampliare. ita tamen ut exinde presens etas proficeret et futura si nostre placeret discrecioni. Legentibus ergo et audientibus necnon prefatis utentibus iusiurandis ut nostra deposcit serenitas dubitacionis scrupulum et nubilum suspicionis remouere cupientes ipsa iura et uenerandorum Boemorum Regum gubernatorum pie videlicet memorie *ducis Conradi.* necnon inclite recordacionis quondam Boemorum Regis aui nostri Ottakari. et nobilissimi auunculi nostri Boemorum regis Wenceslai beneplacito et Regali serenitate Brunensi prouincie contradita. et ipsorum auctoritate firmiter roborata de verbo ad verbum presenti pagine duximus inserenda hoc modo. *Omnes hereditates quas uiri nobiles tam maiores quam minores tempore ducis Conradi sine querela iuste et pacifice*

huc usque possederunt. in bona tranquillitate pacis ammodo possideant. Item nullus camerarius citet aliquem nisi certo cum testimonio eorum quorum interest et nominatim quilibet eorum debet ducere castellani nuncium. et alium iudicis. insuper duos probos uiros de circumsedentibus uillis. et si camerarius uadit ipse secundus. aut tercius sine nunciis beneficiariorum. si interficitur nichil de eo respondeatur. Si fuerit fur apud aliquem nobilem uel apud aliquem cuius est villa et dederit eum curie. omnia bona sua sint. et collum eius detur in potestatem principis. Insuper si fur capitur in aliquo loco et suspenditur. omnia sua principis sunt preter fruges que adhuc in agro remanserunt. Item quod dicitur narok hoc non debet esse nisi ubi constet. sub certo testimonio sua bona amisisse nisi *acciderit in silua uel in aliquo loco secreto vel alicui hospiti et antequam admittatur debet notificari curie. quorum interest scilicet iudici. castellano cum ceteris. Quando aliquis pauper uenit de propria re conquerendo pallium sibi nullatenus deponatur. Nullus zok aliquem accuset nisi certo sub testimonio vicinorum de dampno constiterit. et si fuerit zok conuictus testimonio fori communis lapidetur. Quando aliquis iudicium aque debet subire nullus eum in aquam dimittat nisi sacerdos et eius cooperator. si deus iuuerit eum iudici det duos denarios et sacerdoti XIIII. Si nudauerit se et iudicium noluerit subire. soluat capellano VII denarios et vetule duos. Si aliquis nobilis vir et non druho super se habuerit narok. puer pro ipso subeat iudicium. et si non fuerit adiutus soluat pro eo CC denarios. Quando ducitur quod dicitur zuod debet adesse castellani nuncius. iudicis et uillici et camerarii. et unus uel duo de uicinatu illo et ultra tres non ducatur sed in tercio remaneat. et si conuictus fuerit. CC in cameram regis reddat denarios. et illi qui dicitur powod satisfaciat. Siquis equos. equas. uel boues. uaccas. uel aliqua maiora subtraxerit quantitas dampni estimetur sub certa fide et sacramento eorum quibus iurisdicio est commissa. et secundum hoc accusatores admittantur. Item fures cum sociis et fautoribus eorum pari pena puniantur.* Illud eciam quod dicitur zlubni zud habeant inter se libere et absolute scilicet de capra et oue et ceteris huiusmodi. preter vaccam bouem et equum ceteraque maiora. *Si substrahuntur alique res pallium aut aliquid tale hoc curie non notificetur. sed si bos uel iumentum subtrahitur curie notificetur. Et quando aliquis vulneratur de foro*

ueniendo uel alibi notificetur curie. Item quando aliquis nobilis capitur in furto et suspenditur et non habet prolem hereditas ipsius regi cedat. et si aliquis capitur in manifesto furto uxor eius habeat terciam partem. Quicunque nobilis. uel rusticus occiderit aliquem. CC denarios soluat curie. et alias recedat et querat graciam. et uxor sua in pace sedeat et indempnis. Si quis non habuerit filios uel filium et filias habuerit ad illas deueniat hereditas equaliter. et si non fuerint. hereditas deueniat ad proximos heredes. Si alicui subtrahuntur iumenta aut famuli apes furantur debet subire iudicium ferri scilicet vomeres. Insuper si quis spoliatus fuerit per wiboy incusel quos vult. et de hirdozl nominet quos vult et antique consuetudines conseruentur. Quisquis theloneum pertransierit a thelonario licentia non obtenta neque theloneo persoluto non aliter puniatur nisi ius thelonei duplicabit. et preter hoc pro pena soluet LX denarios. Si quis equum proprium currum aliquem trahentem recognouerit. non plus quam LX denarios. pro curru et rebus in eo existentibus iudici persoluat. Item siquis equum apud aliquem inuenerit vulneratum. non equum vendicet sibi iudex. nisi solummodo LX denariis sit contentus. Item siquis citatus fuerit et oblinuerit ius suum in iudicio neque wrez neque pohonce. sed solummodo denarios duos persoluat. quod pomocne vulgariter appellatur. Item ad clamorem communem qui nestoile vulgariter nominatur nullus currere teneatur nisi de propria voluntate hoc facere voluerit. Item si quis super rebus propriis mobilibus siue immobilibus in iudicio conuenitur. eadem bona de quibus fit questio neque iudex neque domini terre villicus sibi vendicet possidenda. sed idem qui super eisdem bonis conuenitur eadem bona pacifice possideat. donec eadem questio per sententiam decidatur. Item si vestigia rei furtiue secus aliquam villam deperierint. eadem villa occasione eiusdem furti nullatenus puniatur. Preterea nullus de illis qui custodiunt siluam. debet spoliare aliquem in uia uel in foro. nisi tunc illum spoliet quando inuenit arborem secantem. Ad hoc iudex nunquam iudicet in CCC denariis nisi LX. Insuper nunquam iudex. debet iudicare solus nisi presente castellano aut aliquibus nobilibus. et quando villicus iudicat. non debet ire ad capiendum consilium de iudicio sed iudicet sedens cum militibus. Item quando tempus est ire ad iudicandum. et omnes sunt. et villicus non vult venire. iudex iudicet cum militibus. et de mane semper et nunquam hora uespertina

a iudice et villico iudicium habeatur. Quando aliquis interficitur in via siue homo militis. siue iudicis siue villici fuerit. confusio magna inde fit. solent apponi denarii aurum et argentum. ille quis accusat et dominus. debet iurare super sancta sanctorum. Pro debito siquis citatus fuerit. et in primo termino non astiterit iudicio. vendatur. nisi legitimum probare possit testimonium. *Insuper nullus de hominibus nobilium qui uadit in aliqua uel in propria legacione siue ad forum. nunquam in nouo nisi in antiquo theloneo soluat. Item ad iudicium nullus accedat nisi de domo secundum ius primo citetur. Insuper si villicus regis sine iudicio aliquem impignoraverit. rex suo iure corrigat. si villicus camerarii marcam auri soluat. si dominus. beneficio careat. Preterea duellum quod in vulgari dicitur kiy. non habeant nisi ad extraneos. In hiis omnibus excipimus priuilegia religiosorum virorum a principibus eis concessa. et iura clericorum cum dotibus ecclesiarum quibus reguntur secundum ius canonicum.* Ne autem ad presens uel inposterum error aut calumpnia siue contemptus ebulliat in predictis. et vt res dicta firmitatem obtineat inperpetuum omni nouercandi occasione propulsa presentem paginam nostri sigilli munimine. inuiolabiliter duximus corroborandam. Acta sunt hec anno gracie M. CC. XXXVII. In Bizinze pridie Ydus Julii.

E copia vidimata et cum originali suo de novo collata. — Item in codice Welehradensi Ms. sec. XV. initiante fol. 58. — Excusum incorrectius protulerunt: — Die Abhandlungen der böhm. gelehrten Gesellschaft, J. 1786. pag. 476. — Quae cursivis literis hic imprimuntur, plane cum Tabula jurium provinciae Brunensis regis Otakari anno 1229. edita concordant.

CCLXXXIV.

Wenceslaus, rex Boemiae, ecclesiae s. Petri Brunae permutationis titulo bona sua in Bosonoh pro pertinentiis praediorum Medlan, Březowice atque alibi cedit. Dt. Brunae, et acta XIX. Kal. Septembris, 1237.

In nomine sancte trinitatis. et indiuidue unitatis amen. W(enceslaus) Dei gracia quartus Rex Boemie *Sdizlao plebano ecclesie beati Petri in Brunna.* et successoribus eius inperpetuum. Labilis est hominum memoria.

sed uiuit littera. quia uiuente uiuit et actio litterarum testimonio commendata. Vniuersis itaque presentibus ac posteris scripti huius inspectionem et copiam habituris. presentium exhibitione duximus declarandum. quod cum fideli capellano nostro Sdizlao plebano ecclesie sancti Petri in Brunna. permutationis contractu hinc inde sollempniter ac legitime celebrato. totum quicquid in villa *Bozonoch* possedimus. siue cultum siue incultum. cum omnibus appendiciis. agris pratis pascuis siluis. et aliis quocumque nomine censeantur. assignauimus ecclesie prenominate. ac ante dicto Sdizlao. suisque successoribus qui pro tempore fuerint titulo permutationis prefate. Et quia permutationis negocium sic procedit. ut uidelicet unus permutantium tribuat eo pacto. ut alter e contrario tantundem uel amplius. si placuerit. det de suo. Idem capellanus noster Sdizlaus. de prediis in *Medlan* et *Brezowiz* ad scolas ecclesie sancti Petri pertinentibus. ac de prediis in *Wasan et Bzowe* ad uicarios et ad alios homines ecclesie pertinentibus. cum omnibus appendiciis. agris pratis pascuis siluis et aliis quocumque nomine censeantur. cessit nobis. Licet autem permutatio fuerit inequalis. quia plus de bonis nostris in ipsam uenit. quam predicti capellani nostri. totum tamen quicquid in Bozonoch habuimus. pro fidelitate ac seruicio ipsius. nec non pro dampnis et spoliis illatis ecclesie ab exercitu nostro. in eandem permutationem perduximus. Prefatus quoque capellanus noster ob ampliorem firmitatem permutationis pretaxate. nos in duobus equis honorauit. XX. marcas ualentibus. Ut autem hec rata perpetuis temporibus inuiolabiliter perseuerent. presentem paginam sigilli nostri munimine fecimus insigniri. testibus subscriptis. quorum nomina in sequentibus continentur. Otto burcrauius de Donin. Arnoldus comes de Huckswag. Nicolaus filius bohute. Boruta filius Borute. Albertus filius Nachepluk. Zbrazlaus subpincerna Boemie. Daleborius subcamerarius minor Boemie. Andreas de Wsechrom. Milich et fratres sui Zlaiborius et Ydik. Pribizlaus et Volkmarus de Malomiric. Scaztolov de Ceblowic Bochko subcamerarius Morauie. Zawise de Breznik. Bohuse de tazov. Rym de selowiz. Karolus et fratres eius Benco et Luthzlaus de Richan. Nahrad de Orsichowe. Stephanus et frater eius Emmerammus de Medlow. Wecene de Pribram. Robertus de Trubzco. Andreas Dirsicrai filius Crezizlai. de Boemia. Conradus scriba Bernensis. magister Stephanus de Oztupowiz. Otto cano-

nicus Bolezlaviensis. Siro kapellanus domini Regis. Heinricus plebanus de Cozten. Brumo ciuis Brvnnensis. Alrammus. Peregrinus. Petrus filius Symonis. Syfridus et fratres eius Vlricus et Werenhardus. Albero Egrensis et alii quam plures. Acta sunt hec anno gracie. M. CC. XXXVII. Indictione. VIIII. XVIIII. Kalendas Septembris. Datum Brunne per manus Willehelmi notarii.

Ex originali in archivo monasterii Tischnowicensis.

CCLXXXV.

Gregorius papa IX. confirmat possessiones monasterii Zabrdowicensis. Dt. Viterbii, VIII. Kalendas Octobris, 1237.

Gregorius episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis Abbati et Capitulo monasterii de *Zobroduwiz* Premonstratensis Ordinis Olomucensis diocesis salutem et Apostolicam benedictionem. Justis petentium desideriis dignum est nos facilem prebere assensum et vota que a rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Ea propter dilecti in domino filii vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu. personas vestras et monasterium. in quo diuino estis obsequio mancipati. cum omnibus bonis que in presentiarum rationabiliter possidet. aut in futurum iustis modis prestante domino poterit adipisci. sub Beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem *Clobuk. Prestauilk. Diuaci. Bounici. Couthouici. Podole. Zabirdouici. Ohoze. Kirtina. Kohi. Vthesenice. Bissou. Siretitz. Mezylezici. Cancouici. Borkouene. Caskouice. Hozleradici. Bohumilici. Vcamene. Vgezera. Coualouice. Drahonice et Leuice villas.* sicut eas iuste ac pacifice possidetis. vobis et per uos eidem monasterio authoritate Apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat. hanc paginam nostre protectionis et confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit. indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Viterbii VIII. Kalendas Octobris. Pontificatus nostri Anno Vndecimo.

Ex originali in archivo ejusdem monasterii.

CCLXXXVI.

Přemysl, marchio Moraviae, cives Olomucenses ad defensionem civitatis suae provocat. Dt. in castro Wewěrj, **1237.**

Premizl dei gracia marchio Morauie ciuibus uniuersis fidelibus ciuitatis nostre *Olomucz* . . De fidei uestre sinceritate inconcussam gerentes fiduciam, vos omnimoda, qua uos semper amplectimur, dilectione admonere ymo rogare non obmittebamus, iniungentes uobis gracie nostre sub obtentu, quatinus instante guerre ineuitabili, quam sumus exosi, necessitudine, studio et opera multiplici defensioni fidelis nostre ciuitatis et castri in Olomucz iam nunc preuideatis, postponendo quecumque alia negocia, que emersura sunt in uia iuris in iudicio tractandi. Promittimus uobis, ciues dilecti, uestri obsequii non inanem fore exhibitionem nunc et in futurum. Cetera omnia, que tuicioni uestre ciuitatis et prefati castri ydonea esse poterunt et commoda, dilectus nobis nobilis uir Victor, filius Bludonis, accepit a nobis in mandatis secundum sui consilii apicem ordinanda. Datum in castro Ueueri. MCCXXXVII.

E codice Ms. Tischnowicensi.

CCLXXXVII.

Přemysl, marchio Moraviae, nobiles provinciae Znoymensis ad arma evocat castraque tuenda curat. Dt. in Bruna, **1237.**

Premizl dei gracia Marchio Morauie fideli nostro nobili uiro . . . burgrauio in *Znoim.* Fidelitatis tue constancia, quam pre ceteris in te experti sumus esse inconcussam, cordis nostri habitum spe induit indubitante, quod nostris mandatis solito more te obsequiosum exhibebis. Mandamus igitur et exhortamur tuam fidelitatem, quatinus conuocatis in *Znoimensi* ciuitate cunctis inbeneficiatis et nobilibus huius prouincie, ipsis ex nostre uoluntatis auctoritate iniungas studiose, quod feria IIII. post pascha in Znoim comparere haut negligant armis precincti et armigeris comitantibus propter temporis istius necessitatem. Item uolumus sub gracie nostre promissione, quatinus burgrauii nostri in *Vetoue,* in *Vranov,* in *Jemnic,*

in *Mohilno*, in *Hradek* et in aliis castris collectis et aditis militibus et castellanis ex nunc et in futurum uigilancie et cure exhibeant fidelitatem nobis iusiurando in manus tuas promissuri. Datum in Bruuna ... MCCXXXVII.

Ibidem.

CCLXXXVIII.

Constantia, regina Boemiae, et marchionissa Moraviae, inhabitatores provinciarum Brunensis et Znoymensis hortatur, ut depositis armis pacem a rege et sua intercessione exspectent. Dl. in Tišnowice, 1237.

Constancia dei gracia quondam et nunc regina Bohemorum et *ducissa Morauorum* . . Uniuersis suppanis et nobilibus necnon cunctis incolis prouinciarum, que dicuntur *Znoimensis et Brunnensis* . . Ingrauescente execrabili proch dolor discordia inter regem Bohemorum et *marchionem terre Morauie,* qui fratres existentes et filii natique vteri nostri vlnis pocius amoris quam armis odii se inuicem petere deberent, que discordia guerre tumultum excitasse dinoscitur, uniuersitatem uestram, si quis uestrum pacis amans concordieque diligens ac sanguinis consanguineorum effusionis pertesus uocari umquam uoluerit, adhortor, moneo et sub obtentu diuine gracie et in subterfugium ire eiusdem obsecro, quatinus armis, que in accinctu geritis, obsequiose depositis, in pace aduentum regis, domini uestri principalis, expectantes, ex eius clementie habundancia iusticie complimentum et pacis fructum percipiatis. MCCXXXVII.

Ibidem.

CCLXXXIX.

Robertus, episcopus Olomucensis, confirmat monasterio Oslowanensi jus patronatus Novae ecclesiae. Dl. in Zabrdowice, 1237.

In nomine Sancte Trinitatis amen. Rubertus dei gracia. Olomucensis. Episcopus. Dilectis in Christo . . Abbatisse. et Conuentui in *Oslava.* cysterciensis ordinis salutem in domino. Effectus iusta postulantibus indulgere

et uigor equitatis et ordo exigit rationis presertim. quando petentium voluntatem et pietas adiuuat et ueritas non relinquit. Cum igitur prout uestra nobis exhibita petitio continebat princeps Magnificus dominus *Primizel. Marchio Morauie.* illustris pium liberalitatis et deuotionis zelum erga uos et monasterium uestrum gerens ius patronatus *Noue ecclesie site in terminis opavie* nostre dyocesis que habuisse dinoscitur in uos duxerit transferendum sicut in litteris suis confectis exinde plenius continetur. Nos vestre deuotionis supplicationibus inclinati dictique principis factum pium et prouidum commendantes in domino vobis ius presentandi ad dictam Nouam ecclesiam nostro et successorum nostrorum et archidiaconi loci qui pro tempore fuerit per omnia iure salvo auctoritate ordinaria confirmamus. Mandantes sub interminatione anathematis ne quis hanc nostram confirmationem presumat infringere uel sibi ausu temerario contraire. Datum in Zabardawitz. Anno dominice incarnationis Millesimo. Ducentesimo. Tricesimo. Septimo.

Ex originali ejusdem monasterii.

CCXC.

Přemysl, marchio Moraviae, monasterio Daubrawnicensi confirmat donationem circuitus „Semislaw" a nobili viro Wogtěch de Daubrawnjk factam. Dt. apud Huljn, VI. Kalendas Februarii, 1238.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. amen. Premizl diuina miseracione marchio Morauie Woytecho uiro nobili de dubranik *(Daubrawnjk)* in perpetuum. Quoniam diuinus cultus est iusticiam recenseri et ueritas sepius exagitata splendescit in luce. Illustrium principum clarissime congruit dignitati. uniuersis et singulis accurate sollicitudinis munificencia prouidere ipsorumque acciones legitimas in quibuscunque contractibus eo discretionis temperamento dirigere. ne per duplicitatis ambiguum uel obscuritatis scrupulum contineat aliquid capciosum. Omnibus itaque modernis et posteris scripuli huius inspectionem et copiam habituris exhibicione presentium duximus declarandum. quod Szemizlaus uir nobilis de Morcoviz Woytecho quondam genero suo tunc in equestri habitu nunc uero sub

regulari disciplina domino militanti quemdam circuitum cum omnibus attinenciis. agris. pratis. pascuis. siluis. fluminibus. et aliis cultis siue incultis quocunque nomine censeantur. *Szemizlav* uulgariter nuncupatum in *Holacensi* districtu cum filia sua pie recordacionis ipsi quondam matrimonio legaliter et naturaliter copulata pro dote donauit. In ipsa donacione id exprimens et distinguens ut si forte ipsa premoreretur uel superuiueret nichilominus predictus Woyteh de bonis pretaxatis pro sue uoluntatis commodo disponendi haberet liberam facultatem. Sunt autem termini prenominati circuitus tam in longitudine quam in latitudine a silua domini episcopi in Zlaucob usque ad siluam Gradezcensem. et ab eadem silua usque terminos silue que Brezaw nominatur. a Brezaw in Gedlaw a gedlaw usque in Zterylna a Zterylna usque ad fluuium qui Desna vulgariter nuncupatur. Nos itaque donationi eidem hadibentes fauorabilem et benignum hilari liberalitate consensum pro habundanti cautela perpetuaque memoria presentem paginam sigilli nostri duximus munimine insingniri testium subscriptione subiuncta quorum nomina in sequentibus continentur. De ordine predicatorum frater Radozlaus et frater Gregorius. De domo s. iohannis frater Bohuzlaus. Magister Hylarius. Stizlaus Petrus filius Zobiherd Stanimir de trubc. Ector miles episcopi. Predibor de Moriz. Ratiborius et filius suus Jenz. Ranozir. et filius suus Zmil. Milicz. Capellanus marchionis Victor. Sezla. Ludiwicus uisicus. Acta sunt. hec anno gracie M. CC. XXX. octauo. Indictione IX. Datum apud Hulin per manus Victoris natarii VI. Kalendas Februarii.

Ex originali in curia Brunensi; lad. J. 2.

CCXCI.

Přemysl, marchio Moraviae, monasterio Gradicensi villam Polom confert cum libertate, qua aliae villae monasterii gaudent. Dl. Pragae, III. Kalendas Aprilis, 1238.

In nomine sancte et iudiuidue trinitatis. Amen. Premisl miseratione diuina marchio Morauie, uenerabili in Christo abbati Gerlaco totique sacro conuentui *Gradicensis* ecclesie in perpetuum. Post primi parentis ruinam

eiusque peccatum homo eius miserie successurus didicit, angustie et ceteris incommodis et precipue obliuioni tarde miserabiliter subiacere. Necesse igitur fuit, actus hominum scriptis tamquam in archa memorie et ceteris certis indiciis providere ac sollicite commendari. Noscat igitur presens christianitas et in Christo futura, quod nos domino abbati et conuentui Gradicensi ob multiplicia eius, que nobis fideliter ac deuote exhibuit seruitia, nec non ob remedium pie recordationis illustris patris nostri, regis Ottacari, amissioni ipsius claustri, quam pro nobis sustulit, compatientes, condigne eidem gratificari uolentes, uillam *Polom* iure hereditario cum pratis, syluis, tempe et ceteris suis appendiciis, que ad eandem pertinent, perpetuo contulimus possidendam; ita ut eam possit uendere ac alienare pro suo commodo et sui utilitate conuentus. Libertatem quoque, qua et alie uille eiusdem ecclesie gaudent, et quam habuit, cum ad mensam nostram spectaret, eidem prouida deliberatione statuimus concedendam. Insuper dilectum fratrem nostrum et illustrem regem Bohemie rogauimus, ut hanc paginam sigilli sui dignaretur munimine roborare. Venerabili etiam, ac in Christo diligendo Olomucensium supplicauimus episcopo, ut presens scriptum sigilli sui caractere roboraret. Nos etiam sigillum nostrum in presentis pagine robur et munimen duximus apponendum. Ad maiorem etiam huius rei euidentiam, et totius scrupulum ambiguitatis abigendum, nobiles nostros rogauimus, ut titulos suorum nominum subscriptos apponerent in testimonium ueritatis. Nomina autem eorum hec sunt: Dominus Rathiborius de Deblin. Dominus Onsso et filii sui. Bludo subdapifer, et Spitata. Dominus Victor subcamerarius. Conradus camerarius. Joannes subpincerna. Marquardus marschalcus. Dominus Milicz dapifer. Beneda, magister uenatorum. Joannes, filius Rathiborii. Dominus Ranozir et filius suus. Smil, Cunczo, capellani. Dominus Burchardus, notarius Oppauiensis. Ciues Oppauienses: Winadus, Steuen, Heroldus, Maroldus. Albertus de Vrendendal, et alii quam plures clerici et laici. Acta autem sunt hec anno ab incarnatione domini millesimo ducentesimo trigesimo octauo. Tertio Kalendas Aprilis. Indictione decima. Data Prage, per manum Ludouici, notarii nostri.

Ex Annalibus Gradicensibus Mss.

CCXCII.

Přemysl, marchio Moraviae, monasterio Gradicensi concedit, ut in omnibus eam libertatem habeat, qua Olomucensis ecclesia gaudet. 1238.

Ego Premisl, dei gracia marchio Morauie, monasterio beate Marie uirginis et sancti Stephani protomartyris in *Gradisch*, et abbati Gerlaco eiusque successoribus atque toti sacro conuentui Gradicensis ecclesie in perpetuum. Cum principalem deceat honorificentiam ex nobilitatis sibi innate beneficentia, deuote assistentibus sibi in famulantus fideli obsequio retributionis informare meritum, equum est, ac salutare magis et decentius, quatenus ecclesiam dei, a quo nobis cuncta procedunt bona, et uniuerse beneficiorum sue gracie manant dona celestia, potestate ab ipso nobis concessa protegamus, et eius honori ita prouideamus et paci, quatenus nobis ab ecclesia continua fluant in presidium orationum munera, et pro beneficiis presentibus, sine quibus subsistere non potest, que eidem impertiti fuerimus, perpetua tribuantur uite eterne gaudiorum premia. Nouerint itaque presentes, et futuri sciant posteri, quoniam ad honorum dei et b. uirginis Marie et s. Stephani protomartyris in Gradisch ecclesie hanc graciam libertatis in perpetuum obtinendam contulimus, et specialis beneficii dono inuestiendam dignum duximus; non pecunie alicuius munere corrupti, uel nobilium nostrorum mediante rogatu, sed solius diuine pietatis gratia propulsati, accedente super hoc fratris nostri, inclyti regis Boemorum consensu, et mera uoluntate, Wenceslai nomine, uidelicet ut in omnibus eam libertatem habeat Gradicensis ecclesia, quam ab antiquis temporibus et sub nostris se gaudet dotatam sancta Olomucensis ecclesia. Libertas autem, quam statuimus, et firmiter obseruandam decernimus, hec est: Omnes uillas et possessiones, quas modo possidet Gradicensis ecclesia, uel prius possedit, uel est possessura, siue sint in Morauia siue Bohemia, acquisitas siue acquirendas, ab omni onere tributorum, uectigalium, collectarum quatuordecim, ad principem spectantium seu ad beneficiarios, ac aliarum omnium exactionum, quocumque nomine censeantur, esse absolutas uolumus, et presentium exhibitione liberas esse declaramus; adiicentes ut nullus successorum nostrorum, principum terre, per malorum uel bonorum iniqua consilia seductus, ad iniuriam dei, et ipsius ecclesie destructionem,

uoluntatem suam apponat, cum hoc statutum nostrum in retributionem sit omnibus apud deum. Nullus ergo pro castrorum edificatione uel reedificatione, seu oppidorum forensium uallatione siue muratione, seu aliqua ingruenti expeditione, homines prefate Gradicensis ecclesie audeat inqvietare. Jus autem, quod datur pro capite, eis concedimus; hoc de fure statuentes, ut si deprehensus fuerit in furto in possessionibus ecclesie occulto uel manifesto, et coram iudicio conuictus fuerit, bona furis eidem remaneant ecclesie integraliter; fur uero, secundum quod placuerit principi uel beneficiariis, puniatur uel absoluatur. Illud etiam ius, quod pro eo soluitur, quod dicitur Zwod, eis indulgemus. Quodsi occurrat eis iudicium subire candentis ferri manualis, uel uomerum, aut aque, seu duelli, et non fuerint adiuti, bona ipsorum ecclesia obtineat, ipsi autem, prout possunt, apud beneficiarios se expediant. Ab eo autem, quod uocatur Cistothne, liberos esse concedimus pro eo, quod per deum sunt adiuti, non per hominem. Ab accusatione illa, que Narok dicitur, et a pernoctationibus, que uulgo Noczleh dicuntur aut nominantur, ecclesiam iam dictam absoluimus, et ne uillas eius camerarii intrent pro quocunque negotio, a castro per beneficiarios missi, inhibemus. Volumus autem, ut per nuntios tales significetur preposito uel fratri ecclesie, qui exteriorem curam domus agunt, quatenus per illos ad iudicia citentur ipsorum homines, et statuantur die prefixo ante iudicem in loco determinato. Omnis autem uenditio, ex celebratione iudicii surgens, ad abbatem et fratres ecclesie reuoluatur. Si uero contra nostrum hoc statutum in preceps agentes camerarii, vel quilibet tales nuntii, uillas ecclesie iniuriare uolentes, intrauerint, qvidqvid eis euenerit commodi uel incommodi, habeant pro mercede. Preterea ab omnibus generaliter grauaminibus, nouis, ueteribus, consuetudinariis, siue nouiter adinuentis, ecclesiam prenominatam de Gradisch liberam esse statuimus eidem super cetera gracie nostre donum adiicientes, ut per totam terram nostram forensia non soluant homines eius, nec theloneum ab eis uel pedagium exigatur, nisi mercator sit, qui soluto thelonio iniuste non retardetur, quod libenter in periculum anime sue thelonearii, qui Obuzniczi uulgo dicuntur, sepius ausi sunt facere propter dominorum suorum auaritiam. Sed utinam in manifestum nobis ueniant puniendi, et beneficiarii, qui talia fieri admittunt, a beneficio irrecuperabiliter manerent suspensi. Ceterum quia specificare omnia non

possumus, omnem utilitatem in quatuordecim nostram, siue in aliis ad nos vel beneficiarios nostros a nobis infeudatos spectantem, eidem remittimus, ut plena et perfecta semper ecclesia gaudeat libertate, et ut nullus ei nouas conditiones contra statuta nostra audeat imponere firmiter inhibemus. Insuper statuimus, ut quicunque nobilium in supra dicte ecclesie uillis uel curiis pernoctando seu intrando extiterint iniuriosi, bannum nostrum in decem marcas auri componant, et ei damna illata in duplum restituant; uel si adeo fuerint malitiosi et insani, ut non possint eos grangie seu uille abbatis tolerare, uel forte et ipsum claustrum, ex tunc liceat hominibus et fratribus domus, sine nostra offensa uiolenter ipsos expellere. Huius autem libertatis a nobis concesse, et principali munificentia donate prefato monasterio, successores nostros, uidelicet heredes, quos deo largiente habebimus, tutores constituimus ac defensores, hoc sancientes, ut huius priuilegii uiolatores in cameram nostram successorumque nostrorum decem marcas auri componant. Rogauimus etiam fratrem nostrum, inclytum regem Boemorum Wenceslaum, ut prefate libertati nostre fauorabilem ac benignam regie authoritatis preberet assensum, quod et fecit, ac sigilli sui regalis munimine nostrum muniens presens roborauit euangelium et priuilegium. Insuper quia concors erat uoluntas et unanimis benignitas fratris mei, serenissimi regis et mea, sese inuicem comitantes, supplicandum dignum habuimus uenerabili patri nostro Roberto, Olomucensi episcopo, ut post hanc pecuniariam penam, que est inscripta, omnes uiolatores huius nostri priuilegii, per nos confirmati, excommunicationis uinculo innodaret, et pena grauiori percelleret, quod et factum est; et in signum huius facti, quatenus ad nostram petitionem circa nostra duo sigilla in testimonium magis euidens sigillum quoque suum appenderet dominus episcopus placuit; quod et fecit. Hoc etiam, quod superius omissum est priuilegium interserere de uenatoribus et caniductoribus, qui Holoti nuncupantur, statuimus, ne in abbatia uel uillis abbatie pernoctent, sed de bona uoluntate abbatis uel fratrum, quidquid eis impensum fuerit in charitate, inde ipsos contentos esse decernimus, alioquin si iniuriosi se reddiderint, sicut antea de huiusmodi predictum est, ciectione dignos esse censemus, nec eis quicquam gracie uel uictualium impendatur. (Datum anno domini M. CC. XXXVIII.)

Ex Annalibus Gradicensibus. — Originale in arch. ejusdem monasterii.

CCXCIII.

Wenceslaus, rex Boemiae, monasterio Tišnowicensi in gratiam matris suae Constantiae fundatricis omnia bona et jura confirmat. Datum Pragae, pridie Nonas Aprilis, 1238.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Amen. Nos *Wenzezlaus*, miseratione diuina quartus ex Boemie, illustri domine dilectissime matri sue Constantie, regine regni eiusdem, in perpetuum. Quanto diuina prouidencia uiros illustres, Reges uidelicet ac principes in ecclesia dei constituit clariores, tanto ipsos ad promerenda premia claritatis eterne in diligendis ac dirigendis caritatis operibus secundum religionem fidei catholice deuociores conuenit inueniri, et potissime in hiis, que ad opus Christo cottidie famulancium in pias causas et bonos usus misericorditer convertuntur. Hinc est, quod uniuersis Christi fidelibus tam modernis, quam posteris scripti huius inspeccionem et copiam habituris exhibicione presencium duximus declarandum: Quoniam una cum fratre nostro Premizl illustri marchione Morauie ad pias preces domine ac matris nostre Constancie inclite regine Boemie pro fundando monasterio monialium grisei ordinis in loco, qui *Tusnowiz* dicitur, Brunensis districtus, cum deuocione ac beniuolencia toto animo inclinati, tam laudabili intentioni fauorabilem exhibuimus ac benignum hilari liberalitate consensum; id principaliter intuentes, quoniam pretaxata domina mater nostra tam pro nostra progenitorumque nostrorum, quam pro salute propria sumptibus largissimis in ipsis claustralibus edificiis sine intermissione laborat ad consummacionem operis inchoati. Quoniam vero semiplenum vedetur, quod sine adieccione relinquitur, nos beneficiis regalibus crescere cupientes uniuersa bona siue in uillis aut theloneis, uel burgis forensibus et aliis quibuscunque, quocunque nomine censcantur, qualescunque reditus extiterint, seu predia per fratrem nostrum supra memoratum, uel alios quoscunque cuiuscunque sint nominis, pretaxatum monasterium donacionis uel commutacionis seu uendicionis aut alterius cuiuslibet contractus titulo douoluta, ad honorem omnipotentis dei ac gloriosissime genitricis eius uirginis Marie auctoritate regia predicto monasterio ac ibidem deo famulantibus in perpetuum confirmamus, graciamque, quam eidem claustro in confirmacione huiusmodi uel donacione alia qualicumque fecimus

ratam tenere perpetuo sine reuocacione uel diminucione permittimus. Nomina uillarum sepefati monasterii sunt hec: *Tusnowiz*, ubi construitur ipsum claustrum. *Lomniz. Khneniz. Draszow. Schachchowiz. Szelezne. Tyszow. Wemizliz. Luckow. Naluschan. Byrdniz. Yglaua.* cum theloneo. *Wynanow. Seysche. Capeniz.* Intelligendum est eciam, hec omnia cum omnibus suis attinenciis, agris videlicet, pratis, pascuis, siluis, fluminibus, molendinis et aliis quibuscunque cultis siue incultis confirmacionis predicte iure censeri. Vt autem huius nostre confirmacionis liberalitas pia et felici recordacione perpetua et inuiolabilis perseueret, presentem paginam sigilli nostri karactere dignum duximus insigniri. Testium subscripcione adnexa, quorum nomina sunt in sequentibus subarata: Bernardus Pragensis episcopus. Eppo prepositus. Tobias decanus. Hermannus prepositus Lutomericensis. Stephanus prepositus Szaszensis. Bohuzlaus camerarius. Miztidru burgrauius Pragensis. Albertus iudex. Rudolphus dapifer. Neoztup burgrauius de Primda. Zobezlaus dapifer regis. Zbratizlaus pincerna. Bohuzlaus et Neulaz frater eius. Bohuzlaus filius Protiue. Acta sunt hec anno gracie M. CC. XXX. VIII. Indiccione X. Datum Prage per manus Wilhalmi notarii. II. Nonas Aprilis.

Ex originali in archivo ejusdem monasterii.

CCXCIV.

Robertus, episcopus Olomucensis, confirmat monasterio Lucensi collationem ecclesiae de Tasowice factam per Přemysl, marchionem Moraviae. Dt. in Zabrdowice, XII. Kalendas Junii, 1238.

Rvbertus dei gracia Olomucensis Episcopus omnibus Christi fidelibus tam presentibus quam futuris ad quos presens scriptum peruenerit Salutem in verbo Salutari. Nouerit Vniuersitas Vestra quod Illustris Marchio Morauie premisle nomine habens ex progenitoribus deum cum suis sanctis in summa reuerentia. ac ministris ipsius sacramentorum prouidens utilius et honestius Ecclesiam de *Tassowice* contulit Monasterio sancti martiris Christi Wenceslay in Luca perpetuo possidendam cum omnibus suis appendiciis que ad eandem Ecclesiam ab antiquo de Jure spectabant. Ad cuius preces instantes dictam Ecclesiam nos confirmamus venerabili viro domino

Johanni Abbati Monasterii de Luca. et eius successoribus cum ceteris omnibus que ad eam pertinebant quoquo modo nominentur. et vt idem Claustrum tam de liberali donacione dicti domini Marchionis. quam de nostra confirmacione in ipsa Ecclesia perpetua gaudeat pace. cum confirmacione omnia spiritualia iura in ipsa Ecclesia dicto domino Abbati et eius successoribus concedimus. invasores violentos et dotis eiusdem Ecclesie distractores vel qualescumque persecutores vinculo excommunicacionis innodantes. Data in Zabyriduice XII. Kalendas Julii. Anno dominice incarnationis M. CC. XXXVIII. Pontificatus nostri Anno XXXVIIII. Et vt hec nostra confirmacio inviolata permaneat. presentem paginam sigilli nostri munimine roboravimus.

Ex originali in archivo ejusdem monasterii; sign. F. 5.

CCXCV.

Robertus, episcopus Olomucensis, confirmat ecclesias Daubrawnicensis monasterii et regulas monialium. Dt. Cremsirii, IV. Kalendas Augusti, 1238.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Robertus dei gracia Olomucensis ecclesie episcopus. Omnibus qui sunt et erunt in perpetuum. Uniuersitatis negocia litteris mandata. ex earum memoria trahunt firmitatem. Innotescat igitur presentibus ac futuris. quod ego Robertus [a] episcopus Olomucensis ecclesie cum consensu decani et tocius conuentus eiusdem ecclesie. cupiens annuere piis precibus viri nobilissimi domini Stephani de Medlow et filiorum eius. omnes ecclesias quas dictus dominus Stephanus ex suis hereditatibus contulit claustro. quod ipse ex deuotione construxit in *Dubrawnyk.* [b] confirmaui in subsidium canonicorum regularium et dominarum ibidem deo famulantium. videlicet ecclesiam in *Medlow.* cum suis apendiis et dicimis. Ecclesiam in *Kadow* [c] cum suis apendiis et dicimis ecclesiam in *Wellessowicz* cum suis apendiis et decimis. Ecclesiam in

a) Ruperius; b) Dubranik; c) Kadaw;

Necolatice[d] cum suis apendiis et decimis. Ecclesiam de *Kuczerow*[e] quam ob deuocionem eidem claustro nobiles viri. dominus Woyzlaus et dominus Dirslaus et dominus Czaslaus.[f] contulerunt cum suis apendiis et dicimis. Confirmaui etiam memorato claustro decimum denarium de iudicio per totum circuitum in Dubrawnik. et omnes ecclesias que sunt in eodem circuitu. Hoc est ecclesiam in *Bystrice.* cum suis appendiis et dicimis. et omnes ecclesias que sunt edificate. uel adhuc edificabuntur in eodem circuitu. Confirmaui insuper eidem claustro. decimas de duabus araturis in *Chudcycz.*[g] Pium enim est et condecens. vt dicti regulares. qui continue deo deseruiunt in iam dicto monasterio. et domine ibidem recluse. eo quod sibi non possunt ob sexus fragilitatem bene prouidere. per dictarum ecclesiarum superfluum prouentum subleuentur. Hoc tamen saluo. vt quicunque fuerit prepositus claustri memorati. sic teneatur prouidere vicariis dictarum ecclesiarum. vt honeste et sine defectu possint easdem ecclesias procurare. Volo eciam et statuo. vt ante dicti canonici regulares. et domine eisdem loci in Dubrawnik. suo preposito profiteantur et obediant in hiis omnibus. que non sunt contraria anime. et regule earum. Verum ne super hac confirmacione successoribus meis uel quibuslibet aliis contradicendi detur occassio. presentem paginam nominibus testium. qui huic confirmacioni interfuerant. et sigillorum karactere. mei videlicet et ecclesie perpetualiter confirmamus. Relinquentes in mandatis. quod si quis hoc factum infregerit. anathema sit. Testium autem nomina sunt hec. Joannes Olomucensis ecclesie decanus. Theodricus Olomucensis ecclesie prepositus. Radozlaus eiusdem ecclesie archidyaconus. Esau canonicus eiusdem ecclesie et archipresbyter Prerowiensis prouincie. Hic etiam testem adhibuit dominum Nicolaum canonicum eiusdem ecclesie. cuius ipse vices tunc temporis in absencia gessit. Moyses archidiaconus Brecislauiensis prouincie. Alexius canonicus. Magister Gregorius canonicus. Henricus canonicus. Blasco canonicus. Gerhardus canonicus. Bonifacius abbas de Gradiscz. Hermannus[h] abbas de Welegrad. Ditricus[i] abbas Zaberdowicensis. Florianus abbas de Luca. Ambrosius prepositus de Cunicz.[k] Ob memoriam huius facti statuo, vt quicumque ad

---

d) Netolutice; e) Cucerow; f) Raclaus; g) Chutsicz; h) Hartmannus; i) Dyetricus; k) Chunicz;

ecclesiam in Dubrawnik in festiuitatibus sancte crucis aduenerit quamdiu ipsa steterit. XL dierum iniuncte penitencie remissione donetur. Hec autem facta sunt publice in capitulo Olomucensi, hiis et aliis plurimis testibus presentibus. Verbi incarnati anno. Millesimo ducentesimo XXXVIII. indictione nona pontificatus nostri anno XXXVIII. Datum in Cremsir[1] per manus Esau canonici IV. Kalendas Augusti.

---

1) Chremsir; haec in confirmatione Conradi episcopi 1318. variant, literasque magis genuinas indicant.

E confirmatione Joannis episcopi Olomucen. 1303. in curia Brunensi; l. J. 3. — et collatum cum confirmat. episcopi Conradi a. 1318. ibidem.

CCXCVI.

Přemysl, marchio Moraviae, monasterio Welehradensi praedium Zablažan cum silva et mineras ferri ibidem repertas confert. Actum in Welehrad, Kalendis Augusti, 1238.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis amen. Premiszel miseracione diuina marchio Morauie abbati Welegradensi totique eiusdem loci sacro conuentui inperpetuum. Cum propter miseriam humane condicionis omnibus in commune moriendi incumbat necessitas nec aliquis hominum certum aliquid habeat super statu uite sue eo quod nesciat quid ei superuentura dies in crastinum pariat ne simul pereant cum homine qve propter ipsum vtiliter gesta noscuntur dignum duximus memorie commendandum. Noscant igitur presentes in Christo et in eodem feliciter successuri quod nos de bonis paterna successione nos contingentibus contulimus ob remedium anime nostre et parentum nostrorum felicis memorie quoddam predium quod *Zablazan* dicitur monasterio Welegradensi Cisterciensis ordinis cum pratis et omnibus attinentiis suis fratribus ibidem deo famulantibus iure perpetuo profuturum. Et vt in predicto predio prefatis fratribus quietem in posterum et securitatem prouideremus in manus domini Hartmanni abbatis eiusdem cenobii hanc nostram donationem fecimus in presentia multorum nobilium astantibus hominibus nostris camere pincernieque officio in famulatu nostro tunc tem-

poris seruientibus huic facte nostre donationi nullo iuris obstaculo valentibus contraire. Igitur quia modis omnibus dicti monasterii utilitatibus eo quod ad nos fundus ipse specialiter pertineat intendere debemus presertim *cum etiam ibidem sepulturam nostram deo volente cum patribus nostris habituri sumus* siluam quandam Zablazan adiacentem que de valle que dicitur Cladic tendit usque in morauam et sic per morauam usque in Nachoniz iure hereditario fratribus prenotati cenobii pia deuotione concedimus deseruire. Que dum olim a patruo nostro pie memorie *Wadizlao* illustri quondam Morauie Marchione ipsis cum sue dignitatis autentico tradita sit. et iure debito confirmata. Nos tamen nostrorum auctoritate priuilegiorum testamentum huius donationis fecimus renouari et antiquis terminis ab ipso ibidem personaliter positis nouas superaddidimus metas ne sicut hactenus aliquis de nostris successoribus in prefata silua sibi aliquod ius uel dominium audeat in posterum vendicare. Preterea mineras ferri que in presenti reperte sunt uel ubicunque in terra nostra poterunt de cetero reperiri et redditus ad easdem pertinentes qui nobis iure cedebant eidem claustro Welegradensi ad ipsius edificia construenda prouida deliberatione contulimus atque coram nostris baronibus illud perpetuo statuimus esse ratum ad honorem dei et eclesie prenotate. Verum ne hec nostre liberalitatis seruis cristi voluntaria donatio possit ab aliquo in irritum reuocari presentem paginam conscribi et nostre auctoritatis priuilegio fecimus communiri. fideles etiam viros ac ydoneos qvi tunc presentes aderant in testimonium adhibentes. Qvorum nomina hec sunt: Petrus plebanus de Sudiz. Wechezlaus plebanus de Pevdevim. Waltherus plebanus de Lipnich. Lodewichus canonicus Boleszlauiensis omnes Marchionis capellani. Ratiborius de Doblin Hartliebus et Janez filii eius. Zdizlaus magister venatorum filius Mutyni. babyan filius Luderi Sdebor de Luchoe Wolker filius Peregrini. Rohznata filius Jurich. Wogyk Stoyza et alii quam plures clerici et laici. Acta sunt hec anno ab incarnatione domini M. CC. XXX. VIII. in monasterio Welegradensi Kalendis Augusti. Datum per manum Lodowici notarii nostri. †.

Ex originali in registratura c. r. Gubernii; sig. G. 4. — Apograph. in cod. Welehradensi Ms. fol. 71.

CCXCVII.

Robertus, episcopus Olomucensis, confirmat fundationem hospitalis sancti Spiritus ante Brunam, pie factam a Rudgero, cive Brunensi. Datum in Mohelnice, 1238.

†. In nomine sancte trinitatis et indiuidue unitatis. amen. Rvobertus dei gratia Olomucensis episcopus omnibus Christi fidelibus in sua diocesi constitutis salutem in domino Jesu Christo. Inter opera pietatis que secundum apostolum promissionem habent vite que nunc est pariter et future. hospitalitates nobis specialiter et frequenter diuina scriptura commendat. vtpote que illa omnia comprehendit. propter quam dominus in ultime discussionis examine remunerationum se bonos et malos asserit puniturum. Hec enim pascit esurientes. sicientes potat. colligit hospites nudos uestit. et non solum infirmos visitat. sed eorum in se infirmitates assumens infirmantium curam agit. in carcere positis subuenit. et quibus viuis in infirmitate communicat. participat in sepultura defunctis. Per hanc qvidam Angelis receptis hospitio placuerunt. cum Abraham et Loth hospitalitati uacantes angelos meruerunt hospitari. per quos Abraham iam senex future sobolis promissionem accepit. et Loth fuit de incendio liberatus. Duo quoque discipuli qui Jesum hospicio coegerunt. qvem in expositione scripture non nouerunt. in panis fractione nouerunt. Per hanc superfluam diuitum que congregata fore seruarentur ad mortem in necessitates pauperum erogantur ad uitam. Per hanc terrena in celestia et transitoria in eterna felici commercio commutantur. dum per manus pauperum thesaurizamus in celis. ubi nec erugo nec tinea demolitur. et ubi fures non effodiunt nec furantur. et facimus nobis de mammona iniqvitatis amicos. qvi cum defecerimus in eterna tabernacula nos admittant. Vnde noscat tam presens hominum etas. qvam in Christo successura posteritas. qvod nos ad peticionem ciuium de Brunna. Deum pre oculis habentium. locum qvendam qvem qvidam *Rudgerus* nomine ciuis Brunnensis cum sua coniuge *Hodawa* nomine diuino nutu excitati. non solum pro sua verum etiam suorum predecessorum et omnium fidelium tam viuorum quam etiam defunctorum salute de propriis bonis emerunt. et in eodem loco in edificiis construendis LXX marcas ualens expenderunt. ad hospitale ibidem edificandum. et in eodem loco cymiterivm

consecrauimus ad sepulturam pauperum et peregrinorum ibi morientium. Indulgemus et ad peticionem ciuium Brunnensium. ut receptores fraternitatum eiusdem loci sine ulla contradictione ibidem tumulentur. Decreuimus insuper ut receptores fraternitatum siue collectarum vestrorum (sic) saluo iure dominorum suorum in beati Wencezlay martyris et nostra protectione consistant. et pace salubriter potiantur. Similiter etiam sancimus ut qvicumqve fuerit in vestra fraternitate receptus. si forsan parrochialis ecclesia cuius ipse parrochianus exstitit. a diuinis fuerit officiis interdicta. eumqve mori contigerit. ipsi sepultura ecclesiastica non negetur. nisi excommunicatus vel nominatim fuerit interdictus. Decimas autem de terris et vineis. qvibus ad opus infirmorum et pauperum propriis manibus et sumptibus colitis. siue de nutrimentis animalium. siue de fructibus ortorum vestrorum nullus exigere uel extorqvere presumat. Licet autem in domibus uestris uobis quas in presentiarum habetis. uel in futurum eritis habituri. ad opus uestrum et familie vestre nec non infirmorum et pauperum ibidem manentium. Oratorium et cymiterium sine impedimento cuiuslibet conditionis habere. ad hec districtius inhibemus ne a te fili R. magister uel successoribus tuis et fratribus hospitalis eiusdem exigat ulla secularis ecclesiasticave persona fidelitates. hominia. iuramenta. uel securitates reliquas qve a laicis freqventantur. Postremo quas consilio et assensu episcoporum a clericis uel a laicis potueritis obtinere istasque qvas consentientibus diocesanis episcopis successoribus meis et clericis ad qvos pertinet acqviretis auctoritate nostra et successorum nostrorum. et presentis scripti privilegio communimus. Ceterum qvia non nulli sunt sicut accepimus in eisdem prouinciis qvi in elemosinis dandis. uel promittendis beato Antonio. votum suum protinus actenus omiserunt. et hii merito cum vox clamet prophetica. vouete et reddite. ut reddant domino qvod promiserunt. ne cum Anania et Saphira qvi abeuntes retrorsum meriti sunt s. spiritui judicarentur. Et qvia petitores eiusdem elemosine beati Antonii minus ydonei extiterunt. eos fructus elemosine in usus pauperum ibidem in Brunna commorantium. concedimus et indulgemus. Vt autem omnia breuiter comprehendamus. et in villis. vineis. et siluis. agris. pascuis. molentinis. lacubus. venationibus. cultis et incultis. sive noualibus. habitis uel habendis eiusdem loci auctoritate nostra confirmamus. Constituimus etiam ut nullus in supra dicto loco habeat potestatem.

nisi idem supradictus R(udgerus). quod sicut est fundator sit et procurator. Jus autem patronatus illius hospitalis volumus qvod spectet ad episcopum Olomucensem sub certa annuali pensione. XII denariorum. qvi choro Olomucensi annuatim persoluentur. Nulli ergo omnino hominum liceat predictum locum hospitalis perturbare. aut eorum possessiones auferre. uel ablatas retinere. minuere. seu qvibuscumqve vexationibus fatigare. sed omnia integra conseruentur. eorum pro gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. salua in omnibus nostra et successorum nostrorum auctoritate. Si qvi uero fratrum vestrorum qvi destinati fuerint ad elemosinas colligendas. in quamlibet ciuitatem. castellum vel vicum advenerint. si forte locus ille a diuinis fuerit officiis interdictus. pro omnipotentis dei reuerentia in eorum aduentu iocundo semel in anno pulsatis campanis aperiantur ecclesie vt super elemosinis acquirendis. verbum ad populum exhortationis in ecclesia proponatur. Cum autem generale interdictum terre fuerit. liceat in ecclesiis vestris clausis ianuis. exclusis excommunicatis et interdictis. non pulsatis campanis suppressa uoce diuina officia celebrari. Precipimus etiam ut nullus hominum ausu temerario (*a*). audeat manus violentas in aliqvam personam ponere. qvi pro pace ad idem hospitale confugerit. Nullus etiam sacerdotum audeat interdicere mortuum ibidem sepeliri. qvi ante obitum suum cum testamento suo si se petierit illuc transferri. Qvicunqve autem grata subsidia predicto hospitali porrexerint. de peccatis qvibus contriti sunt et confessi et cessari uoluerint de misericordia dei omnipotentis confidentes. XL dies de iniuncta eis penitentia indulgemus. De cetero successores nostros obsecramus et obtestamur in Christo Jesv qvi venturus est iudicare viuos et mortuos. vt locum supradicti hospitalis cum personis et rebus ad hospitalitatis officium deputetis. tanqvam spirituales patroni specialiter foueant et defendant. qvam si ceteris piis locis teneantur. et eterne remunerationis intuitu prouidere. huic tamen hospitali qvod in subsidium ciuitatis Brunnensis et omnium villarum et in nostra diocesi existentium fundatum est et dotatum. et tam nostris qvam successorum nostrorum diebus credimus ampliandum. curam debent impendere spiritualem. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre institutionis paginam. sciens contra eam venire temere temperauerit. secundo tertiove commonita nisi reatum suum congrua satisfactione

correxerit reum se diuino iudicio existere de perpetrata iniqvitate cognoscat. et a sacratissimo corpore dei et omnipotentis redemptoris Jesv Christi aliena fiat. atqve extremo examine districte subiaceat vltioni. Cunctis autem eidem loco iura servantibus sit pax domini nostri Jesu Christi. qvatinus et hic fructus bone actionis percipiant. et apud districtum ivdicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Datum in Mohilniz anno dominice incarnationis Millesimo CC. XXXVIII.

Ex originali in archivo Melitensium Pragae.

CCXCVIII.

Robertus, episcopus Olomucensis, hospitali sancti Spiritus ante Brunam confirmat ad petitionem fundatoris et procuratoris Rudlini decimas a rege Wenceslao collatas. Dt. Brunae, VI. Kalendas Septembris, 1238.

Rubertus dei gratia Olomucensis episcopus. Omnibus Christi fidelibus has litteras inspecturis salutem in domino. Licet non sit laicorum aliquid ordinare de rebus ecclesiasticis et decimis ad ecclesias spectantibus ac precipue ad episcopatum Olomucensis ecclesie pertinentibus. tamen quia noua domus est hospitale sancti Spiritus ante Brunnam et tempore nostro est fundata et quoad ius spirituale per nos specialius est inchoata ad petitionem Rudlini ipsius fidelissimi procuratoris. decimas quas illustris Rex Bohemie Wencezlaus dedit eidem hospitali. auctoritate nostra dicte domui confirmamus et quidquid dominus in hac parte ordinauit ratum habemus. Data Brunne VI. Kalendas Septembris. anno ab incarnatione domini Millesimo CCXXXVIII. pontificatus nostri anno XXXVIII. Ad maiorem autem cautelam et pauperum in prescripta domo degentium perpetuam libertatem de voluntate et consilio uenerabilium fratrum nostrorum Olomucensis ecclesie canonicorum presentem litteram sigillo nostro munimus. Approbantes autem fratres nostri canonici Olomucenses nostram ordinationem et idem ratum tenentes. eidem pagine sigillum capituli sui apposuerunt.

Ex originali in archivo Melitensium Pragae.

CCXCIX.

Gregorius papa IX. monasterium Tišnowicense cum possessionibus ejus in protectionem sedis apostolicae suscipit. Datum Anagniae, Idibus Octobris, 1238.

Gregorius. episcopus seruus seruorum dei. Dilectis in Christo filiabus . . Abbatisse et Conuentui Monasterii sancte Marie de porta celi siti iuxta villam *Tuscinoiz* ordinis Cisterciensis Olomucensis diocesis. Salutem et apostolicam benedictionem. Quotiens a nobis petitur quod religioni et honestati conuenire dinoscitur animo nos decet libenti concedere ac petentium desideriis congruum suffragium impertiri. Ea propter dilecte in Christo filie uestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu personas uestras et locum in quo diuino uacatis obsequio cum omnibus bonis que impresentiarum rationabiliter possidet aut in futurum iustis modis prestante domino poterit adipisci sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre protectionis infringere uel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Anagnie Idus Octobris. Pontificatus nostri Anno duodecimo.

Ex originali ejusdem monasterii.

CCC.

Gregorius papa IX. mandat, ut monasterium Tišnowicense a Constantia, regina Boemiae, fundatum per episcopum Pragensem cum dioecesani loci ejusdem assensu consecretur. Dt. Laterani, Nonis Novembris, 1238.

Gregorius episcopus seruus seruorum dei. Carissimo in Christo filio . . Illustri Regi Boemie. Salutem et apostolicam benedictionem. Cum ecclesiam quam dilecta in Christo filia Constantia Regina mater tua in honorem beate Marie uirginis in qua Conuentus dilectarum in Christo filiarum Monialium inclusarum sub institutis Cisterciensis ordinis domino famulantur

inspirata diuinitus dicitur suis sumptibus inchoasse. ad ipsius instantiam mandemus per venerabilem fratrem nostrum . . Episopum Pragensem de diocesani loci assensu cum consumata fuerit consecrari. omnibus uere penitentibus et confessis qui in die dedicationis eius ad illam cum deuotione accesserint. Quadraginta dies de iniunctis sibi penitentiis habituris. Serenitatem tuam attente rogandam duximus et monendam. quatinus pro diuina reuerentia et apostolice sedis ac nostra et consideratione dicte genitricis tue tempore dedicationis ipsius ecclesie quatuor septimanis ante. ac quatuor post diem dedicationis eiusdem. uniuersis ad eam uenientibus thelonea et passagia per terras tuas facias relaxari. ita quod deo exinde placeas. et nos sinceritatis tue zelum possimus merito commendare. Datum Laterani Nonis Nouembris. Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

Ex originali ejusdem monasterii.

CCCI.

Wenceslaus, rex Boemiae, Gregorio, capellano suo, araturam et silvam in Lodenice a fratre suo Přemysl, marchione Moraviae, donatam confirmat. Dt. Kalendis Decembris, 1238.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis amen. Wencezlaus, miseracione diuina Boemie rex quartus. Gregorio clerico eiusque posteris inperpetuum. Quoniam negocia, que inter mortales studiose tractantur, opertet non obliuisci, ne tarda obliuio eadem negocia abradat, necessarium est ac prouidum, ea litterarum memorie commendari. Noscant igitur presentes in Christo et in eodem feliciter successuri, quod nos Gregorio clerico et eius successoribus ad dilecti fratris nostri peticionem, incliti Morauie marchionis, araturam vnam et silvam vnam in *Lodenicz*, quam idem frater noster contulit graciose eidem, auctoritate regia confirmamus, sicut in priuilegio, eidem a prefato fratre nostro marchione concesso, liberaliter continetur. Ne igitur super hoc calumpniosa questio de cetero oriatur, et ad huius confirmacionis nostre evidens argumentum, presentem paginam sigilli nostri munimine fecimus insigniri. Testibus, qui ad hoc sunt necessarii, eciam subnotatis: Rathiborius. Szemezlaus. Conradus camerarius. Zauizs. Jenichs frater eius.

Rathiborius de Belchowiz. Beneda. Sdanimirus. Preddebor de Moriz. Esau archidiaconus Prerouiensis. Nicholaus archidiaconus Brunnensis et alii quam plures clerici et layci fide digni. Acta sunt hec anno incarnationis dominice M. CC. XXX. VIII. Kalendis Decembris. Datum per manum Wilhelmi notarii nostri.

E codicibus Mss. saepius citatis Cremsiriensi D. VII. et Olomucen. I. 16.

CCCII.

Wenceslaus, rex Boemiae, manasterio Oslowanensi magnas libertates et immunitates elargitur. 1238.

Nos Wencezlaus dei gracia quartus rex Boemie monasterio *Ozlowanensi* et uniuersis ibidem degentibus in perpetuum. Inter opera karitatis precipue constat effectuosius religiosis personis misericorditer subuenire. ut Deo militantibus victus et vestitus prouideatur, et locus inter iustorum agmina perpetuetur eternus. Noscat igitur tam presens hominum etas quam in Christo successura posteritas. Quod nos monasterio Cisterciensis ordinis quod *Ozlavan* vulgo vocatur et nomine transmutatum est in vallem sancte Marie, eandem dedimus libertatem quam habet Wellegradense cenobium cisterciensis ordinis a patre nostro Premizl rege Bohemie pie recordacionis et inclyte memorie patruo nostro Wladizlao quondam marchione Morauie fundatum et constructum. Libertas autem hec est, quam pie statuimus firmiter obseruari scilicet: omnes villas et possessiones quas ecclesia illa possidet, vel possessura est, ubicunque site sint siue in Morauia, siue in Boemia ab omni onere tributorum, vectigalium, collectarum, aliarumque exactionum siue in XIIII denariis ad principem vel beneficiarios spectantibus quocunque modo nominentur, esse absolutas. Jus autem, quod datur de capite, eis concedimus. Hoc de fure statuentes, si in eorum habitat possessionibus, et deprehensus fuerit in furto manifesto, vel de aliquo occulto accusetur, videlicet quod ad iudicium ferri candentis, vel aque, vel vomeres calcandos, vel duelli, et conuincatur in aliquo istorum in iudicio seculari, eidem monasterio bona furis siue rei integraliter remaneant. Judices aut quorum est faciant de eo quod eis iustum videbitur. Si autem homines eiusdem

cenobii coram iudicibus nostris culpabiles inueniantur, nec nobis nec iudicibus nostris curialibus vel beneficiariis aliquid inde utilitatis proueniat: sed apud idem cenobium culpe perseueret satisfactio, nisi in eo in quo tenentur satisfacere aduersario. Cetera ut breuiter omnia comprehendamus, omnem utilitatem, que spectat ad usus nostros vel nostrorum successorum, vel beneficiarios nostros a nobis infeudatos eis remittimus, ut plena et perfecta gaudeant libertate, et ut nullus eis nouas condiciones contra statuta nostra audeat imponere, et hoc ideo fecimus, quia quanto est fragilior et tenerior sexus muliebris diuinis mancipatus officiis, tanto amplioribus regie munificencie debet vallari beneficiis et muniri presidiis; statuimus etiam ut nullus camerarius intret villas monasterii ad aliquem citandum vel ad aliquid ibi faciendum, sed significet procuratori domus illius cui commissa fuerit procuracio in temporalibus, ut eos citari faciat, qui sunt citandi, quatinus die et loco determinato eos coram iudicibus statuat, quorum interest vel causas vel negocia regni nostri tractare et definire. Ut autem contra cuiuslibet inopinate occasionis impetus emergentes nostrum solempne statutum semper inconcussum permaneat et illesum tam nostris quam nostrorum temporibus successorum presentem paginam nostri sigilli munimine in testimonium roboramus. Nomina testium sunt hec: Zawisse castellanus. Budizlaus camerarius. Pribizlaus castellanus in Wewery et Cirho dapifer. Boscheco subcamerarius Brunensis et castellanus Znoymensis. Wecene iudex Brunensis. Rimo Brunensis magister venatorum. Cunradus notarius Brunensis. Otto capellanus curie. Rubinus procurator domini regis, et alii quam plures. Datum per manus Wilhelmi notarii. Anno ab incar. domini MCCXXXVIII.

E Monastico Ms. in archivo Rayhradensi.

CCCIII.

Heinricus, dux Wratislaviensis, confert domui s. Joannis villam Lassow sub testimonio Boleslai, quondam ducis Boemiae, et fratris ejus Sobēslai. Datum in Hobena, 1238.

Nos Henricus dei gracia dux Zlesie et Cracouie. Notum esse uolumus tam presentibus quam futuris. presens scriptum inspecturis. Quod fratribus

domus hospitalis ad honorem dei et ipsorum proficuum. villam que Lossowe nuncupatur. magistro Johanne fratre ipsorum et aliis fratribus qui ei substituentur. ipsam regente iure contulimus thevtonicali locandam. cum omnibus iudiciis que in hereditate supradicta occurrunt. Contulimus eciam super eandem hereditatem plenarie omnia iudicia iudicare. cum comicidii perpetracione. Si uero homo ibidem occiditur. uel abiudicatur morti. nuncius noster adesse debet. cum ipso iudice ville in eadem hereditate iudicaturus. ita quod due partes cedant domui supradicte. nobis uero tercia. Vt autem hoc ratum et firmum permaneat. sigilli nostri munimine fecimus paginam hanc roborari. Datum in hobena. anno M. CC. XXX. VIII. illo anno quo pater noster mortuus est. Affuerunt eodem tempore hii testes. *Dominus bolezlaus quondam dux Bohemie. et frater suus dominus Sobeslaus.* dominus chvnradus notarius. Albrehtus tunc temporis subdapifer. Adlardus ducisse camerarius. Stephanus subuenator ducis. Petrus filius Meche. Bogusa filius dobesu. pribisslauus filius dirsconis.

Ex originali in archivo Melitensium Pragae.

CCCIV.

Emmeramus de Medlow confert monasterio Tišnowicensi decimas argenti aliorumque metallorum e fodinis juxta castrum Lapidem (Zuberstein). Actum in castro Medlow (Pernstein), 1238.

Ego Emmeramus filius nobilis uiri Stephani de Medilowe omnibus hanc paginam inspecturis ad rei memoriam sempiternam. Vt ea, que ad diuini cultus augmentum pie ac prouide ordinantur, locis ac personis religiosis inconuulsa permaneant, necesse est, ut rei geste series scripti tenore acquirat monimentum indissolubile. Hinc est, quod ego Emramus de Medloue monasterio, quod *Porta celi uocatur in Tusnoue,* pro remedio peccaminum meorum contuli decimas argenti fodinarum nec non aliorum metallorum, que in montibus hereditatis mee *iuxta castrum Lapidem* reperta sunt hactenus uel in futurum reperiri poterunt. Et hec collatio facta est in manus serenissime domine Constancie, quondam regine Bohemorum, accedente fauorabili ad hoc consensu illustris domini mei *Premizl marchio-*

nis Morauie, qui iudici suo montium de *Igla* dedit in mandatis, quatinus sorores prefate in prefatis decimis percipiendis a nullo urburariorum in futurum inquietentur. Actum in castro Medloue anno domini MCCXXXVIII.

E codice Ms. Tischnowicensi.

CCCV.

Gregorius papa IX. confirmat ad petitionem praeposili Daubrawnicensis quasdam possessiones, quas quondam pater ejus Stephanus de Medlow huic monasterio contulerat. Datum Laterani, V. Kalendas Maji, 1239.

Gregorius episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis preposito et conuentui monasterii de *Daubravnik*, ordinis s. Augustini, Olomucensis diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod iustum est et honestum, tam vigor equitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti in domino filii, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, possessiones, quas quondam Stephanus, pater tuus, fili preposite, monasterio vestro pia liberalitate donauit, sicut eas iuste ac pacifice possidetis, vobis auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Dt. Laterani V. Kalendas Maii. Pontificatus nostri anno duodecimo.

Annales monasterii sancti Thomae Brunnae Ms. a. 1769. — pag. 8.

CCCVI.

Wenceslaus, rex Boemiae, monasterio Tišnowicensi in gratiam matris suae Constantiae fundatricis omnia bona et jura confirmat. Datum Pragae, Kalendis Maji, 1239.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis amen. Nos Wenzezlaus, miseracione diuina quartus rex Boemie, illustri domine dilectissime matri sue Constantie, regine regni eiusdem inperpetuum. Quanto diuina prouidencia uiros illustres Reges uidelicet ac principes in ecclesia dei constituit clariores, tanto ipsos ad promerenda premia claritatis eterne in

diligendis ac dirigendis caritatis operibus secundum religionem fidei catholice deuociores conuenit inueniri, et polissime in hiis, que ad opus christo collidie famulancium in pias causas et bonos usus misericorditer conuertuntur. Hinc est, quod uniuersis Christi fidelibus tam modernis, quam posteris scripti huius inspeccionem et copiam habituris exhibicione presencium duximus declarandum. Quoniam una cum fratre nostro Premizl illustri marchione Morauie ad pias preces domine ac matris nostre Constancie inclite regine Boemie pro fundando monasterio monialium grisei ordinis in loco, qui Tusnowiz dicitur, Brunensis districtus, cum deuocione ac beniuolencia toto animo inclinati, tam laudabili intencioni fauorabilem exhibuimus ac benignum hilari liberalitate consensum; id principaliter intuentes, quoniam pretaxata domina mater nostra tam pro nostra progenitorumque nostrorum, quam pro salute propria sumptibus largissimis in ipsis claustralibus edificiis sine intermissione laborat ad consummacionem operis inchoati. Quoniam vero semiplenum videtur, quod sine adieccione relinquitur, nos beneficiis regalibus crescere cupientes uniuersa bona siue in uillis aut theloneis, uel burgis forensibus et aliis quibuscunque, quocunque nomine censeantur, qualescunque reditus extiterint, seu predia per fratrem nostrum supra memoratum, uel alios cuiuscunque sint nominis, ad pretaxatum monasterium donacionis uel commutacionis seu uendicionis aut alterius cuiuslibet contractus titulo deuoluta, ad honorum omnipotentis dei ac gloriosissime genitricis eius uirginis Marie auctoritate regia predicto monasterio ac ibidem deo famulantibus in perpetuum confirmamus, gratiamque quam eidem claustro in confirmacione huiusmodi uel donacione alia qualicunque fecimus, ratam tenere perpetuo sine reuocacione uel diminucione permittimus. Nomina uillarum sepefati monasterii sunt hec: Tusnowiz, ubi construitur ipsum claustrum. Lomniz. Khneniz. Draszow. Schachchowiz. Szelezne. Tyszow. Wemizliz. Luckow. Nuluschan. Wynanow. Seysche. Capeniz. Intelligendum est eciam, hec omnia cum omnibus suis attinenciis, agris videlicet, pratis, pascuis, siluis, fluminibus, molendinis et aliis quibuscunque cullis siue incullis confirmacionis predicte iure censeri. Byrdniz. Yglaua cum theloneo. Preterea qvoniam predictam matrem nostram quam tenerrime diligimus uolumus in omnibus honorantes exaudire cedimus eciam ad peticionem ipsius de omni iure quod possemus post mortem eius habere

in bonis. in Vngaria comparatis. *Vt autem huius nostre confirmacionis liberalitas pia et felici recordacione perpetua et inuiolabilis perseueret, presentem paginam sigilli nostri karactere dignum duximus insigniri. Testium subscripcione adnexa. quorum nomina sunt in sequentibus subarata: Bernardus Pragensis episcopus. Eppo prepositus. Tobias decanus. Hermannus prepositus Lutomericensis. Stephanus prepositus Szaszensis. Bohuzlaus camerarius. Mizlridru burgrauius Pragensis. Albertus iudex. Rudolfus dapifer. Zobezlaus dapifer regis. Zbratizlaus pincerna. Bohuzlaus et Neulaz frater eius. Bohuzlaus filius Protiue.* Acta sunt hec Anno Incarnacionis domini Millesimo Ducentesimo Tricesimo Nono. Indictione Vndecima. Datum Prage per manus Wilhalmi notarii nostri. Kalendis Maii.

Ex originali in archivo ejusdem monasterii; sign. Y. I. 2. — Confer diploma ejusdem regis a. 1238. n. CCXCIII.

CCCVII.

Wenceslaus, rex Boemiae, monasterio Lucensi confirmat jus patronatus ecclesiae in Primĕlice. Actum in castro Znoymensi, III. Kal. Julii, 1239.

In nomine sancte et individue trinitatis. Uenzezlaus. dei gracia Quartus Rex Bohemorum. uniuersis Christi fidelibus tam moderni quam futuri temporis presentes litteras inspecturis salutem. Cum inter cetera virtutum insignia quadam excellencia speciali reluceant opera caritatis. ipsis primum debet intendere religio Christiana. per que multitudo gratiarum feliciter adaugetur ac post exilium huius mundi peregrinantibus celestis regni patria salubriter aperitur. Notum itaque sit omnibus tam presentis quam futuri temporis Christi fidelibus. quod nos Wenzezlaus dei gracia. Rex Boemorum. considerato et inspecto diligentius grauamine ac incommodo Ecclesie Lucensis. que a primis suis fundamentis a nostris est progenitoribus fideliter erecta et sollicite promota. pro remedio anime nostre parentumque nostrorum Regia liberalitate ac munificentia donamus ius patronatus ecclesie de villa nostra que Primetiz uulgariter nuncupatur. iam dicte ecclesie Lucensi. Insuper et confirmamus eidem auctoritate Regia

ius patronatus eiusdem ecclesie Primetiz. quod de collatione recolende memorie patrui nostri Wladizlai. et fratris nostri Premilz. Marchionum Morauie. cum omnibus suis appenditiis hucusque pacifice possedit et quiete quatinus subsidio a nobis impenso tam hilariter quam libenter prenominata possit Ecclesia liberius sub grauamine respirare. et fratres ibidem domino militantes uberius sustentari. Ut autem hec nostra donatio et confirmatio. qvam affectuose ac devote in pios usus et iustas causas duximus convertendam. rata et inuiolata perpetuo tempore perseueret. ad euitandum et resecandum totius ambiguitatis plantarium. obuiandumque malitie seu ignorantie hominum. presentem nostre donationis et confirmationis paginam sigilli nostri munimine fecimus insigniri. subscriptione nichilominus testium adhibita. qvorum nomina in sequentibus fideliter sunt asscripta. Magister phylippus. domini pape legatus. Magister Hermannus. minister fratrum minorum in Znoyem. premilz. capellanus sancte Katerine. Otto capellanus Regis. Helyas cappellanus Marchionis Morauie. Cunradus. scriba Brunensis. Magister Hylarius. Bozcho castellanus Znohemsis. Ruto camerarius Znohemsis et Betowensis. Wirso. Prostey. Lupus. Wilhelmus pincerna. castellanus in Wren et frater eius Wolframus. Branizlaus. Henricus. filius Pribrami. Hostoy. Sthephanus Ungarus. Sthephanus. Juuenis de Metlowe. Heynricus filius Pavli. Wocko de Benesow. nachrade et alii qvam plures. Acta sunt autem in castro hec Znoyemensi in die beatorum apostolorum petri et pauli. Anno domini M. CC. XXX. IX. Indictione XII. Epacta XII. Concurrente V. Datum per manus magistri Wilhelmi. Regis Boemorum protonotarii.

Ex originali in archivo ejusdem monasterii; sign. F. 6.

CCCVIII.

Robertus, episcopus Olomucensis, monasterio Oslowanensi jus patronatus ecclesie in Miroslaw (Myslice) cum decimis confirmat. Dl. in Zabrdowice, VIII. Kalendas Septembris, 1239.

R(obertus) dei gracia Olomucensis Episcopus vniuersis Christi fidelibus hanc paginam inspecturis salutem in domino. Nouerit vniuersitas

vestra. quod accedens ad nos nobilis Matrona domina Margareta cum liberis filii sui scilicet Harthlebi. Tomasio videlicet. Echardo. et Arthlebo suplicauit nobis humiliter et deuote. quatinus Monasterio in *Oslaa* confirmaremus ius patronatus in Ecclesia *sancti Petri in Myroslau.* et eidem Monasterio spiritualia cum omni iure de predicta ecclesia concederemus. quod pro deuocione. et oracionibus dominarum de oslaa libenter fecimus. decimas duarum villarum Wolchers. et podolice. plenarias supra nominato Monasterio similiter confirmantes. Omnes autem qui hanc nostram confirmacionem. seu ipsam Ecclesiam aut eius dotem. uel ministros ausu temerario inuaserint. excommunicamus. et dampnamus ipsos tradentes Sathane in interitum. nisi redierint ad penitenciam et debitam satisfactionem. Datum in Zabyrdowice. VIII. Kalendas. Septembris. Pontificatus nostri Anno XXX. Nono.

Ex originali in archivo ejusdem monasterii.

CCCIX.

Pribislaw de Krǐžanow, castellanus Brunensis, cum Sibylla uxore sua confert hospitali s. Spiritus Brunae ecclesiam in Krǐžanow cum decimis. Datum Brunae, III. Kalendas Januarii, 1239.

Pribizlaus nobilis vir de Crisanoue et castellanus Brunnensis vniuersis Christi fidelibus hanc paginam inspecturis salutem in domino. Diuine inspirationis votum differre non debet effectus, ne sancto pereunte proposito speratum quoque premium subtrahatur. Diuine inspirationis gratia accensi de consensu coniugis matrimonio nobis copulate Sibille nomine nostrorumque consensu pro remedio anime nostre nostrorumque presentium et futurorum et ut presentis uite statu cum incolumitate nobis nostrisque perfrui gratia diuina concedat, ad sustentationem pauperum et recreationem infirmorum ad *hospitale sancti Spiritus in Brunna,* quod a quodam prouido uiro *Rudlino* nomine, ciue Brunnensi de consensu uenerabilis Ruperti Olomucensis episcopi et capituli sui et gloriosi regis Bohemie Wenceslai constructum est, redditus nobis annuatim soluendos eidem supradicto hospitali perpetuo iure conferimus exsoluendos. Forma autem nostre donationis hec est: Ecclesiam in *Krisanoue* eidem supradicto hospitali perpetuo iure

conferimus; et ad idem hospitale contulimus decimas de omnibus villis ad ecclesiam iam sepedictam pertinentibus constructis uel in posterum construendis. De ecclesiis autem, si que in prefato circuitu construerentur in posterum de consensu supradicti venerabilis domini R. Olomucensis episcopi ac capituli sui, damus eidem hospitali ius patronatus, concedendo tam in cultis terris, quam in noualibus in ipso circuitu prouentus omnium decimarum de theloneis, de piscationibus lacuum et fluminum, de lignis ex nemore uendendis et sturis soluendis ex denariis ex iudiciis soluendis decimas eidem hospitali conferimus exsoluendas de aratris nobis pertinentibus in villa *Thuleschic* decimas integraliter conferimus et dimidium laneum, quod eo commodius possint decimas colligere. Insuper duas villas *Luscz* et *Radomilicz* in plenam proprietatem; preterea decimas ville *nastorowicze* nomine integraliter eidem hospitali ad sustentationem pauperum et recreationem infirmorum perpetuo condonamus. Quod si aliqua successorum nostrorum uel aliqua alia persona diabolice inspirationis instinctu nostre donationis beneficium retraxerit contra hanc nostre donationis et decreti paginam ire uel aliquam molestiam inferre temptauerit, auctoritate domini R. Olomucensis episcopi hic excommunicationi subiaceat et nisi reatum suum correxerit, in extremo examine eterne subiaceat vltioni. amen. Testes autem qui huic collationi interfuerunt sunt hii: dominus Theodricus abbas monasterii Zabrdouicensis. Frater Hermannus et minores fratres. frater Nicolaus prior predicatorum et frater Zacharias. Plebani in ciuitate Brunnensi: Baldninus plebanus ad sanctum Jacobum. Lutholdus et Petrata de sancto Petro et R(aschardus) scolasticus ibidem. Dominus Ratiborius de Doblin et Hartleb filius ipsius. dominus Cyrho dapifer regis. et Schastolaus frater ipsius. Gerhardus purgrauius in Olomucz. Boscho purgrauius in Znoym. Bohusse de Tazzow. Hortuinus de Lusche. Wignandus magister monete et omnes ciues Brunnenses et alii quam plures. Data Brunne per manus notarii nostri Wlczkonis tertio Kalendas Januarii indictione XIII. incarnationis dominice anno millesimo CC. quadragesimo. regnante domino nostro Jesu Christo, qui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

Ex Actis seculi XIV. in archivo archiepiscopali Olomucii.

CCCX.

Přemysl, marchio Moraviae, nobili viro Victori, filio Bludonis, ob fidei meritum nonnullas possessiones confert hereditarie, sub confirmatione regis Wenceslai. Actum in castro Pragensi, 1239.

In nomine Sancte Trinitatis et indiuidue vnitatis. Cum principum nomen uenustent honor et gloria, et laudum condiatur preconiis, quociens suorum inuigilant profectibus nobilium, ampliori studio dare operam iustice, consulit equitas, ut quicquid ab eis sollempniter agitur in largiendis retributionibus pro fideli ipsorum seruicio, perhennetur scripture memoria, et testium confirmatione, per obliuionem ne labatur uel euanescat, roboretur. Nouerint itaque presentes, et sciant futuri, quod ego Premizl, dei gracia Marchio Morauie, uiro nobili Victori, filio Bludonis, ob fidei sue meritum et seruicii deuotionem in villa Huzow contuli terras quatuor, spectantes ad castrum Olomucense, quas pater noster pie memorie Ottacarus, rex Boemorum, sibi contulerat, dum adhuc uiueret, adiciens ei supra hoc datum terras duas Gradicenses et duas uenatorum iure possidendas hereditario. In uilla uero Towyr dicta superaddidi tres terras eidem, ad castrum Olomucense spectantes, et alias tres, ad Gradech pertinentes et ad mensam domine duas terras respectum habentes de uoluntate mera domine Marchionisse. In villa autem Semitessich nomine unam terram, spectantem ad castrum Olomucense, et aliam venatorum terram. adiciendo simul alterem terram uenatorum in villa Bukouane prefato nobili contuli perpetuo possidenda in hereditatem et suis posteris. Insuper quia necessitati compassus mee obtulit mihi duos dextrarios, XXX ualentes marcas, pro ipsius tali dono recompensando, magis autem pro fidelitatis sue obsequio, supra predictam omnium collationem contuli quandam villam, Lazi nuncupatam, in ius hereditarium sibi et se sequentibus posteris suis. Sed quoniam hec omnia, que de beneuolentia principum et gracia largitatis emanant dona, plus euidentiori et manifesta declaratione necesse est elucescere, quatinus firmitatis robur obtineant aput eos, quibus sunt collata; ad peticionem predicti iam nobilis accessi personaliter ad fratrem meum Boemorum regem serenissimum, cum sincera deuotione humiliter ipsius regie maiestati supplicando, quatinus iunioris fratris sui inclinatus precibus consensum prestaret et uoluntatem, ad hanc meam donationem confirmandam

nobili viro Victori. Qui, prout decuit, celsitudinem sue magnificencie, regio affectu simul et assensu michi prestito ex fraterna caritatis dulcedine et peticioni annuit benigne uoluntatis sue occursu, et presentis scripti paginam regalis sui sigilli appensione munitam roborando effectui desiderato mancipauit. Sed ne imposterum calumpniose contra huius mee principalis donationis munus exhibitum nobili meo Victori uel posteritati ipsius, auctoritatis regie potestate confirmatum, agere attemptatibus prestetur audacia, uel malignandi occurrat inpulsus eis, qui bonorum inuident profectibus et infringere acta principum nituntur zelo inuidie, ad sopiendum omnia, si que emerserint huiusmodi machinamenta quorumlibet beneficia castrorum possidentium et aliorum omnium confutanda malignande fraudis astuciam, et siientium cunctis imponendum, ne furioso quodam impetu animi possint oblatrando iusticie obuiare, et irrita facere celebrata sollempniter testium, qui affuerunt, adnotatione, et qui intercesserunt personaliter presentia, et qui circuierunt tocius donationis metas distinguendo, assignando, signis confirmando, iuxta consilium uirorum nobilium, quibus desuper a deo datum est, affluere discretionis prouidentia, confirmaui in perpetuum esse inuiolata, et permanere stabilia. Quod si accidentaliter contingat, labentibus hominibus in ingressum universe carnis simul hoc labi in obliuionem, per scripti memoriam uiuat semper omnibus in recordationem. Generatio enim preterit, et generatio aduenit, sicut est uoluntatis diuine; sed quod littere declaratur exaracione, lectum uiuentibus uiuit, nec perimitur obliuione. Huius autem rei prime in villa Huzow de terris, Victori per dominum Marchionem collatis, prout superius dictum est, intercessores fuerunt, et per dominum regem pie memorie Ottacarum confirmatis nobilis uir Stephanus de Medlow et Swezlaus de borutow. Ii apud dominum marchionem. Vocco filius Boruth. et Cerhh. Hii autem huius donationis testes: Bohubico. Detericus. filius Gruth. Ctibor filius Predwoy. Jacobus. Protiwen filius Zulizlai. Onso filius Blud. Zlawata. Zpitata. Super terris uero sibi collatis ut prediximus in villa Towir et in villa semitess . . castri Olomucensis, quam de Gradech et terris domine marchionisse et uenatorum, et in villa Bukouene una terra uenatorum isti intercessores extiterunt: Ranocerus filius Welen. Conradus de Plauech. Hii autem perambulatores terrarum fuerunt, et assignatores simul, et metarum distinctores: Conradus Camerarius. Beneda

uenator. Zlauata. Prauona filius Wlassin. Ratibor de Belkouich cum fratre Tworimir. Prebor filius Rathmiri. Werch prefectus super uenatores. Venatores autem isti: Milik. Queton. Dragon. Budik. Otrok. Zmil villicus de Gradech. Jan. Homines Gradiscenses: Male et Puten. Camerarii castri Olomucensis: Damozlaw. Sdis. De uilla autem nuncupata Lazi pro recompensatione dextrariorum duorum, quos domino Marchioni obtulit in valore XXX marcarum prefatus nobilis victor, isti fuerunt petitores. Vocco filius Boruth. Oness. Cerhho. Et hii circuierunt metas ville certis limitantes signis, et eam Victori assignantes: Spitata uenator curialis. Zlauata. Dirzizlaus filius Sudiwoy. Bun filius preborii. Prauone filius Wlassin. Prebor filius Rathmiri. Simplices uenatores: Smil. Otrok. Budik. Misslik. Kueton. Dragon. Omnium autem eorum, que prenotauimus, per dominum Marchionem Victori collatis confirmatio facta est per serenissimum Regem Boemorum, Wencezlaum, in presencia horum testium: Bernardus Episcopus pragensis. Mstidruch burgrauius pragensis. Albertus de Zliwen. Vocco subcamerarius domini regis. Pakozlaus magnus. Milich. Ydik filius Milich. Ratibor de Deblin. Ranozer filius Welen. Oness filius Bludonis. Conradus de plauech. Moyech. Beneda uenator. Ranozerus de plauch. Acta sunt autem hec Anno dominice incarnationis Millesimo CC. XXX. IX. in Castro pragensi, et regio confirmata sigillo, et domini Marchionis sigilli appensione munita. Datum per manum Wilhalmi, notarii domini regis.

Ex originali in archivo monasterii Gradicensis.

CCCXI.

Robertus, episcopus Olomucensis, monasterio Tišnowicensi confirmat jus patronatus ecclesiae s. Wenceslai in Tišnowice. Actum in Bruna, 1239.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Rubertus dei gracia Olomucensis episcopus. Vniuersis Christi fidelibus hanc paginam inspecturis salutem in domino. Nouerit presens etas et successura posteritas, quod nos ad peticionem illustris Regis Boemie Wenceslai et fratris sui *Premizel*, illustris Marchionis Morauie, necnon et serenissime domine nostre Regine *Constancie* confirmauimus ius patronatus in *ecclesia sancti Wencezlai in*

Tussnowicz monasterio, quod uocatur porta celi ibidem constructo ad usus monialium ordinis Cysterciensis domino inibi seruientibus cum omnibus suis appendiciis, villis, laneis, decimis plenis, pratis, siluis; volentes, ut per ea bona deinde claustrum eleuetur largius et ditetur. Quo facto item petiuit a nobis domina nostra dicta Regina, quatenus claustro prelibato confirmaremus nostra dispensacione decimas eciam omnium suarum ecclesiarum iam habitarum, et habendarum, ut essent dominarum antedictarum usibus perpetuo profuture; quod et libenter fecimus propter ipsius Regine specialem dilecionem et deuocionem earundem monialium et oraciones. Sacerdotibus tamen ipsarum ecclesiarum prebendam sufficientem nichilominus ordinantes: Omnes autem qui hanc nostram confirmacionem seu ipsas ecclesias aut earum dotes uel ministros ausu temerario inuaserint, excommunicamus et damnamus, ipsos tradentes Sathane in interitum, nisi redierint ad penitentiam, et debitam satisfaccionem. In huius rei roboracionem presentem paginam nostro sigillo insigniuimus coram testibus, quorum nomina sunt hec: Dominus Hartmannus abbas de Welegrad. Dominus Theodricus abbas de Zaberdowiz. Dominus Gerlacus abbas de Gradiss. Nicolaus archidiaconus Brunnensis. Stizlaus prepositus ibidem. Chunradus notarius Brunnensis. Marchquardus plebanus de Ywansic. Magister Hylarius. Preduoi. Jeronimus. Johannes. Schedron, cappellani domine Regine. Vlricus prepositus in Ozla. Nobiles. terre: Dominus Pribizlaus. Ratiborius. Gerhardus. Stiborius. Parduz. Zudimirus. Cyrho. Schaztolaus. Buno. Beneda. Milotha. Nynko. Styborius de Lipnik. Acta sunt hec in Brunna anno gracie MCCXXXIX. Pontificatus nostri anno XXXIX.

Ex originali confirmatione regis Otakari a. 1255. ejusdem monasterii.

CCCXII.

Meško, dux de Opol, ordini s. Joannis in Gröbnig et Makow libertatem sortibus „Chischi“ in castro Kosel concedit. 1239.

In nomine domini nostri Jhesv. christi filii sancte virginis. Marie. Amen. Ego Mesco filius Kazimiri dux de terra. Opoliensi. Notum facio tam presentibus quam futuris christi fidelibus. quod coram me. et meis

baronibus et curialibus mehis. Comes Goszlaws de predio. *Yodlornich.* cum filiis suis. contulit ospitali sancti Johannis domui de *Grobnic.* ipsam domum magistro. Bogvsa in Grobnic. regente. et aliam domum. in *Macor* fratre. Potrcone regente. Sortes quas habuit castro. Qvosle que uocantur. Chischi. et ego dux Mesco pro salute mea et pro anima patris mei Kazimiri. contuli eisdem sortibus plenariam libertatem. a prouocacione. coram castro. et a Strosa. et a stan. et a prevod rente mee. contuli eciam eis in eisdem sortibus tabernam. et fluuio qui vocatur. Odra. clavsuram percuti. ut domus habeant piscium habundanciam. Cvius rei testes sunt hi. Andreas. Palatinus. Predborius. ivdex curie. Nicholavs miles. Yaxo. castellanus de Rosech. Vernerus castellanus de Qvosli. Semiianus. castellanus de Ratibor. Johannes. castellanus de Tesin. Otto subcamerarius. Hotco subpincerna. Pribislaws. subdapifer. Wisslaws. subvenator. Marcus frater eius. Andreas saba. Bertoldus Jacobus frater eius. Hivalo. canonicus de Qvosle. Boceporius. notarius curie. Johannes sacerdos curie. Albertus sacerdos curie. Jaroslav miles. Actum ab incarnacione domini nostri Jhesv christi Millesimo CC. XXX. Nono. Principatus nostri Anno primo. †.

Ex originali in archivo Melitensium Pragae — in Actis commendae Groebnicensis.

CCCXIII.

Gregorius papa IX. abbati Gradicensi et priori Daubrawnicensi. mandat, ut Olomucensis episcopi cessionem officii spontaneam vice Apostolici recipiant. Datum Laterani, XVI. Kalendas Februarii, 1240.

Gregorius episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis . . Abbati de *Gradis* Premonstratensis ordinis et . . priori de *Dubrarak* (sic) Olomucensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Vsque in senectam et senium venerabilis frater noster . . *Olomucensis* episcopus iam perductus, prudenter agnoscens dei misericordiam in flagellis, et attendens, quod et insanabili sicut creditur infirmitate grauatus nec non et confractus senio pastorale nequit officium ut expedit adimplere: nobis per suas literas humiliter supplicauit, ut cum oneri pastoralis officii cedere sit paratus, cessionem eius recipere curaremus. De vestra itaque circumspectione plenam

in domino fiduciam obtinentes, mandamus quatenus recipiatis ipsius cessionem spontaneam vice nostra, et ad cedendum auctoritate nostra cogatis eundem, si forte ipsum contingeret penitere. Datum Laterani, XVI. Kalendas Februarii. Pontificatus nostri anno XIII.

E Regesto Gregorii papae IX. anni XIII. ep. 206. in Tabular. Vaticanis.

CCCXIV.

Wenceslaus, rex Boemiae, monasterio Zabrdowicensi molam adjacentem cum nonnullis pertinentiis confert. Datum Brunae, XVII. Kalendas Junii, 1240.

In nomine Jesu Christi. Amen. Wenceslaus miseratione diuina quartus rex Bohemie, monasterio gloriose virginis Marie in *Zaberdouicz* in perpetuum. Dignum est, et rationi consentaneum, viros religiosos fidei domesticos, charitatiuo deuotionis studio promouere, ac per ipsorum indigentiam loca venerabilia oculo misericordie intueri. Nouerit itaque presens etas, ac futura posteritas, quoniam pro remedio anime nostre, ac progenitorum nostrorum monasterio piissime Dei genitricis Marie in Zabrdouicz, molendinum quoddam eidem claustro contiguum, quod aliquando Darenonis extiterat, cum omnibus attinentiis, agris, piscatione et aqua, vsque ad aliud molendinum cuiusdam Mikul nomine, iure perpetuo, ac hereditario munificentie regalis, hilari liberalitate contulimus. Vt autem donatio pretaxata, rata et inuiolabilis, perpetuis temporibus perseueret, presentem paginam sigilli nostri munimine duximus insigniri, testium nihilominus subscriptione adhibita, quorum nomina in sequentibus exprimuntur. Nicolaus iudex Bohemie. Albertus. Nachepluk. Bohuslaus. Radim. Boruta. Pribislaus castellanus Brenensis. Milich camerarius. Ydik. Zlaibor. Ratibor castellanus de Gradez. Cyrho. Castolow. Wecen. Budislaus. Ones. Victor. Bludo. Zbitata. Bohubude. Rutho camerarius Znoymensis. Bosco subcamerarius. Wilhalmus. Lupoldus. Wluramus. Proztey. Gerardus castellanus Olomucensis. Predbor. Pribizlaus. Wirhoslaus. Wers. Welen. Leo. Dobes. Leo. Carol. Benek. Gerlacus abbas Gradicensis. Joannes abbas Lucensis. Ambrosius prepositus Cunicensis. Arnoldus abbas Trebicensis. Robertus prior Luto-

mislensis. Acta sunt hec anno gratie M. CC. XL. Indictione XIII. Datum Brune per manus Wilhelmi notarii XVII. Kalendas Junii.

Ex Annalibus Zabrdowicensibus Mss. in registratura c. r. Gubernii.

CCCXV.

Gregorius papa IX. hospitali sancti Spiritus ante Brunam jus patronatus ecclesiae in Křžanow nec non alias possessiones confirmat. Datum Laterani, XVI. Kalendas Junii, 1240.

Gregorius episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis magistro et fratribus hospitalis s. *spiritus in Brunna* Olomucensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Sacrosancta Romana ecclesia deuotos et humiles filios ex assuete pietatis officio propensius diligere consueuit. et ne prauorum hominum molestiis agitentur eos tamquam pia mater sue protec-cionis munimine confouere. Eapropter dilecti in domino filii vestris iustis postulacionibus grato concurrentes assensu. personas vestras et locum in quo diuino estis obsequio mancipati cum omnibus bonis. que impresencia-rum racionabiliter possidet. aut in futurum iustis modis prestante domino poterit adipisci. sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specia-liter autem ius patronatus ecclesie de *Crissanowe.* quod diocesani episcopi et capituli sui accedente consensu canonice proponitis vos adeptos de *Lucz* et de *Radomilicz* villas curtem iuxta Brunnam. vineas possessiones redditus necnon libertates et immunitates secularium exaccionum. a carissimo in christo filio nostro illustri rege Boemie vobis et vestro hospitali pia et prouida deliberacione concessas prout in eiusdem litteris confectis exinde dicitur plenius contineri. et alia bona vestra sicut ea omnia iuste ac paci-fice obtinetis. vobis et per vos ipsi hospitali auctoritate apostolica confir-mamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino ho-minum liceat hanc paginam nostre protectionis et confirmacionis infringere. uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis dei et beati Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Laterani XVI. Kalendas Junii. Pontificatus nostri anno quartodecimo.

E vidimatione ab anno 1416. in archivo Melitensium Pragae.

CCCXVI.

Wenceslaus, rex Boemiae, monasterio Tišnowicensi ad instantiam matris suae Constantiae in fratris sui Přemysl, quondam marchionis Moraviae, ibidem sepulti animae remedium circuitum Krnow in Holasicensi districtu confert. Dt. Brunae, V. Kalendas Maji, 1240.

In nomine sancte trinitatis et indiuidue unitatis. Amen. Wencezlaus diuina clementia quartus rex Boemie, monasterio gloriose uirginis Marie in *Tusnowize* inperpetuum. Quoniam per uirtutum insignia et karitatis opera in peregrinatione huius seculi supernam Iherusalem debemus inquirere, summopere nobis satagendum est, ut uitam actiuam cum Martha gerentes eis temporalia ministremus, qui sedentes ad pedes domini elegerunt partem optimam cum Maria, quatinus ipsi nostris subsidiis temporalibus, et nos eorum oracionibus alterutrum adiuuemus. Vniuersis itaque Christi fidelibus presentibus et posteris huius scripti copiam habituris presencium exhibicione duximus declarandum, quoniam ad honorem gloriose uirginis dei genitricis Marie, nec non ad preces et instanciam illustris matrone domine ac matris nostre *Constantie,* quondam Regine Boemie, nouelle ipsius plantationi. monasterio uidelicet in Tvsnowice *circuitum quendam in districtu Holascensi, Kyrnow uulgariter nuncupatum* cum omnibus appendiciis suis, willis, agris, pratis, siluis, fluminibus et aliis cultis siue incultis, quocunque nomine censeantur, regie liberalitatis munificentia perpetuo ac hereditario iure contulimus hilariter ac libenter; et hoc fecimus precipue pro remedio anime fratris nostri *Premizl clare memorie quondam illustris marchionis Moravvie, cuius corpus in prenominato monasterio requiescit,* ut religiose persone tam femine, quam viri sub regula monastica ibidem domino famulantes, ob huiusmodi memoriale ipsum una nobiscum ac progenitoribus nostris suarum orationum participes faciant et consortes. Vt autem super donatione prescripta tocius inpugnationis materia. et dubitationis scrupulus omnimodo precidatur, ac Regie liberalitatis titulus inuiolabili robore munitus perpetuo perseueret, presentem paginam sigilli nostri munimine duximus insigniri. Testium subscripcione nichilominus adhibita, quorum nomina in sequentibus annotentur. Gerhardus burcrauius Olomucensis. Milische et fratres eius, Idik et Slawiborius. Zpitata. Predborius. Ratiborius de

Deblin et filii ipsius Hartliebus cum Jance. Pribizlaus de Malomerice. Cyrho et frater ipsius Schaztolow. Nahrad. Wurchozlaus. Wiecen iudex Brunnensis. Rimo. Karolus et frater ipsius Benco. Boscheco burcrauius in Znoym. Proztei. Hruto camerarius Betowiensis et Znoymensis. Budis de Budisovv. Budizlaus et frater ipsius Zawisse de Tazzov. Bohusse et Biznata. ipsius frater. Ztiborius. Gallus. Zobezlaus. Jaros de Boemia. Erkenbreht burcrauius de Starkenberch cum filio suo. Acta sunt hec anno gratie Millesimo CCXL. Indictione XIII. Datum Brunne per manum Wilhalmi notarii V. Kalendas Maii.

Ex originali in archivo c. r. aulico Vindobonae.

CCCXVII.

Gregorius papa IX. ordini fratrum praedicatorum indulget, ut commissiones causarum et sententiarum executiones recipere non teneantur. Datum Laterani, IV. Nonas Julii, 1240.

Gregorius episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis . . magistro et fratribus ordinis predicatorum. Salutem et apostolicam benedictionem. Quieti vestre providere uolentes. auctoritate uobis presentium indulgemus. ut commissiones causarum uel sententiarum executiones. a sede apostolica uel delegatis eius seu a quibuslibet aliis factas uobis. sine uestra non teneamini recipere uoluntate. nisi in litteris apostolicis de concessione huiusmodi mentio habeatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis dei. et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Laterani IIII. Nonas Julii Pontificatus nostri anno quartodecimo.

Ex originali in archivo conventus Olomucensis.

CCCXVIII.

Gregorius papa IX. ordini praedicatorum indulget, ut in ordinem intrare volentibus absolutionem latae in eos sententiae impendant. Dt. Laterani, IV. Nonas Julii, 1240.

Gregorius episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis . . magistro et prioribus ordinis predicatorum. Salutem et apostolicam benedictionem. Auctoritate uobis presentium indulgemus. ut si contigerit aliquos ordinis uestri religionem intrare uolentes. in canonem late sententie incidisse. ne pium eorum propositum possit ullatenus impediri. si eos ad sedem apostolicam laborare oporteat. eis absolutionis beneficium impendatis. dummodo dampna passis et iniuriam satisfaciant competenter. nisi forte usque adeo grauis fuerit et enormis eorum excessus. quod sint merito ad sedem apostolicam transmitendi. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere. uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit. indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Laterani IIII. Nonas Julii. Pontificatus nostri anno quartodecimo.

Ex originali ibidem.

CCCXIX.

Gregorius papa IX. mandat, ut fratres praedicatores ab ordine discedentes et propter hoc ipsum excommunicati ab omnibus evitentur. Datum Laterani, IV. Nonas Julii, 1240.

Gregorius episcopus seruus seruorum dei. Venerabilibus fratribus archiepiscopis. et episcopis. et dilectis filiis abbatibus. prioribus. decanis. prepositis. archipresbyteris. archidiaconis. et aliis ecclesiarum prelatis ad quos littere iste peruenerint. Salutem et apostolicam benedictionem. Cum dilectorum filiorum . . magistri et fratrum ordinis predicatorum precibus inclinati per nostras inhibuerimus litteras ne quis post professionem eidem ordini factam. ab ordine ipso sine sui prioris discedat licentia et discedentem absque cautione communium litterarum . . prioris et fratrum ipso-

rum auctoritate alicuius priuilegii ab apostolica sede indulti nullus audeat retinere. Vniuersitati uestre per apostolica scripta mandantes. quatinus quoslibet contra inhibitionem nostram ab ipsorum fratrum ordine discedentes et propter hoc excommunicatos ab ipsis usque ad satisfactionem condignam arcius euitetis. et faciatis ab omnibus euitari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre inhibitionis infringere. uel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit. indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Laterani IIII. Nonas Julii. Pontificatus nostri anno quartodecimo.

Ex originali ibidem.

CCCXX.

Robertus, episcopus Olomucensis, confirmat hospitali sancti Spiritus ante Brunam possessionem ecclesiarum in Křjžanow et in Starowice. Datum apud Zabrdowice, IV. Nonas Julii, 1240.

Rubertus dei gratia Olomucensis episcopus omnibus Christi fidelibus presens scriptum inspecturis salutem in Domino. Quanto maius est gaudium Christi pauperibus, cum eis gratia solacii aliquarum rerum impenditur et suis necessitatibus misericorditer subuenitur, tanto id facienti salubrius et retributori omnium bonorum acceptius pro certo credimus et speramus. Vnde noscat tam presens hominum etas, quam in Christo successura posteritas, quod nos *ecclesias in Krisanov et in Strasouiz*, quas vir honestus Pribizlaus nomine supanus cum sua coniuge Sibilla nomine diuino nutu excitati non solum pro sua, uerum et suorum predecessorum ac successorum et omnium fidelium tam viuorum quam etiam defunctorum salute *ad hospitale in Brunna in honore s. Spiritus* fabricatum obtulerunt et decimas de cunctis villis edificatis et edificandis ad Krisanov et in Strazouiz pertinentium et etiam ecclesias edificatas et etiam edificandas in eadem hereditate et aliquas villas proprie datas ad petitionem predictorum P. et S. auctoritate episcopatus nostri confirmamus. Rei huius testes sunt: Esau canonicus et alii canonici Olomucensis chori. Nicolaus et Radislaus archi-

diaconi et alii prelati. Abbas de Zaberdouiz Dytricus. prior predicatorum Nicolaus. senior fratrum minorum frater Hermannus. Dominus Gerhardus purgrauius in Olomucz et filius eius Boscho purgrauius in Znoyma. dominus Ratiborius et filius eius dominus Hartlibus purgrauius in Brunna et dominus Cyrho. Datum anno M. CC. quadragesimo. Quarto Nonas Julii aput claustrum Zabrdouicz pontificatus nostri absque duobus XL. anno.

Ex Actis sec. XIV. in archivo archiepiscopali Olomucii.

CCCXXI.

Gregorius papa IX. fratribus ordinis praedicatorum inhibet, ne quis post professionem ab ordine discedat. Dt. Laterani, III. Nonas Julii, 1240.

Gregorius episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis . . magistro et fratribus ordinis predicatorum. Salutem et apostolicam benedictionem. Cum paupertatem et uitam profiteamini regularem. insistentes ex pio quem uobis dominus inspirauit. affectu euangelizationi uerbi dei quo populus christianus numero et merito ampliatur. auctoritate presentium inhibemus ne quis post ordinis uestri professionem ab ordine ipso sine sui prioris discedat licentia. discedentem uero absque cautione litterarum nostrarum auctoritate alicuius priuilegii ab apostolica sede indulti nullus audeat retraere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre inhibitionis infringere uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit. indignationem omnipotentis dei. et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Laterani III. Nonas Julii. Pontificatus nostri anno quartodecimo.

Ex originali conventus Olomucensis.

CCCXXII.

Gregorius papa IX. fratribus ordinis praedicatorum indulget, ut ad officium correctionis et visitationis aliorumve impendendum non teneantur. Datum Laterani, pridie Nonas Julii, 1240.

Gregorius episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filiis . . Magistro et fratribus ordinis fratrum predicatorum. Salutem et apostolicam bene-

dictionem. Inspirationis diuine gratia faciente. uos quos in luce gentium dei sapientia dedisse dinoscitur ad hoc continuis desudatis affectibus. ut spiritualem consequendo letitiam que per quietem contemplationis acquiritur et predicationis sacre studium obtinetur. sic decurratis presentis uite spatium. quod annuente Jesu Christi clementia. uobis tandem ac proximis proueniat gloria perpetue claritatis. Digne igitur quia per ea que uobis a sede apostolica committuntur principalis uestri propositi nonnunquam executio impeditur. et non modicum saluti detrahitur animarum auctoritate uobis presentium indulgemus. ut ad correctionis seu uisitationis officium monasteriis uel ecclesiis impendendum. necnon ad executiones causarum. et denuntiationes excommunicationum procedere uel recipere curam monialium seu religiosarum quarumlibet nulli fratrum uestrorum decetero per litteras apostolicas teneantur nisi expresse de hac indulgentia fecerint mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere. uel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Laterani II. Nonas Julii. Pontificatus nostri anno quartodecimo.

Ex originali ibidem.

CCCXXIII.

Wenceslaus, rex Boemiae, monasterio Oslowanensi capellam apud Novam ecclesiam constitutam confert. Acta apud Camik, pridie Kalendas Julii, 1240.

Wencezlaus dei gratia quartus Rex Boemie. Vniuersis tam presentibus quam futuris hos apices inspecturis. in salutis auctore salutem. Actiones que ratione pietatis congrue ac iuste fiunt ex deuocione pro Christo ut stabiles ac firme permaneant. necessarium et decens est ut scripti memoria ad repressionem tocius calumpnie confirmentur. Hinc est quod significandum duximus vniuersis. quod nos. *capellam apud Nouam Ecclesiam* constitutam. claustro in *Ozlawan* iure nostri patronatus contulimus perpetualiter possidendam. iure perhenni eidem confirmantes eandem. In cuius

rei euidentiam et perpetuam pretaxate donationis firmitatem. presens scriptum sigilli nostri karactere iussimus insigniri. Acta autem sunt hec Anno dominice incarnationis Millesimo. CC. XL. XIII. Indictione apud Camik per manum Notarii Wilhelmi pridie Kalendas Julii.

Ex originali ejusdem monasterii.

CCCXXIV.

Capitulum Olomucense ratihabet confirmationem Roberti episcopi hospitali sancti Spiritus ante Brunam super ecclesiis in Krjžanow et in Starowice. Datum Olomucii, IV. Nonas Augusti, 1240.

Conuentus canonicorum Olomucensis cleri omnibus Christi fidelibus presens scriptum inspecturis orationum obsequium. Noscat presens hominum etas et in Christo successura posteritas. quod nos ex consilio de communi capitulo ecclesias in *Crizanow* et in *Starowicz* et decimas de cunctis villis edificatis et edificandis traditas a viro honesto Pribyslao nomine supano et coniuge sua Sibilla nomine ad *hospitale in Brunna in honore sancti Spiritus* fabricatum. quas venerabilis pater noster Olomucensis episcopus Rubertus dei gratia nomine ad petitionem predictorum P. et S. confirmauit et nos communi auctoritate capituli Olomucensis firmiter confirmamus, ad testimonium fratrum nostrorum Johannis. Dytrici. Esav. Moysen. Radslai et Nicolai. Datum anno Millesimo CCXL in Olomucz IIII. nonas Augusti.

Ex originali in archivo Melitensium Pragae.

CCCXXV.

Wenceslaus, rex Boemorum, Ulrico Nigro et ejus fratribus, Brunensibus civibus, confirmat possessionem quatuor mansorum in Menice et Pohořelice. Datum Brunae, mense Augusto, 1240.

In nomine domini amen. Nos Wencezlaus dei gracia rex Boemorum quartus, omnibus presentium noticiam habituris in perpetuum. Cunctis istarum testimonio tam presentibus, quam futuris fieri volumus manifestum, quod

nos considerantes grata et accepta seruicia fidelium ciuium nostrorum Brunnensium. Olrici Nigri et fratrum eius, que nostre celsitudini exhibuerunt incessanter, duos mansus in *Menis*, et duos in *Pohoreliz* eo iure, quo a fratre nostro clare memorie Marchione Morawie ipsos quiete et pacifice possederunt, de speciali gratia contulimus cum suis attinentiis; volentes eosdem cum suis heredibus possessionibus prefatis absque grauamine quolibet et impedimento gaudere. Presenti nichilominus statuentes edicto, ne quis heredum aut successorum nostrorum hanc nostre donacionem excellencie, quam predictis ciuibus nostris et eorum heredibus perpetuo possidendam presentibus confirmamus, irritare debeat, aut in ipsorum preiudicium et grauamen de ipsa quicquam immutare, sed semper ipsam ratam et inuiolabilem conseruet per omnia, vt est iustum. Volumus eciam et irreuocabiliter statuimus, ne prefatos ciues nostros quisquam de personis ecclesiasticis vel mundanis in possessionibus prenotatis impedire, molestare uel perturbare presumat. In huius itaque regie donationis et confirmationis euidenciam, presentis priuilegii paginam prescriptis ciuibus nostris, cum testimonio subscriptorum duximus exhibendam, nostrorum sigillorum appensione munitam et perpetuo valituram. Testes: Ratyborius de Deblin. Lupoldus pincerna. Bochko filius Gerardi. Rubynus iudex Brunnensis, et alii quam plures. Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XXXX. mense Augusto, indictione XIII. Datum Brunne, in domo Brunonis antiqui, per manum curie nostre notarii Rembothonis, anno, mense et indictione prescriptis.

Ex originali in archivo c. r. aulico Vindobonae.

CCCXXVI.

Gregorius papa IX. universis ecclesiarum prelatis, regibus, et principibus (inter quos etiam rex Boemiae atque *Olomucensis* et Pragensis episcopi nominantur) indicit concilium ad festum Resurrectionis domini proxime venturum. Datum apud Criptam ferratam, V. Idus Augusti, 1240.

Idem indicitur iisdem secunda vice pro eodem termino. Dt. Laterani, Idibus Octobris, 1240.

Palacky's Reise pag. 28. — e Regesto Gregorii papae IX. lib. XIV. epistolae 270 et 282.

CCCXXVII.

Wenceslaus, rex Boemorum, confirmat monasterio Gradicensi universas libertates, exemtiones, nec non possessiones latissime descriptas. Datum Pragae, Kalendis Septembris, 1240.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis amen. Wenceslaus, dei gratia IV. rex Boemorum, ecclesie beate Marie sanctique Stephani prothomartyris, et domino Roberto abbati eiusque successoribus in *Gradiss* Premonstratensis ordinis secus Olmutz in perpetuum. Regali congruit dignitati, sanctam ecclesiam, a qua cuncta bona procedunt, ab omnibus uenerari, eiusque iura illesa omnia et illibata conseruari, quatenus ministri, in ea deo famulantes, qui prouisi pacis libertate iucundius altissimo deseruiunt, hanc ex nostre liberalitatis gratiam sibi in perpetuum gaudeant concessisse. Nouerint igitur tam presentes quam futuri, quod nos ad petitionem dilecti capellani nostri, domini Roberti, abbatis Gradicensis, premonstratensis ordinis, qui multiplici sue deuotionis famulamine penes nostre magnitudinis excellentiam se exhibuit meritorium et fidelem, ecclesiam dictam Gradicensem et ipsum abbatem ac successores ipsius ea libertate et omni eo iure gaudere uolentes, qua gaudet ecclesia sancta Olomucensis, omnia ipsorum priuilegia, noua et antiqua, tum a patre nostro felicis memorie Premisl, rege tertio, tum etiam ab auo nostro Wladislao, secundo rege, et Wratislao, primo rege Boemorum, ac aliis principibus Morauie et Boemie concessa, renouamus, superaddentes eis amplioris gracie beneficia, que in sequentibus continentur, plenarie ea ex nostre benignitatis clementia indulta totaliter et ratificata confirmamus, et omnes possessiones, videlicet ciuitates et uillas, quas nunc possidet dicta ecclesia Gradicensis, uel prius possedit, uel est possessura, siue sint in Morauia siue Boemia, acquisite uel acquirende, ab omni genere tributorum, uectigalium, collectarum aliarumque exactionum esse decernimus liberas et absolutas; adiicientes, ut nullus pro edificatione castrorum, siue pro aliqua ingruenti necessitate uel expeditione homines dicte abbatie audeat inquietare, seu ad fossata circa castra uel oppida facienda, seu etiam pontes edificandos coactione compellere, precipue cum aggrauaminibus, cum ab huiusmodi Gradicensis abbatia antecessorum nostrorum priuilegiorum beneficio sit

exempta. Jus, quod datur pro capite siue fure, uel pro Zwod, uel pro eo, quod uulgo dicitur Chiztotne, ad usum abbatis et conuentus dicti loci ac ipsorum successoribus concessimus perpetuo obtinendum; hoc statuentes de fure, quod si in maleficio fuerit deprehensus, residens in prediis abbatie et per iustam sententiam beneficiatorum condempnetur, bona furis plene remaneant ecclesie supradicte. Si uero homines abbatie dicte in aliquo casu manifesto uel occulto, in quo subire eos oporteat iudicia ferri candentis, siue aque, uel uomeris, uel etiam duelli, et in quolibet istorum uel alterutro istorum succubuerint, uel etiam adiuti fuerint, exinde nostris iudicibus curialibus uel uillicis seu beneficiariis nihil proueniet utilitatis, sed ad usum abbatis et conuentus, ac ad ipsorum successorum utilitatem perseueret culpe satisfactio in integrum, nisi in eo reus, quod debet, satisfaciat aduersario et offenso; inhibentes firmiter super homines abbatie nominate spolia et uenditionem illam, que solet fieri propter uie grauis dispendia, ubi de communi strata fit digressio secus uiam propter euitationem mali transitus. Similiter in occupatione metarum si aliqui eiusdem ecclesie homines in iudicium fuerint euocati et iudicati, satisfactio culpe dicte remaneat ecclesie, et conquerenti satisfiat. Cetera uero ut breuiter comprehendamus, omnem uenditionem uel emendam, que de causis uel ratione culparum ad usus regis uel principum aut beneficiariorum ab hominibus dicte abbatie cedere debent, remittimus ea, et concedimus domino Roberto abbati et conuentui ac ipsorum successoribus perpetuo libere possidenda, ut ex his perfectiori possint gaudere libertate. Nec ullus eis nouas conditiones audeat imponere, uel ipsorum iura uiolare, uel ausu temerario aliquatenus immutare. Volentes etiam eandem ecclesiam ab impetitionibus indebitis exonerare, et perpetue paci ecclesie memorate et fratrum ibi degentium prouidere, hanc libertatem statuendo eisdem concedimus, quod nullus camerariorum uel beneficiariorum uel nuntii ipsorum beneficiariorum audeant ciuitates uel uillas ipsorum ingredi ad ipsorum homines euocandos ad iudicium uel citandos, seu occasione alicuius cause uel culpe inuente aggrauandos; nec etiam uolumus admittere, ut homines ipsorum uel domus hominum eorum peruideantur a camerariis, per iudicem seu beneficiarios a castro ad hoc deputatis. Sed si ex euentu hoc contigerit, quod homines ipsorum ad iudicium beneficiariorum citari debeant, uel si etiam super aliqua causa

accusentur, ad dominum abbatem uel prepositum aut iudicem ipsorum mittant beneficiarii, quatenus ipsi suos homines a quocunque accusatos coram iudicio presentari faciant loco et termino assignato, super sibi obiectis responsuros, et nullo modo a camerariis uel nunciis beneficiariorum citentur. Volumus etiam, ut homines ecclesie supradicte a nullo forestariorum nostrorum, qui uulgariter Lowczy uel Hayny dicuntur, ad ingrediendas siluas nostras uel comparandas per uim aliquatenus compellantur, sed libere ac pacifice siluas, quascumque uolunt, intrent, comparantes in eis necessaria, prout possunt; in promptu autem causa est, quare huiusmodi uiolentias fieri prohibemus, quia sine graui lesione pauperum hec non possunt aliquatenus exerceri, precipue cum omnis culpe satisfactio ad abbatis et fratrum transeat utilitatem, et nihil nobis ex his importetur utilitatis, uel beneficiariis augeatur aliquid emolumenti, presertim cum libertas ius suum semper indemne debeat obtinere. Statuimus, ut in omnibus ciuitatibus: *Knyenicz, Switauia, Kygiow, Hranicz, Strelna,* et uillis, imo in nouis plantationibus ipsorum nunc habitis, uel in futurum habendis, fora et omnes libertates, et ea omnia iura plene haberi possint, que in ciuitatibus ac uillis et nouis plantationibus, ad nostre dignitatis culmen spectantibus, habentur et seruantur. Nolumus, ut ipsi in theloneis suis, ex deuotione antecessorum nostrorum concessis, uidelicet in *Hradecz secus Oppauiam*, ubi sextum habent denarium, uel pro eo sextam hebdomadam, et in *Brod in terminis Morauie* sextam septimanam, et de ponte *Bretislauie* sextam septimanam, et in propriis ecclesie sue ciuitatibus, uti in *Kygiow*, in *Bretislauiensi*, et in *Switauia*, in *Vssobrunnensi* prouinciis constitutis, a camerariis, uel beneficiariis, uel episcopis, uel aliis baronibus, uel quocumque ullam iniuriam uel aliquam diminutionem sui thelonei patiantur; sed dictus abbas et conuentus ac successores ipsorum in ipsis theloneis et pedagiis omni impedimento amoto et absque ulla diminutione pro iuribus theloneorum plene disponendi habeant facultatem eam, ipsi tantummodo absque beneficiariis, inperpetuum percepturi. Que iura, cum de eis a quibusdam beneficiariis questio ageretur, idem abbas uocatus Pragam ad nostram presentiam, aduersa parte presente, secundum ius terre coram nobis obtinuit publice fide digno testimonio. Sunt autem hec iura in *Kygiow et Switauia* thelonei: Mercator noster episcopi uel baronis cuiuslibet et hospes predicta thelonea transiens, de

curru panni pretiosi soluat denarios octo; de curru panni grisei quatuor; de curru linei panni quatuor; de curru lini, lane, canapi, papaueris, salis, tritici, siliginis, ordei, auene et ferri quatuor; de curru mellis, de uase uini, de curru humuli quatuor de curru husonis et piscium maiorum octo; pater familias rusticus transiens cum familia octo; de tonna mellis duos; de equo, boue, uacca, porco, perna duos; de lukno mellis, uel deferente in humeris quodcunque pondus, de duabus ouiculis uel capris, et messor denarium; de massa halecis, de curru lignorum duos etc. Theloneum furtiue uel contumaciter transiens deprehensus soluat duplum. Sequatur autem eum thelonearius Switauie uersus Brunam usque ad montem, qui dicitur vulgo Gedli; uersus Gewiczko uero usque ad aqvam, que dicitur Studena. Defendant antehac etiam dicti thelonearii ius thelonei Kygouie et Svitauie in circuitu per milliare, contradictione qualibet procul mota. Ceterum uolumus, ut de plaustris ipsorum, in terris nostris per thelonea transeuntibus, cum uina sua, uel salem, segetem, humulum, pannos, uel alias quascumque res, sine quibus subsistere non possunt, ab ipsis nullum theloneum exigatur, uel aliqua iniuria eis inferatur indebite axactionis. Insuper ut omnia hec et alia sepedicte ecclesie iura stabilia, prospera sint et firma, tabernas ipsorum, in quibus primitus a nostris beneficiariis, uel ciuibus Olomucensibus, uel aliis ciuibus impediebantur, liberas esse concedimus omnino; maxime uero illas tabernas, que ad dotem pertinent claustri prefati, et adiacent nostris ciuitatibus *Olomucz, Gewiczko, Luthowl, Unczow, Oppauia infra milliare uel propius; in uillis ecclesie Czelkouicz, Nakel Luboss, Bunnouicz, Lassczian, Rossczin, Zlobicz, Wrzesowicz, Bedihossez:* non obstante eo, quod nostris aliis terrigenis prohibuimus ipsas propter nostras predictas ciuitates. Preterea cum domus dei locus refugii sit, nequaquam admittimus, ut eius immunitas per nuncios nostros, uel beneficiarios, uel quoscumque uioletur. Sed cum aliquis maleficus, quocumque maleficio perpetrato, in dictum claustrum uel aliquam eiusdem claustri curiam confugerit, ipsum nullus omnino audeat ad damnandum excipere uiolenter, sed abbas loci et rector curiarum claustri maleficum huiusmodi tam diu conseruet in bonis ecclesie prefate, donec ipsum caute possint emittere e curia uel claustro. Demum pernoctationes et expensas qualescunque in bonis predicte ecclesie a quolibet fieri prohibemus. Inhibemus etiam, ne aduocatus uel

ciues nostri in Olmucz et in aliis ciuitatibus nostris homines ecclesie predicte pro aliqua re delinquant, uel inpiguorent aut mancipent; sed si ex euentu hoc contigerit, quod homines ipsorum pro aliqua causa accusentur, iudex uel ciues ad abbatem mittant, quatenus ipse homines suos, a quocumque accusatos, coram iudicio presentari faciat, loco et termino assignato super sibi obiectis responsuros, et partibus conuocatis fiat iustitie complementum. Et siquidem in causa adiuti fuerint uel ceciderint, lesis satisfaciant prout possunt, et culpa magna uel parua non iudici nec iuratis uel ciuibus, sed abbati et conuentui cedet totaliter. Hoc autem summopere caueant ciues Olomucenses, ne super curiam uel areas, uel super homines ecclesie memorate, qui in eisdem areis resident, quas habet in suburbio Olomucensi uel circa, ullam collectam uel steuram recipiant, que uulgo Berne uel Pomocz dicitur, uel aliquam aliam exactionem faciant, per quam eis fieri possit molestia uel grauamen, quia eandem curiam et areas et homines, residentes in eisdem, ab huiusmodi, imo ab omnibus exactionibus penitus liberamus. Quicumque autem hec statuta nostra et concessiones ac libertates et donationes supradictas uiolare presumpserint, et ecclesie prefate statim non satisfecerint; maiores terrarum nostrarum barones uel beneficarii, aduocati ciuitatum nostrarum iurati, et ditiores ciues si conuicti fuerint uel confessi, in cameram nostram decem marcas auri, humiliores uero marcam auri soluant, et carceris nostri graui custodia macerentur, redimentes colla sicut possunt. Ut autem hec omnia predicta rata et inuiolata permaneant, presens scriptum conscribi, et sigillo nostre dignitatis regie fecimus roborari. Testes autem huius rei sunt: Nicolaus, episcopus Pragensis. Tobias prepositus. Vitus decanus. Radoslaus, archidiaconus Pragensis. Hermannus, prepositus Lutomericensis. Borso camerarius. Mstidruh castellanus. Pomnen, iudex Pragensis. Andreas, dapifer Boemie. Borzita de Redhossez. Drslaus de Benessow. Vikto castellanus. Milicz camerarius. Nicolaus iudex. Petrus, uillicus Olomucensis. Onso, castellanus Prerouiensis. Bochko, castellanus Znoymensis, et alii quam plures. Actum et datum Prage anno domini M. CC. XL. Kalendis Septembris, per manus magistri Wilhelmi, canonici Pragensis, aule nostre protonotarii.

Ex Annalibus Gradicensibus Mss.

CCCXXVIII.

Constantia, quondam Boemiae regina, testamento pro villa Komjn, quam a Diwis de Diwisow (e gente Sternbergica) pro CCLXXX marcis emerat, Sdeslao, filio Diwis, residuas quinquaginta marcas solvi procurat. Acta in monasterio Tišnowicensi, Nonis Decembris, **1240.**

Nos Constancia dei gracia quondam Boemie regina nunc vero humilis ancilla Jesu Christi omnibus presentem paginam inspecturis salutem in Christo Jesu. Ad vniuersorum presentis etatis et future posteritatis peruenire uolumus noticiam quod nos egritudine graui preoccupate circa Kalendas Decembris et imbecillitate corporis inualescente cognouimus nos viam carnis vniuerse per eandem infirmitatem ineuitabiliter ingressuras. Sed quia villam que *Komin* nuncupatur quam apud dominum *Dyuis de Diuysou* mediantibus viris nobilibus videlicet domino Alberto de Slyuen camerario Boemie et fideli nostro domino Brnone emimus pro ducentis et octoginta marcis ex integro persoluimus minime maxime propter hoc quia prenominato domino Diuis de Dyuisov carnis debitum persoluente filius suus *Zdeslaus* cuius eciam fauorem super empcione ville prelibate habuimus et cui partem pecunie soluimus pro villa sepe dicta ad monicionem et peticionem nostram sepius iteratam noluit circuire villam Komyn cum suis attinenciis pratis piscacionibus agris et aliis cultis siue incultis sicut tenebatur de iusticia circuire. Saluti itaque anime nostre consulentes memoriale istud nostre dimisimus domvi rogantes in domino ut post ostensionem metarum et circuituum ante dicto Zdeslao soluat abbatissa quecumque fuerit quinquaginta marcas quia CC et XXX marcas soluimus sibi et patri suo. Ad maiorem autem caucionem huius gesti nostro sigillo et abbatisse hoc scriptum iussimus communiri. Acta sunt anno gracie M. CC. XL. Nonis Decembris.

Ex originali monasterii Tischnowicensis.

CCCXXIX.

Wenceslaus, rex Boemiae, pro remedio animae matris suae Constantiae monasterio Tišnowicensi, ubi sepulta est, jus patronatus ecclesiarum sancti Petri Brunae, in Budwice et in Bites confert. Datum in Tišnowice, VII. Idus Decembris, 1240.

In nomine. Sancte. et indiuidue Trinitatis Amen. Wenceslaus qvartus Rex Boemie . . Abbatisse et conuentui Cysterciensis ordinis. in Porta celi quod uulgo *Tuhsnowicz.* dicitur. in perpetuum. Quoniam testante apostolo exorare pro emortuis est sancta cogitacio et salubris. ut soluantur a peccatis que fragilitate persepe preualente mortalibus commiserunt. et plerique preoccupati mundanarum dignitatum negociis. ceu deberent minus possunt in oracionum vacare frequentia. fore utillissimum vidimus. vt quod negligitur in orando. illud pio et deo gratuito elemosinarum sacrificio suppleatur. Hinc est quod vniuersis moderne etatis. necnon et succesiue posteritatis presencium exhibicione clarescere uolumus. quod domina et *matre nostra optime Recordacionis. Constancia. quondam Regina Boemie. iter vniuerse carnis ingressa.* cuius mortem non sine dolore ac suspiriis. in corde nostro reuoluere nos oportet. ut quam filialis caritatis priuilegio uiuentem dilexissemus. eandem eciam mortuam diligere uideremur pro sue remedio anime Monasterio Porte celi sanctimonialibus Cisterciensis ordinis. *vbi prefata domina et mater nostra elegit et voluit sepeliri* omne ius patronatus quarundam ecclesiarum. quod ad nos spectabat. Ecclesie uidelicet *Beati Petri in Brunna et Ecclesiarum in Budwice. et in Bytes quod eciam Heynrichs dicitur.* contulimus perpetuo possidendum. omnem auctoritatem sepe memorati Monasterii abbatisse et Conuentvi. de nostre excellencie beniuolencia concedentes. easdem Ecclesias ad usus suos retinendi. vel cui eis placuerit conferendi. Insuper et sepedictum Monasterium pie compassionis uisceribus amplecti quoad uixerimus. ac personas eiusdem siue res intendimus ab omnibus inuasoribus Regaliter defensare. inhesitatam obtinentes fiduciam. quod eo facto nobis ac nostris successoribus aliqua poterit parente domino cuius misericordie non est finis premiorum consolacio deriuari. Ut autem hec tam glorifica donacio in Monasterio pretaxato sollempniter celebrata. et super altare Beate virginis. a nobis liberaliter

sacrificata in presencia multorum Honestorum virorum. quorum nomina sunt subscripta. inuiolabiliter perseueret. statuimus. presentem paginam prenominato dare Monasterio nostri sigilli munimine confirmatam. Acta sunt hec anno gracie M.CC.XL. Indictione XIII. Presentibus viris nobilibus et discretis. quorum nomina sunt hec. *Vlricus dux Karinthie.* Theodericus abbas de Zabyrdowic. Heynricus prepositus Kvnicensis. Albertus prepositus de Dubraunik. Nycolaus. Zacharias. Waltherus fratres predicatores. Crisanus Philippus. de Opatowic. Jeronimus plebanus de Pribislawic. Jacobus plebanus de Hodonin. Predvoy. plebanus de Caslawic. Petrus notarius Domine Regine. Ratiborius de Deblin. Pribislaus de Obran. Milic. cum fratre suo Ydik. Chastolous de Ceblowic. Cyrh frater eius. Jurik. nosek. Bocko Znoymensis castellanus. Gallus filius Marquardi. Milota. Bun. Nynek. Pelei. Vlahen. et alii quam plures. Datum in Tusnowice. VII. Idus. Decembris.

Ex originali in archivo ejusdem monasterii; sign. B. 1.

CCCXXX.

Wenceslaus, rex Boemiae, in memoriam gratam Constantiae matris suae monasterium Tišnowicense in suam protectionem suscipit, ejusque possessiones confirmat. Dt. apud Brunam, VII. Idus Decembris, 1240.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen. Wencezlaus quartus Rex Boemie, monasterio gloriose dei genitricis et uirginis Marie in *Tusnowice, quod eciam porta celi* dicitur, inperpetuum. Quoniam misericordia plenitudo virtutum est, et omnibus proposita perfecte forma uirtutis, ab ipsa nullus excipitur, sed in ipsius studio reges ac principes tenentur pocius exerceri, qui cum Martha vite actiue officium laudabiliter exequentes, locis ac personis religiosis, uiris siue feminis sedentibus ad pedes domini cum Maria, pro temporalium beneficio debent misericorditer subuenire, ut sumpto ab ipsis psalmo et a nobis timpano tam spiritualibus, quam temporalibus beneficiis alterutrum subleuemus, celestisque consolationis premia et diuinorum munerum consortia fiducialiter appetamus. Vniuersis itaque posteris ac moderni scripti huius copiam habituris presentium exhibitione clarescat, quod domina et matre nostra, *clare memorie Constantia, quondam*

regina Boemie uiam uniuerse carnis ingressa, nos monasterio in *Tusnowice,* quod alio nomine porta celi dicitur ac sanctimonialibus ordinis sancti Benedicti sub religione grisei habitus ibidem deo famulantibus, quod monasterium prenominata mater nostra una cum filio suo, fratre nostro *Premizl* inclite recordationis, quondam marchione Moravie fundauit, dotauit et ditauit, nostre auctoritatis interueniente licentia et consensu, pie compassionis uisceribus intendentes dignum duximus pretaxatum cenobium cum personis ac rebus, quocunque nomine censeantur, in nostram protectionem recipere specialem, ipsum, quoad uixerimus, contra quemlibet inuasorem potenter et regaliter defendere promittentes. Omnia vero bona eiusdem monasterii, que ipsum, siue per contractum, donationis seu commutationis seu uenditionis, uel alio quocunque iusto titulo possidet et in presenti, uel est deinceps possessura, cum habitis et habendis ad honorem dei omnipotentis ac gloriosissime genitricis eius virginis Marie auctoritate regia confirmamus, eandem confirmationem sigilli nostri karactere apertius declarantes. Volumus eciam ipsam larga interpretatione intelligi, et non tantum ad specificata et expressim nominata, sed ad omnia attinentia extendi; ut siue donata, siue empta, seu commutata cum omnibus appendiciis suis, agris, pratis, nemoribus, pascuis, fluminibus, molendinis, piscariis, aliisque cultis siue incultis, cuiuscunque sint nominis, eiusdem confirmationis sit beneficio comprehensa, ut sicut principale, ita et accessorium, sine aliqua diminutione, sed in omni plenitudine ad utilitatem et opus pretaxati monasterii perpetuo et inuiolabiliter perseueret. Nomina possessionum enim et uillarum sunt hec: *Tusnowice uilla forensis, sub qua ipsum monasterium porta celi situm est. Lomnice. Schelezne. Wschecowice. Jemne. Humence. Rohose. Nazhore dimidia uilla. Zkirbimire dimidia uilla. Moztisce. Wlscenowice. Drahnice dimidium. Kniehnice. Telhsice. Wemizlice. Luckow. Wihnanow circuitus cum villis attinentibus. Naluschan, quod dedit Clemens miles pro remedio anime sue. Scheische. Kapanice. Hohendorf circa Oppawiam.* Hec sunt ad monasterium donationis titulo deuoluta. Per commutationem vero *de Drazow et Zwatozlaw uillas cum suis appendiciis. Panow cessimus monasterio pro Birdenice et Ygla,* que mater nostra uoluntarie resignauit. *Komin* emit Regina pro CCLXXX marcis argenti. Jus quoque patronatus ecclesiarum quarundam eidem monasterio contulimus, ecclesie uidelicet

beati *Petri in Bruna* et ecclesiarum in *Budiwice* et *Bietes*. Testes huius rei sunt: Vlricus dux Karinthie. Theodricus abbas de Zaburdowice. Heinricus prepositus Chuonicensis. Albertus prepositus de Dubrawnik. Nykolaus prior Brunensis. Zacharias, Waltherus fratres predicatores. Crisanus, Phillippus monachi de Oppatowice. Baldwinus plebanus de Brunna. Rudgerus monachus de Welhrad. Iheronimus plebanus de Pribizlawice. Predwoy plebanus de Schazlawice. Jacobus de Eychorn. Joannes de Zwatozlau. Ilarius clericus. Ratiborius de doblin. Gerhardus de Zbrazlaw. Pribizlaus de Obran. Bohobud de daleschice. Wsiezlaus de Borutow. Schaztolov de ceblowice. Albertus filius Nasepluk. Gallus filius Marquardi. Milisch et frater ipsius Ydic. Boshec burgrauius Znoymensis. Ortwinus de lusche. Wilhelmus de domaradice. Lambertus de Vzoburna. Milota. Hynec. Wlachen, Pelei frater eius. Rubinus willicus. Stephanus magister monete et Johannes plebanus de luschin. Schezlaus, capellanus domine Regine et alii quam plures. Acta sunt hec anno gracie millesimo CCXL. Indictione XIII. Datum apud Brunnam VII. idvs Decembris.

Ex originali in archivo c. r. aulico Vindobonae.

CCCXXXI.

Wenceslaus, rex Boemiae, ecclesiam in monte s. Hippolyti (Pöltenberg), quae adjacet castro Znoymensi, cum omnibus attinentiis hospitali sancti Francisci, a sorore sua Agnete Pragae constructo, contulit. Datum apud Pragam, 1240.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Amen. Nos Wenceslaus, dei gracia quartus rex Boemorum. Vniuersis fide christiana preditis inperpetuum. Noscat tam presens hominum etas, quam successura in Christo posteritas, quod nos pie ac salubriter attendentes, quod reficiens omnia Christus ex eo reficitur, quod ad vsus pauperum erogatur, *ecclesiam in monte sancti Ypoliti, que adiacet castro Znoymensi,* cum omnibus attinenciis suis, hospitali *sancti Francisci,* quod dilecta soror nostra domina *Agnes* in Praga construxit pro eo, qui, cum diues esset in omnibus, paupertatis onus pro nobis sustinuit, pleno iure contulimus vsibus pauperum ad id

ipsum confluencium perpetuo profuturam. Ut autem hec nostre deuocioi donacio rata permaneat, et inconuulsa, presentem litteram conscribi, sigilli nostri appensione iussimus roborari, sub obtentu gracie nostr districte precipientes, ne quis contra dei et nostram inibitionem predictu hospitale in predicta ecclesia tam in hominibus, quam in bonis ad doten pertinentibus presumat temere perturbare. Huius rei testes fuerunt: frater Chunradus de Wormacia, ordinis fratrum minorum. Eppo prepositus. Radozlaus archidiaconus ecclesie Pragensis. Pribizlaus. Elyas. Eberhardus. Vitus, eiusdem ecclesie canonici. Otto prepositus Melnicensis. Laici vero: Jerozlaus et Gallus, filii Marquardi. Volcmarus maior camerarius Regine. Andreas filius Petri de Bsehrom. Ypolitus castellanus Pragensis. Johannes et florianus filii Otradi. Pytroldus filius Friderici Pechman. Dobromil. Hugo. Cetech, camerarii regine. Heinricus sartor regis, et alii quam plures. Datum apud Pragam per manum Wilhalmi notarii. Anno ab incarnacione domini Millesimo CC. quadragesimo.

E copia vidimata in registratura c. r. Gubernii Moravici.

Emendanda.

Pagina				
6	*pro*	marchionis	*lege*	marchiones.
46	„	nostro	„	vestro.
62	„	Basiliae	„	Basileae.
112	„	factam.	„	factum.
118	„	appendat	„	appendet.
124	„	foffata	„	fossata.
131	„	nouabibus	„	noualibus.
143	„	propiis	„	propriis.
214	„	proprius . . . vocabilis	*lege*	propriis . . . vocabulis.
243	„	debent solui	*lege*	debet solui.
—	„	fratres debet	„	fratres debent.
287	„	compareant	„	compareat.
312	„	de Lupoldus	„	et Lupoldus.
317	„	1237.	*lege*	1238. et diploma insere ante n. CCXC.
334	„	natarii	„	notarii.
336	„	famulantus	*lege*	famulatus.
339	„	ex Boemie	„	rex Boemie.
342	„	eisdem loci	„	eiusdem loci.
359	„	Baldninus	„	Balduinus.
360	„	iustice	„	iusticie.
—	„	alterem	„	alteram.

Emendanda.

Pagina				
6	*pro*	marchionis	*lege*	marchiones.
46	„	nostro	„	vestro.
62	„	Basiliae	„	Basileae.
112	„	factam.	„	factum.
118	„	appendat	„	appendet.
124	„	foffata	„	fossata.
131	„	nouabibus	„	noualibus.
143	„	propiis	„	propriis.
214	„	proprius . . . vocabilis	*lege*	propriis . . . vocabulis.
243	„	debent solui	*lege*	debet solui.
—	„	fratres debet	„	fratres debent.
287	„	compareant	„	compareat.
312	„	de Lupoldus	„	et Lupoldus.
317	„	1237.	*lege*	1238. et diploma insere ante n. CCXC.
334	„	natarii	„	notarii.
336	„	famulantus	*lege*	famulatus.
339	„	ex Boemie	„	rex Boemie.
342	„	eisdem loci	„	eiusdem loci.
359	„	Baldninus	„	Balduinus.
360	„	iustice	„	iusticie.
—	„	alterem	„	alteram.

GENERAL BOOKBINDING CO
QUALITY CONTROL MARK







Stanford University Libraries
3 6105 013 740 019

DB543
.G6
V.2

DATE DUE

SPRING 1980		JUN	1988

STANFORD UNIVERSITY LIBRARIES
STANFORD, CALIFORNIA
94305